
This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



KE

19805

HDI



HW 3DD2 5

k



le


THE
THEOLOGICAL WORKS

OF
WILLIAM BEVERIDGE, D.D.
SOMETIME LORD BISHOP OF ST. ASAPH.

VOL. XI.
CODEX CANONUM ECCLESIAE PRIMITIVÆ
VINDICATUS AC ILLUSTRATUS.

OXFORD
JOHN HENRY PARKER.
MDCCCXLVIII.

KE 19805



Anonymous gift

LONDINI:

TYPIS EXCUBEAT G. BARCLAY, CASTLE STREET, LEICESTER SQUARE.

CODEX

CANONUM ECCLESIAE PRIMITIVÆ

VINDICATUS AC ILLUSTRATUS.

AUCTORE

GUILIELMO BEVEREGIO,

OLIM EPISCOPO ASAPHENSI.

EDITIO NOVA,

CUI ACCESSERUNT OPUSCULA QUÆDAM EODEM AUCTORE.

TOM. I.

OXONII:

APUD J. H. PARKER.

MDCCCXLVIII.

CODEX
CANONUM
Ecclesiae Primitivæ
VINDICATUS
A C
ILLUSTRATUS.

Autore *GUILIELMO BEVEREGIO*
Ecclesiae Anglicanæ Presbytero.

S. Athanaf. ad ubique Orthodoxos.

Οὐ γὰρ νῦν Κανόνες καὶ τύποι ταῖς Ἐκκλησίαις ἐδόθησαν, ἀλλ' ἐκ πατέρων ἡμῶν καλῶς καὶ βεβαίως παρεδόθησαν. . . ἵν' οὖν μὴ τὰ ἐξ ἀρχαίων μέχρις ἡμῶν τηρηθέντα ἐν ταῖς Ἐκκλησίαις ἐν ταῖς νῦν ἡμέραις παραπύληται, καὶ τὰ πιστευθέντα ἡμῖν ζητηθῆ παρ' ἡμῶν, κινήθητε ἀδελφοί.

LONDINI,

Typis *S. Roycroft*. Prostant apud *Robertum Scott*,
Bibliopolam *Londinensem*. M. DC. LXXVIII.

MONITUM.

DAMUS tibi in manus, LECTOR BENEVOLE, librum hunc, ad Codicem Ecclesiæ Primitivæ vindicandum conscriptum, opus eruditione theologica refertissimum, et doctissimo auctore omnino dignum.

Jam diu quidem in obscuro latuit, adeo ut omnium eorum, qui conciones ejusdem auctoris post mortem editas manibus tractaverint, vix unus aut alter inveniri possit, cui hic libellus, Beveregio dignissimus, vel nomine tenus innotescat.

Accedit præterea, quod formam et faciem Ecclesiæ Primitivæ eo tempore optime repræsentet, quo adhuc uno corpore conjuncta, et uno Spiritu impleta, schismata com-pescuit, hæreses profligavit, et per totum, quem sibi sub-jecerat, orbem unam eandemque exercuit disciplinam.

Restant adhuc alia quoque ejusdem auctoris opera, quorum titulos infra subjunximus, quæ typis haud volui-mus iterum mandare.

Pandectas igitur Canonum [D], quod nimis molis essent, et Beveregium editorem tantum, non auctorem, præ se ferrent, ex hac editione nostra exclusimus.

Excerpta tamen quædam ex hoc opere, suo quodque

loco, subinde subjecimus; et ad rem totam, quæ hic discutitur, magis illustrandam, Prolegomena ad Pandectas Canonum, et Præfationem ad Annotationes in Canones Apostolicos, Appendicis loco addidimus.

Institutiones autem Chronologicæ [C], et Grammatica Syriaca [B] paulo obsoletiores videbantur, et minime ejus generis libri, qui in Bibliotheca Theologiæ Anglo-Catholicæ locum sibi vindicarent. Debitum vero justum auctori doctissimo videbamur soluturi, si Dissertationem de Linguis Orientalibus huic Grammaticæ præfixam [A], (opus juvenile, ætate autem proveciore dignissimum,) ex oblivione erueremus.

Quod superest, de nostro quantulocunque labore perpauca sunt dicenda.

Scriptores ergo tam Ecclesiasticos tam profanos, qui passim occurrunt, secundum editiones optimas, (quarum tabula tomo secundo subjicietur,) quanta potuimus cura, ad examen revocavimus. Et si quid in hac re, quod verisimillimum, aut erravimus, aut omisimus, id humanæ incuriæ, quæsumus, condonetur.

Quidquid a nobis aut additum, aut, in rebus majoris momenti, correctum, id uncinis in hunc modum [] includi curavimus.

J. BLISS.

Marlebergiæ,

VIII. *Id. Jul.* A.D. MDCCCXLVIII.

[A]

De

LINGUARUM
ORIENTALIUM,
præsertim

HEBRAICÆ, CHALDAICÆ,
SYRIACÆ, ARABICÆ,
et SAMARITANÆ,
PRÆSTANTIA,

NECESSITATE, et UTILITATE,
quam et Theologis præstant
et Philosophis.

Per G. B.

Contenta in Epistola Dedicatoria
fusius indicantur.

LONDINI,

Excudebat Thomas Roycroft.

1658.

[B]

ܘܢܝܢܘܢ ܘܢܝܢܘܢ ܘܢܝܢܘܢ

ܘܢܝܢܘܢ ܘܢܝܢܘܢ

ܘܢܝܢܘܢ

id est,

Grammatica Linguae Domini nostri Jesu Christi,

SIVE

GRAMMATICA SYRIACA,

Tribus Libris tradita,

Quorum primus vocum singularum proprietatem,

Secundus Syntaxin, Tertius figuras Gram-
maticas et praxin continet.

Omnibus adeo breviter et dilucide explicatis ut men-
struo spatio (uti Præfatione ad Lectorem docetur)
ipsa linguæ medulla exugatur.

Opera et studio

GULIELMI BEVERIDGII, e Coll. S. Johan.

Cantabr. φιλολόγῳ.

In usum Bibliorum *πολυγλώσσων* Waltoniensium.

ܘܢܝܢܘܢ ܘܢܝܢܘܢ ܘܢܝܢܘܢ

1 Cor. 11. 1. *Estote imitatores mei, sicut et ego sum Christi.*

LONDINI :

Excudebat THOMAS ROYCROFT, et

Venales prostant apud Octavianum Pulleyn. 1658.

[C]

INSTITUTIONUM
CHRONOLOGICARUM
LIBRI II.

Una cum totidem

ARITHMETICES

CHRONOLOGICÆ

LIBELLIS.

Per Guilielm. Beveregium, M.A.

e Coll. S. Joh. Cant.

*παρ' οἷς γὰρ ἀσυνάριθμός ἐστιν ἡ τῶν χρόνων ἀναγραφὴ,
παρὰ τέτοις ἔδὲ τὰ τῆς ἱστορίας ἀληθεύειν δύνασθαι.*

Tatianus, πρὸς Ἑλλήνας.

LONDINI :

*Typis Thomæ Roycroft, et prostant apud Gualterium
Kettilby, ad insigne Capitis Episcopi, in vico vulgo vocato
Buck-lane. MDCLXIX.*

[D]

ΣΥΝΟΔΙΚΟΝ,

SIVE

PANDECTÆ

C A N O N U M

SS. APOSTOLORUM,

ET

CONCILIORUM

AB

Ecclesia GRÆCA receptorum ;

NEC NON

Canonicarum SS. PATRUM Epistolarum :

Unà cum SCHOLIIS ANTIQVORUM singulis eorum annexis,

Et *SCRIPTIS aliis huc spectantibus ;*

QUORUM PLURIMA

E

BIBLIOTHECÆ BODLEIANÆ

Aliarumque MSS. Codicibus nunc primum edita : reliqua cum iisdem

MSS. summâ fide & diligentia collata.

Totum Opus in duos TOMOS divisum

GUILIELMUS BEVEREGIUS, Ecclesie Anglicanæ Presbyter,

Recensuit, Prolegomenis munivit, & Annotationibus auxit.

OXONII,

E THEATRO SHELDONIANO.

Sumptibus GUILIELMI WELLS & ROBERTI SCOTT. Bibliop. *LOND.*

M.DC.LXXII.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO

D. GUILIELMO

PROVIDENTIA DIVINA

ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI,

TOTIUS ANGLIÆ PRIMATI AC METROPOLITANO,

ET

AUGUSTISSIMO PRINCIPI CAROLO II.

M. BRITANNIÆ, FRANCIÆ, ET HIBERNIÆ REGI A SECRETIORIBUS CONCILIIIS.

AMPLISSIME PRÆSUL,

Quanta sit Primitivam inter et eam, cui ipse præsides, Ecclesiam concordia, neminem in utriusque decretis, ritibusque vel mediocriter versatum latet, nedum Te in iis versatissimum. Tanta nimirum est, ut nihilo fere inter se præterquam tempore distinguantur. Idem enim in utraque regimen, eadem fides, idem Sacramentorum numerus, eademque eorum administrandi forma: iidem etiam ritus, eadem leges, eadem festa et jejunia: omnia denique usque adeo eadem in utraque habentur,

constituuntur, prædicantur, ut ANGLICANA jure merito PRIMITIVA nuncupetur Ecclesia, ultimis hisce temporibus rediviva.

Hanc, eximiam sane, laudem ac honorem malevoli, quibus ipsa, instar Primitivæ itidem, circumdatur, adversarii Ecclesiæ nostræ invidere solent; sed adimere nunquam poterunt, quamdiu genuina primitivorum Patrum martyrumque monumenta sarta tecta conservantur: utpote e quibus clarissime clucescit. Quod cum istis, quorum depravati mores puram adeo Ecclesiam aversantur, plus nimio constet, pro diversis ipsorum ingeniis, hi quidem spuria pro genuinis obtrudere, alii vero ipsa etiam genuina nobis subripere moliuntur. Et inter alia, Canones Apostolorum vulgo appellatos, non tantum non ab Apostolis, verum nec a Primitiva Ecclesia, sed post nescio quot secula editos fuisse contendunt, eo tantum nomine, quod inter eos et Ecclesiæ nostræ constitutiones pulchre adeo conveniat.

*Hoc igitur Opusculum, IN PRIMIS REVERENDE AN-
TISTES, quo vera istorum Canonum, adeoque complurium
ex iis, qui ab Ecclesia Anglicana hucusque observantur,
rituum antiquitas vindicatur, Tuum solius patrocini-
um ambit, cui benignissima in hanc suam Ecclesiam Dei
Optimi Maximi Providentia, summam illius, sub Au-
gustissimo Principe, curam commisit. Neque enim VIN-
DICLÆ CANONUM ECCLESIAE PRIMITIVÆ majus aliunde
præsidium expectare possunt, quam a Te, qui ad illam
ipsam Ecclesiam, canonicamque ejusdem administrationem
vindican-
dam, omni studio ac virtute totus incumbis.*

Et præterea ante oculos positum est, quam insipida et

ingrata hujusmodi antiquitatis, ecclesiasticæ præsertim, studia hisce diebus videantur; quibus scilicet nihil fere sapit, nisi quod novum est. Ac proinde operi de antiquissimis Ecclesiæ sanctionibus moribusque contexto, talis necessario quærendus et asciscendus est Patronus qui et ipse antiquis sit moribus, atque ipsam etiam antiquitatem contra gliscentis indies novitatis impetus et exemplo suo et auctoritate propugnare queat.

Quapropter cum res ipsæ hic tractatæ tantum desiderant, flagitentque Vindicem, utut rudis ac impolita sit hæc mea de iis dissertatio, humillimus a Te peto, EMINENTISSIME PRÆSUL, ut eam singulari illa, qua me soles, humanitate comprehendas, et sub nominis Tui splendore in lucem prodire patiaris, tanquam perpetuum Tuæ erga me benevolentiae, meæque vicissim erga Te observantiæ
μνημόσυνον.

His suppliciter, ut par est, ac demississime imploratis, veritus ne, si longius excurrat oratio, in publica peccem commoda, nihil præterea addam, nisi vota precesque ardentissimas, ut Qui Te per varios casus, per tot discrimina Sibi constantem, rebusque omnibus, æquis iniquis, majorem præstitit, et jam tandem ad ipsum sacerdotii apicem perduxit, Is etiam consiliis Tuis adsistere, cœptisque aspirare pergat; omnia cujusque generis, quibus Te dignatus est, dona confirmet, augeatque; inimicos Tuos, ut eosdem atque Suos, vel convertat, vel coerceat; Teque in Sui gloriam, in Ecclesiæ Suæ salutem, in Serenissimi Regis honorem, in regnorum ejus pacem, in omnium bonorum gaudium, salvum per diu incolumemque conservet; et sero, verum aliquando tamen, a Cantuariensi ad cælestem Te thronum transferat.

Ita cum omnibus Ecclesiæ Anglicanæ, Primitivæ, Catholicæ vere amantibus, Deum Patrem, in potentissimo unici Ipsius Filii, nostrique Salvatoris JESU CHRISTI Nomine comprecatur,

Paternitati Tuæ

Devotissimus,

Guilielmus Beveregius.

PROŒMIUM.

Eo temeritatis delira hac nostra ætate deventum est, ut nihil propemodum in ipsa sit religione Christiana, quod non vel privatim in dubium, vel in controversiam publice vocatur. Usque adeo ut ea etiam, quæ per multa retro secula, et ab ipsis Ecclesiæ primordiis, ubique recepta fuerunt, dogmata ritusque, hisce demum nostris diebus in discrimen veniant, et perinde oppugnentur, ac si nos primi essemus Christiani, omnesque majores nostri nudum Christi nomen præ se tulissent, et præterea nihil: vel saltem ac si in gravissimis perpetuo erroribus versati fuissent, quicumque divulgatam in Evangelio fidem antehac amplexi sunt. Nimirum novissimis hisce temporibus nova jactantur lumina, nova ac majora Spiritus Sancti dona simulantur: ideoque novæ credendi, novæ orandi, novæ prædicandi, novæ omnium ecclesiasticarum administrationum peragendi formulæ finguntur indies, et celebrantur. Et, quod absurdissimum est, ipsa etiam novitate nihil modo antiquius habetur, sed quo quid magis novum est, eo pluribus et magis placet et sollicitius propugnatur. Hinc illæ lachrymæ! Hinc tot horrenda in Ecclesia schismata! Dum singuli enim ingeniis, vel petulantibus potius suis plus nimio indul-

gentes phantasiis, novitatibus in religionem invehendis student, omnes, præ infinita opinionum diversitate, in contraria scinduntur studia et factiones.

II. Quod si nosmet tandem aliquando recolligamus, resque ea, qua par est, animi temperantia et æquitate perpendamus, statim patebit, nos qui hanc aliasque circumjacentes modo incolimus regiones, nec primos esse nec solos Christi cultores, sed exiguam tantum partem magni illius corporis, cujus Caput est Christus; utpote quod summa Dei misericordia in omnes terrarum fines diffusum est, et ab ipsis Apostolorum temporibus semper fuit: adeo ut nulla sit ætas, nec ulla fere regio, qua non plurimi per eam, quam nos profitemur, fidem cœlorum potiti sunt. Secundum hæc, si prægrande hoc omnium cujusque seculi Christianorum corpus, quod Catholica sive universa Ecclesia vulgo appellatur, ut ubique et semper constitutum, attente perlustremus, certa quædam, quasi communia, in eo deprehendemus principia, quæ totum percurrunt, omnesque illius partes et sibi invicem et Capiti connectunt. E quibus primum, illudque e quo cætera oriuntur, est, 'Sacram Scripturam, sive Vetus Novumque Testamentum, divinitus esse inspiratam.' In hoc omnes ubique Christiani consentiunt, semperque consenserunt; quorum propterea nec societate nec nomine dignus censetur, qui illud negat. Verumenimvero hæc Sacra Scriptura etiamsi in iis, quæ ad cujusque salutem absolute sunt necessaria, præceptis clarissima sit et omnibus manifesta, quantum tamen ad doctrinam spectat et externam Ecclesiæ disciplinam, ea, pro ipsa sua altitudine, non uno eodemque sensu ab omnibus accipitur, sed divina *ejusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur, ut pene quot homines sunt, tot illic sententiæ erui posse videantur*: ut observavit olim Vincentius Lirinensis, et ex hæreticis ac schismaticis satis superque constat, qui nempe singuli pravas suas opiniones praxesque e Sacris Scripturis suo

Vinc. Lirin.
adv. Hæres.
cap. II. [Gall.
Bib. Pat. tom.
x. p. 103, col.
2, B.]

modo interpretatis eliciunt. In hujusmodi itaque rebus si non errandi nec offendendi certi esse velimus, imprimis procul omni dubio cavendum est, ne privatis nostris aliorumve opinionibus aut conjecturis pertinaces nimis adhæreamus, sed nobiscum potius recolamus, quid universa Ecclesia, vel maxima saltem pars Christianorum de istis senserint, et in ea acquiescamus sententia, in quam Christiani per omnia secula consenserunt. Quemadmodum enim omni in re *Consensus omnium vox naturæ est*, ut ait Cicero: sic etiam in hujusmodi rebus consensus omnium Christianorum vox Evangelii merito habeatur. Multa autem sunt, quæ, licet in Sacris Scripturis expresse ac definite non legantur, communi tamen omnium Christianorum consensione ex iis eruuntur. Exempli gratia, 'Tres distinctas in Sacrosancta Trinitate Personas venerandas esse, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, hosque singulos verum esse Deum, et tamen unum tantummodo esse Deum: Christum θεάνθρωπον esse, vere Deum, ac vere hominem in una eademque persona.' Hæc et similia quamvis totidem verbis ac syllabis, nec in Veteri nec in Novo Instrumento tradantur, de iis tamen, ut utroque fundatis, inter omnes semper convenit Christianos: demptis tantummodo paucis quibusdam hæreticis, quorum in religione haud major habenda est ratio quam monstrorum in natura. Sic etiam infantes sacro baptismate abluendos esse, et sponsos ad illud Sacramentum adhibendos: Dominicam, sive primam per singulas septimanas feriam, religiose observandam esse. Passionis, Resurrectionis, et Ascensionis Domini ad cœlum, necnon Spiritus Sancti adventus commemorationem per singulos annos peragendam: Ecclesiam ubique per Episcopos a presbyteris distinctos, iisque prælatos, administrandam esse. Hæc et alia hujusmodi nusquam in Sacris Scripturis diserte ac nominatim præcipiuntur; sed nihilominus per mille et quadringentos ab Apostolis annos in publicum Ecclesiæ usum ubique recepta

Tuscul.
Quæst. lib. I.
[cap. 15.]

fuerunt: nec ullam intra illud tempus invenire est Ecclesiam in ea non consentientem. Adeo ut quasi communes sint notiones omnium ab origine Christianorum animis insitæ, non tam ex ullis particularibus Sacræ Scripturæ locis, quam ex omnibus; ex generali totius Evangelii scopo et tenore; ex ipsa religionis in eo stabilitæ natura et proposito; atque ex constanti denique Apostolorum traditione, qui ecclesiasticos hujusmodi ritus, et generales, ut ita loquar, Evangelii interpretationes per universum terrarum orbem una cum fide propagarunt. Alioquin enim non incredibile, imo vero impossibile prorsus esset, ut tam unanimi consensione, ubique et semper, et ab omnibus reciperentur.

III. Hisce præmissis, primo intuitu patet, quid ex iis consequetur. Cum majorem enim omnibus, quam singulis Christianis, et universæ, quam particularibus quibuscunque Ecclesiis fidem habendam esse nemo dubitet; cum plurima etiam sint, in quæ universalis Ecclesia per multa post Apostolos secula consensit; cum hæc denique universalis Ecclesiæ consensio certissima sit in iis, quibus habeatur, capitibus Sacræ Scripturæ interpretatio, hinc clarissime constat, quali quantoque usui sint antiqui Patres, alique omnium Ecclesiæ seculorum scriptores, quamque necessario ab iis consulendi sint, quibus, ecclesiasticas agitantibus controversias, vel sua salus, vel pax Ecclesiæ cordi est. Si nulla enim veteris Ecclesiæ commentaria, nulla Conciliorum Acta, nulla historiæ ecclesiasticæ monumenta hodie exstarent, quantis in tenebris circa ipsam nostram religionem versaremur? Quam facile esset subtili cuivis hæretico, vel sceleratissimo etiam impostori, pietatis speciem præ se ferenti, verba plerisque dare, eosque in perniciosissimos omnium generum errores inducere? Quis Romanam, aliamve quamcunque, licet corruptissimam, Ecclesiam, in iis quæ non diserte in Sacris Scripturis prohibentur, vitii aut erroris arguere potuisset? Unde enim constaret, annon ea quæ ibi usitantur, ab ipsis

Apostolis tradita fuissent, et universalis Ecclesiæ consensu comprobata? Quot denique et quanta cujusque modi incommoda hinc exorirentur? Sed nihil est, quod iis enumerandis immoremur, cum inter tot tantasque imperiorum confusiones, Ecclesiarum singularium tumultus, omniumque rerum humanarum perturbationes, sapientissima benignissimaque Dei Opt. Max. providentia ita comparatum sit, ut ab ipsis Apostolicis usque ad hæc nostra tempora nulla sit ætas, cujus ecclesiastica nobis monumenta non conservantur. E quibus propterea perfectam universalis Ecclesiæ ideam animo concipere, et pro comperto certoque habere possumus, quid per omnia secula admissum fuit, et quid rejectum; qui ritus et dogmata obtinuerunt, quæ hæreses et schismata explosa sunt et condemnata. Ex iis denique, iisque solis, videre licet, de quibus doctrinis disciplinisque inter omnes perpetuo Ecclesias convenit, et de quibus inter eas controversum est: adeoque quid magis, quidque minus necessarium est creditu, et observatu. Quicquid enim de aliis dicendum est, ea saltem, in quæ omnes ubique Ecclesiæ consenserunt, non possunt non certissima esse, et necessario ab omnibus etiamnum retinenda.

IV. Verumenimvero hæc, de qua loquimur, universalis Ecclesiæ de quibusvis fidei articulis aut ritibus ecclesiasticis consensio, non ex uno alterove scriptore, nedum ex uno alterove scriptoris alicujus loco, seorsim a reliquis, sed ex omnibus conjunctim petenda est; vel etiam e maxima eorum parte qui per omnia, præsertim antiquiora, Ecclesiæ secula aliquid literis mandarunt, et de istis rebus meminerunt. In omnibus enim societatibus, qualis est Ecclesia, pars major præjudicat minori, et jus integri obtinere solet. *Quod major pars curiæ, inquit Jus Civile, effecit, pro eo habetur, ac si omnes egerint.*¹ Imo quidem hæc inter communes

¹ [Pand. lib. 1. tit. 1,] ad Municip. Leg. 19, [e Scæv. lib. i. Quæst. Corp. J. C. tom. i. p. 984.]

juris illius regulas habetur, *Refertur ad universos, quod publice fit per majorem partem.*² Quod itaque vel a majori parte statuitur, aut affirmatur, illud Ecclesiæ universali jure adscribendum est; multo magis quod conjunctis omnium, vel pene omnium, testimoniis munitur. Ad quam quidem classem quam plurima in re ecclesiastica facile redigantur. Etiam si enim singulorum per omnes ætates Christianorum sententias nobis transmissas non habeamus, habemus tamen quod tantidem est. Primo etenim, ubi de universalis Ecclesiæ consensu loquimur, haud necesse est, ut ad plebis etiam sive laicorum opiniones respiciamus: illi enim ad judicium de doctrina aut disciplina ecclesiæ ferendum nunquam admissi fuerunt; quippe quos pastorum suorum sententias in omnibus, ut par est, sequi, non præire, semper præsumptum est. Et præterea cum populus Episcoporum suorum electioni antiquitus suffragari, suumque de eligendis testimonium præbere solerent, eo sane in doctrinam eorum et disciplinam se consentire aperte satis ostendebant: adeo ut quæcunque Episcopi cujusvis fuerit sententia, eadem et populus, cui præerat, ductus merito existimetur. Hinc itaque consensionem Ecclesiæ non e populo, sed ex Episcopis eorum, e magistris et sacerdotibus petendam esse, Vincencius Lirinensis recte olim observavit, *Consensionem quoque itidem* (sequemur,) inquit, *si in ipsa vetustate omnium vel certe pene omnium sacerdotum [pariter] et magistrorum definitiones sententiasque sectemur.* Et hoc quidem, universalis scilicet Ecclesiæ consensionem non ex populo, sed ex Episcopis clericisque petendam esse, unum est e plurimis istis dogmatibus, in quæ ipsam universalem Ecclesiam habemus consentientem; utpote quæ de rebus ecclesiasticis dissertura plebem raro adesse, nunquam autem sententiam de istis dicere aut suffragium ferre, permisit. Neque enim

Vinc. Lirin.
adv. Hæres.
cap. iii. [Gall.
B. P. tom. x.
p. 103, col. 2,
C, D.]

² [Pand. lib. l. tit. 17,] de diversis
Regulis Juris. Leg. 160, [ex Ulpian.

lib. lxxvi. ad Edictum. Corp. J. C.
tom. i. p. 1026.]

in omnibus, quæ unquam de istiusmodi rebus celebrata sunt, Conciliis, quempiam e plebe decretis subscripsisse legimus. Omnia vero per singulas ætates communia Ecclesiæ negotia per solos Episcopos, et nonnullos subinde presbyteros Episcoporum suorum loca tenentes, in Conciliis congregatos transacta sunt. Quæ quidem Concilia, si in una aliqua provincia, istam solam provincialem, sin ab omnibus conjunctim, vel a majori earum parte celebrata fuerint, universalem Ecclesiam repræsentarunt: *Per quæ* scilicet, ut ait Tertullianus, *et altiora quæque in commune tractantur, et ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur.* Hujusmodi autem tam provincialia a singulis provinciis, quam universalia ab universa Ecclesia, e qua cognominantur, celebrata Concilia, eorumque Acta et decreta quamplurima etiamnum exstant. Exstant etiam satis multa singularium Episcoporum et presbyterorum commentaria, non quidem omnium, sed eorum tamen, qui per singula secula doctissimi fuerunt, et dogmatum, rituumque ecclesiasticorum callentissimi. E quibus omnibus communes et omnium et singularum Ecclesiarum sententias clarissime, si quid aliud, videre licet, adeoque certissime colligere, quid nobis de istis rebus sentiendum sit. Etiam si enim demus dubium esse, annon alii, qui vel nihil scripserunt, vel quorum scripta non supersunt, aliter fortasse senserint, cum id tamen non constet, (et non constare in hujusmodi causis idem plane sit ac non esse,) quicquid omnes vel major pars eorum, quorum genuina nobis relicta sunt opera, tanquam in commune docuerunt, pro communi et constanti Ecclesiæ universalis doctrina sine dubio habendum est. Præsertim cum ipsa etiam universalis Ecclesia se in eam, quæ in antiquis Conciliorum Patrumque scriptis conservatur, doctrinam consensisse, abunde satis ex eo demonstrarit, quod ista, quibus continetur, scripta nobis, Deo ita disponente, conservarit: alio-

Tertull. de
Jejun. cap.
xiii. [p. 552.]

rum interim, qui aliter senserunt, commentariis tanta oblivione obrutis, ut vix nomina eorum posteritati transmissa sint. E quibus omnibus breviter et summatim præmissis, legitime concludamus, omnia et Patrum singularium opuscula, et Synodorum tam provincialium quam universalium Acta et monumenta, quæ hodie exstant, huic imprimis, magno sane et eximio, usui nobis esse, quod ex iis pro certo et explorato habeamus, quid Ecclesia universa de necessariis fidei articulis et ritibus ecclesiasticis semper crediderit et prædicarit, adeoque quid semper in Ecclesia credendum et prædicandum sit. Nemini enim dubium esse potest, quin universalis Ecclesiæ fidei moribusque in omnibus, quoad fieri potest, religiose insistere, et tutissimum sit, et summe necessarium.

V. Sed dicat forsitan non nemo, ‘Patres et seorsim singulos, et conjunctim plures in variis religionis capitibus erravisse; eosque inter se aliquando dissentire, et quidem interdum de rebus magni momenti.’ Hæc, fateor, contra antiquos Ecclesiæ Patres eorumque in ecclesiasticis controversiis dijudicandis auctoritatem non ita pridem objecta fuerunt. Sed utrum vera sint an falsa non opus est hic disputemus. Etsi enim verissima esse concedamus, nullum tamen ex iis contra nostram de ‘Vero Usu Patrum’ sententiam exsculpi potest argumentum. Quippe qui de Patribus non singulis seorsim, sed omnibus conjunctim loquimur. Ac proinde, quotquot errores in uno pluribusve deprehensi fuerint, et utcunque etiam in nonnullis, magni fortasse momenti, rebus inter se dissentiant, vel saltem dissentire videantur, nostra tamen sententia firma satis stabilisque manet, quandoquidem multa sunt nihilominus, de quibus inter omnes omnino Patres convenit, plurima in quæ major eorum pars consensit. Quæcunque autem inter eos nonnullis de rebus commotæ fuerint dissensiones, summæ eorum in istis, de quibus consentiunt, auctoritati nihil detrahunt,

sed eam potius egregie confirmant. Ex eo enim, quod in aliis dissenserint, luculentissime constat illos ea, de quibus consenserunt, non ex pacto et conventu, non ex inita factione, aut consociatis consiliis, neque ex privatis denique suis ipsorum opinionibus tradidisse, sed nude et sincere tanquam ex communi universalis Ecclesiæ sensu ac traditione. Et quidem, ut in aliquibus minus necessariis tam fidei quam disciplinæ capitibus aliquantulum inter se dissideant antiqui Patres, plurima tamen summo ab omnibus concentu recepta fuisse, ita perspicuum est, ut oculis judicare possimus. Multa enim videmus ab universali Ecclesia in Conciliis vere Œcumenicis definita; multa plurimum, multa omnium Ecclesiæ scriptorum consensu comprobata; multa denique, de quibus nulla antiquitus mota est controversia. E quorum numero nonnulla a nobis supra commemorata sunt; quibus et alia quamplurima accenseri possunt; ea præsertim, quæ licet in SS. Scripturis non definite præscripta fuerint, a piissimis nihilominus prudentissimisque Ecclesiæ Anglicanæ reformatoribus retenta sunt.

VI. Enimvero cum hæc nostra Ecclesia Anglicana per diutinam cum Romana communionem consimiles labe contraxerat, quibus necesse erat repurgaretur, qui egregium illud et pernecessarium opus suscipiebant, veriti ne, aliorum instar, ab uno ad alterum extremum ruerent, ea quidem tam dogmata, quam cæremonias, quæ Ecclesia Romana de novo pedetentim superinduxerat, e medio tollebant, et penitus, ut par erat, abrogabant. Verumtamen, quæcunque ab omnibus ubique Ecclesiis semper credita ac observata fuerant, ea simul abolere, summa illis religio erat. Probe enim sciebant, omnes particulares Ecclesias ad universalem accommodandas esse: siquidem juxta generalem illam et vulgatam ethicorum regulam, 'Turpis est pars omnis toti non congrua.' Hinc itaque primi particularis hujus Ecclesiæ reformatores totam reformationis ab ipsis susceptæ

lineam secundum totius sive universæ Ecclesiæ normam dirigebant; ea sola abjicientes, quæ universali Ecclesiæ vel inaudita fuerant, vel rejecta; ea vero religiose admodum retinentes, quæ universalis itidem Ecclesiæ consensu corroborata videbant. Quo factum est, ut licet non cum Romana nec cum aliis quibusdam particularibus Ecclesiis, ut hodie constitutis, tamen cum universali et Catholica Ecclesia constantem communionem habeamus; cujus scilicet nostra, ut Deo adsistente primo constituta, et, Eodem miserante, adhuc conservata, perfecta est idea ac repræsentatio.

VII. Cæterum, ne longius a proposito digrediamur, ubi de Ecclesia universali ejusque consensu verba facimus, potissima sine omni dubio primitivæ ratio habenda est: utpote quæ licet pars tantum sit universæ, puriorem tamen sincerio-remque fuisse partem inter omnes constat. Idem enim Ecclesiæ, quod rei cuique publicæ, accidit, ut vetustis scilicet in desuetudinem paulatim abeuntibus, nova pro luxuriantibus hominum ingeniis instituta excogitentur. Quod quidem in religione ante omnia cavendum est. Inter omnes enim Christianos convenit, Apostolicam, ut ab ipsis Domini Apostolis divinitus inspiratis constitutam, et ab illis adhuc viventibus administratam, omnium purissimam fuisse ac perfectissimam Ecclesiam. Quin nihil etiam communi Christianorum fidei magis absonum videtur, quam doctrinam aut disciplinam ab Apostolis institutam, a proximis ipsorum successoribus corruptam fuisse, vel quovis modo immutatam. Omnes enim confitentur Apostolos fidissimos fuisse viros, ac proinde nullos sibi in successores ordinare voluisse, nisi sibi in quorum fides et integritas ipsis probatissima esset. Primi itaque Apostolorum successores Ecclesiam, cujus regendæ cura ipsis commissa est, illibatam haud dubie et incorruptam conservarunt, atque eodem etiam modo suis ipsorum successoribus tradiderunt, hique aliis, et sic deinceps, ut nihil dubii esse possit, quin, per duo saltem vel tria ab Apostolis

secula, Ecclesia in primitivo suo vigore, atque, ut ita loquar, virginitate floruerit, eodem nimirum statu, quo ab ipsis Apostolis relicta fuit; nisi quod novæ subinde hæreses istis etiam diebus erumperent, quibus Ecclesia exercitata quidem fuit, sed minime corrupta: haud magis scilicet, quam Ecclesia vero Apostolica ab istis hæresibus depravata fuit, quæ Apostolis adhuc superstitionibus emergebant. Vix citius enim exortæ sunt, quam ab Ecclesia Catholica rejectæ. Quibus propterea non obstantibus, universa, quæ secuta est, Ecclesia, primitivam illam pro purissima semper habuit, et in omnibus, quæ postea coortæ sunt, hæresibus refellendis, ad eam tanquam ad aliarum regulam appellavit. Si quis enim aliquid novi vel in doctrinam vel disciplinam Ecclesiæ inducere conatus est, qui ei se opposuerunt, tam singulares, quam plures, una congregati Patres, argumenta sua, ut e SS. Scripturis, sic etiam e primorum Ecclesiæ seculorum dogmatis et traditionibus petierunt. Hoc in omnibus fere Conciliorum Actis, et Patrum singularium commentariis videre licet, ubicunque videlicet ecclesiasticæ controversiæ agitantur. Et quidem nihil adhuc rationi magis consentaneum est, nihil etiam magis optandum, quam ut omnes hodiernæ, ubi ubi constitutæ, particulares Ecclesiæ, ad primitivæ exemplar reformarentur. Hoc enim modo quæcunque posterioribus seculis irrepserunt corruptelæ foras illico projicerentur; in pristinum autem vigorem suum restituerentur, quæcunque ad veram Ecclesiæ Christianæ constitutionem requisita sunt.

VIII. Quinetiam nec impossibile cuipiam, nullo præiudicio laboranti, videatur, veteris Ecclesiæ mores ritusque investigare. Ea quippe est, semperque fuit Dei Opt. Max. in Ecclesiam Suam benignitas et clementia, ut viros undequaque doctissimos ad res Ecclesiæ conscribendas per singula etiam antiquiora Christianismi secula incitarit, eorumque scripta usque ad hanc nostram ætatem sarta tecta

conservarit: adeo ut Ecclesiam primitivam accurate in iis delineatam præ oculis semper habeamus, eamque etiam novissimis hisce diebus tanquam præsentem perlustrare, et contemplari possimus. Ne longius enim ab Apostolis abeamus, quot, quantaque volumina tribus prioribus post eos seculis elaborata etiamnum exstant? Eusebius Cæsariensis, S. Athanasius Alexandrinus, Hilarius Pictaviensis, Optatus Milevitanus, Cyrillus Hierosolymitanus, Basilius M., Gregorius Nazianzenus, et Nyssenus, Epiphanius, Ambrosius Mediolanensis, Hieronymus, Theophilus Alexandrinus, Ruffinus, Gaudentius, Aurelius Prudentius, Augustinus Hippo-nensis, Marius Mercator, Chrysostomus, Severus Sulpitius, hi omnes, aliique complures, ante quartum a nativitate Christi, quod idem fere est ac tertium ab Apostolis, elapsum seculum claruerunt, resque Ecclesiæ et ætatis quisque suæ, posteritati fuse descriptas tradiderunt. Eodem etiam corrente seculo præter plurima provincialia, duo ab universali Ecclesia celebrata sunt Concilia, primum Nicææ anno Dom. CCCXXV., alterum Constantinopoli, anno Dom. CCCLXXXI. E quibus proinde omnibus istius seculi monumentis inter se collatis facillimum est cuivis eruere, quid ab Ecclesia tunc temporis ubique receptum erat, adeoque quid ab ipsis Apostolorum temporibus obtinuerat: utpote a quibus ad istum seculum inchoatum, ducenti duntaxat anni plus minus effluxerant. Omnem autem fidem excedit, ut quippiam tam exiguo temporis spatio per universum terrarum orbem propagaretur, quod non aliquo saltem modo ab ipsis Apostolis traditum ac disseminatum fuerat. Præsertim cum per totum illud spatium universa Ecclesia fere continuis persecutionibus exercitata esset, adeo ut una congregari et consilia consociare nunquam potuisset, ante annum Dom. supradictum CCCXXV. Quin isto etiam anno Nicææ congregata nihil novi instituit, sed antiquos

Can. Nic. VI. tantum mores servandos esse decrevit, τὰ ἀρχαῖα, inquit,

ἔθῃ κεραιίρω. Unde constat totam istius seculi Ecclesiam in eam consensisse opinionem, quæ omnes in religione novitates condemnat : ac propterea nihil dubii esse posse, quin longe antea vulgo et ubique receptum fuisset, quicquid ab universali Ecclesia isto seculo usitatum erat. Quod tamen manifestius adhuc evadet, si vetustiora illa consulamus monumenta, quæ medio inter Apostolos et Concilium Nicænum tempore edita sunt. In quibus scilicet eadem plane doctrina, eademque disciplina prædicatur, quam ab universa Ecclesia isto seculo receptam fuisse patet. Quod ut omnibus constaret, Deus Opt. Max. Ecclesiæ suæ in terris militanti semper prospiciens, etiam antiquissimos illos commentarios incolumes integrosque nobis servavit. Adeo ut mirificam Ejus hac in re providentiam nunquam satis admirari possimus : primo quidem quod tot libri adversis adeo ac turbulentis temporibus a Christianis conscriberentur ; et deinde quod post tot revolutionum labyrinthos usque ad nostram ætatem pervenirent. Etiamnum enim habemus egregia sane opera Lactantii, Arnobii, Dionysii Alexandrini, Gregorii Thaumaturgi, et D. Cypriani, qui secundo post Apostolos labente seculo, adeoque ante consessum Nicænum claruerunt : habemus ampla satis volumina ab Origene, Clemente Alexandrino, et Tertulliano eodem ineunte seculo conscripta ; quibus æqualis ætate fuit et Minutius Felix. Habemus insuper ecclesiastica Irenæi, Tatiani, Theophili Antiocheni, Athenagoræ, et Justini Martyris monumenta, proximo post Apostolos seculo elaborata, et aliorum plurimum fragmenta ecclesiasticæ Eusebii historiæ interserta. Habemus denique veneranda admodum S. Polycarpi, Ignatii, et Clementis Romani (fortasse etiam et Hermæ) opuscula, qui omnes cum ipsis Domini Apostolis conversati sunt. Adeo ut admirabilem quandam rerum ecclesiasticarum continuationem seriemque ab ipso Apostolico ad quartum seculum, et sic deinceps, usque ad hæc nostra tempora, a doctissimis cujusque ætatis viris contextam habeamus, unde

perpetuum ac unanimum universalis Ecclesiæ tam in doctrina quam disciplina consensum nobis hodieque haurire licet.

IX. Quantum porro ad externam Ecclesiæ primitivæ disciplinam spectat, ea, magna saltem ex parte, in Codicem Canonum qui Apostolorum nomine vulgo nuncupantur, antiquitus collecta fuit. Istos enim Canones ante Concilium Nicænum sancitos editosque fuisse, nemo unquam ante nostram ætatem dubitavit. Quin potius plurimi eos ab ipsis Apostolis, quorum nomen præferunt, constitutos, et a Clemente Romano, eorum discipulo scriptos esse arbitrati sunt. Sane omnes fere Græci per mille retro annos et amplius in eam sententiam convenerunt. Nonnulli etiam e Latinis, ut Franciscus Turrianus,³ Lambertus Gruterus,⁴

³ [“ Interrogemus ergo istos, qui Canones Apostolorum negant, an negent etiam hoc, quod gravissimus auctor, et Apostolorum discipulus narrat; et ratio ipsa per se ita esse convincit, scilicet conquisisse illos, ut necesse erat, una quæ ad communem utilitatem Ecclesiarum omnium, et ad correctionis ecclesiasticæ disciplinam spectarent? Quod si non negent, non enim tam alieni ab omni sensu communi erunt, ut negent, quæramus ab eis rursus, ubi sunt ista, quæ conquisiverunt ad communem utilitatem omnium Ecclesiarum, et ad correctionem, sive directionem, quod proprium est regulæ, utrumque enim significat *δύο-θεωσις*, quo verbo usus est Clemens. Aut quorsum illa conquisita sunt, si nobis non sunt tradita? aut, si tradita sunt, ubi illa sunt, si Canones ecclesiastici, quos Clemens per sermonem ab eis traditos nobis descripsit, non sunt eorum Canones? Sed veniamus jam ad Epistolam Zepherini, et ad LXX. illas sententias, quas dicit Sanctos Apostolos cum plurimis Episcopis præfixisse. Quod quidem mirifice convenit cum eo, quod idem Clemens scribit, conquisisse illos una ad utilitatem communem et correctionem,

cum essent Hierosolymis post decretum illud de cessatione legalium factum, tunc enim multi Episcopi convenerant, quos Lucas, ut solet Paulus, presbyteros vocat, cum ait, Statuerunt, ut ascenderent Paulus et Barnabas, et quidam alii ad Apostolos, et presbyteros in Hierusalem super hac quæstione. Et paulo post, Tunc placuit Apostolis, et senioribus, Græce est presbyteris, id est Episcopis, cum omni Ecclesia eligere viros, et quæ sequuntur. Cum iis igitur Episcopis, cum quibus Apostoli de quæstione illa conquisierant, de iis etiam, quæ ad communem utilitatem, et ecclesiasticam disciplinam pertinebant, una conquisierunt; tradideruntque regulas, quas Clemens Romanus Canones ecclesiasticos sanctorum Apostolorum vocat; et sanctus Zepherinus constituta Apostolorum et LXX. sententias.” —Turrianus pro Canonibus Ap. lib. i. cap. 16, pp. 62, 63.]

⁴ [“ Nam et hos vere equidem ab Apostolis constitutos, a beatoque Clemente conscriptos esse, multis et certis adducor argumentis ut credam.” —Lamb. Gruterus, in Præf. ad Clementina: De Canonibus. Col. Agripp. 1570.]

Lindanus,⁵ Salmeron,⁶ aliique eandem amplexi sunt. Qui modestissime vero de antiquis hisce Canonibus locuti sunt, eos secundo saltem tertiove æræ Christianæ seculo, adeoque ante Concilium Nicænum, conditos collectosque asseruerunt. Ita e recentioribus senserunt eruditissimi viri Josephus Scaliger,⁷ Gabriel Albaspinæus,⁸ Petrus de Marca,⁹ Henricus Hammondus,¹ vel, ut semel dicam, omnes ante Jo. Dallæum qui ipsis eos Apostolis abjudicarunt. Neque enim ipse D. Blondellus iis eximendus est, quippe qui *Canones qui Apostolorum dicuntur, circa annum Dom. CCLXXX. conditos,* diserte affirmavit.² Et quamvis Jo. Dallæus vir sane doctissimus, et inter suos celeberrimus, aliis omnibus se unum

Blond. Apol. pro Sentent. Hieron. p. 317.

⁵ ["Anno Dom. Christi Jesu a nativitate L. Apostolorum Canones certo Apostolici."—W. Lindanus in Chronologia SS. Eccl. Christ. Patrum Scriptorumque, libro primo Panopliæ Evangelicæ præfixa. Conf. etiam lib. iii. cap. 3, p. 74.]

⁶ ["Et probabile est admodum tunc fuisse Canones Apostolorum ad recte gubernandam ecclesiam constitutos. . . . Quod vero hi sint LXXXV. Canones per Clementem conscripti, qui communiter Conciliorum libro præfiguntur, alio hujus libri commodiori loco, si non fallor, abunde demonstro; etiamsi a quibusdam temerarie ut Apocryphi rejiciuntur."—Salmeronis Commentarii in Evangelicam Historiam, tom. xii. tract. xlv. (In illa verba; 'Tam placuit Apostolis . . . salutem,' &c. Act. xv.) p. 301. Col. Agripp. 1604.]

⁷ ["Rursus neque sanguinem comedunt (Æthiopes), neque θηριώλωπον aut morticinium. In quo falso etiam Ἰουδαϊζοῦντις insimulantur, cum hoc sit ex vetustissimo ritu. Ut in Canone LV. eorum, qui dicuntur Apostolorum."—J. Scaliger de Emend. Temp.

in sect. in Computum Æthiopicum, p. 683, C, D.]

⁸ ["Quod efficit, ut credam id esse verissimum, quod ante dixi, Canones istos nihil esse aliud quam Breviarium et Epitomen privatorum Conciliorum, et rerum ab Episcopis privatis sancitarum, qui Ecclesias Græcas ante Concilium Nicænum administrarunt."—Gabrielis Albaspinæi de veteribus Ecclesie Ritibus Observationum Libri duo. Lib. i. Obs. 13, pp. 87, 88. Lut. Par. 1623.]

⁹ ["Difficile est in tam alto veterum scriptorum silentio tempus hujus collectionis indagare, quam tamen certum est Concilii Nicæni tempora antecessisse."—Petrus de Marca de Concord. Sacerd. et Imper. lib. iii. cap. 2, sect. 5, p. 131. Paris. 1669.]

¹ [An Answer to the Animadversions on the Dissertations touching Ignatius's Epistles, and the Episcopacy in them asserted. Chap. i. sect. 1; apud Hammondi Opera, tom. ii.]

² ["Imminutam per conditos circa A. D. cclxxx. qui Apostolorum dicuntur Canones presbyterorum omnium potestatem."—Blond. Apol. pro Sent. Hieron. p. 317. Amst. 1646.]

Dall. de
Pseud. lib.
iii. cap. 21,
p. 685.

opposuerit, et in tertio de Pseudepigraphis libro, toto contra Canones Apostolorum conscripto, eos non nisi quinto adulto, imo exeunte, seculo exstitisse, publicarique cœptos esse contenderit, id tamen apud omnes non evicit. Sed post librum istum a clarissimo viro anno Domini MDCLIII. editum, æque ac antea, media illa apud plerosque adhuc prævaluit sententia, quæ Canones hosce secundo tertiove æræ Christianæ seculo constitutos editosque judicat. Ut de aliis autem, quos plurimos tam e Gallia quam ex Anglia nostra, gravissimos in hac causa testes evocare possumus, in præsentia taceamus, duo illustrissimi viri, Petrus Gunning, et Joannes Pearson, ambo non ita pridem sacrosanctæ Theologiæ in Academia Cantabrigiensi Professores, nunc autem Episcopi, ille Ecclesiæ Eliensis, hic Cestrensis, dignissimi, hanc suam opinionem non tantum verbo sed et scriptis tradiderunt. Ille nimirum in pererudito isto ac omni antiquitate refertissimo 'De Jejunio Antepaschali,' opere, quod anno Domini MDCLXII. Anglice edidit, e quo me, in ista controversia occupatum, plurimum profecisse, lubens gratusque fateor. In isto enim opere vir spectatissimus, ut antiquæ religionis pariter ac doctrinæ exemplar, de secunda post Apostolos centuria verba habens, hæc dicit, *In secunda annorum centuria post ultimum Apostolorum (filiorum thalami) primum laudo Canones Apostolicos dictos, non ita dictos quod ab ipsis Apostolis, sed quod ab Apostolicis Episcopis, (qui haud raro lingua veterum Ἀποστολοι, teste Theodoro, aliisque, appellati sunt) ut proximis sive propinquis Apostolorum successoribus conditi fuerint. Quorum primos quinquaginta Canones centuria præcedenti constitutos fuisse probabile est, ut ultimos triginta quinque hac sive secunda centuria (si excipiamus solummodo ἀγναφον ἐπιβλημα, sive assumentum ultimo corrupte additum).* Hæc ille, in libro isto, quem, novem post Dallæanum de Pseudepigraphis publicatum annis, suo nomine dignum emisit. Alter autem, vir egregie itidem,

P. 40.

ut omnibus notum est, doctus, et in antiquitate ecclesiastica exercitatissimus, Canones Apostolorum vulgo dictos a Concilio Ephesino, a Constantino M. Imp., ab ipsa Synodo Nicæna, et ante eam ab Alexandro Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopo laudatos, ac proinde ante primam illam universalem Synodum editos fuisse, fuse doctissimeque contra Dallæum demonstravit: in Vindiciis scilicet Epistolarum S. Ignatii. Quod eximium opus eodem tempore, quo Annotationes nostræ in Pandectas Græcorum Canonum, hoc est anno Domini MDCLXXII. primum in lucem prodiiit, adeoque undevicesimo anno post divulgatum Dallæi librum de Pseudepigraphis Apostolicis. Hi igitur, aliique complures, quos recensere nihil negotii esset, viri undequaque doctissimi nihil in isto Dallæi opusculo invenire potuerunt, quo in ejus de Canonibus Apostolorum opinionem ducebantur: sed, posthabitis omnibus illius argumentis, Canones istos non modo ante quintum adultum, verum etiam ante quartum inchoatum seculum, sive ante Concilium Nicænum conditos editosque fuisse nobiscum arbitrati sunt. Neque inter omnes illos eruditos viros, qui aliquid hucusque literis mandarunt, quempiam adhuc videre contigit in Dallæanam istam de hisce Canonibus sententiam descendentem, præter unicum istum Anonymum scriptorem, qui Observationes in nostras Annotationes nuper edidit. Is autem non modo novitiam istam opinionem amplexus, verum et eandem defendere, atque ita hoc venerandum antiquitatis ecclesiasticæ monumentum nobis eripere, pro virili parte conatus est.

Part. i. cap.
4, pp. 51, 52.
[Apud Cot.
Pat. Ap. tom.
ii. p. 2, pp.
278-280.]

X. Quandoquidem igitur ad perpetuum Ecclesiæ universalis consensum de quibusvis fidei articulis ritibusve investigandum, permagni interest, semperque intererit, Ecclesiæ primitivæ doctrinam ac disciplinam accurate intelligere, grande nobis operæ pretium visum est, in Canonum istorum, quibus Apostolorum nomen per multa retro secula præfixum

fuit, antiquitatem inquirere, et expendere, annon illi primitivæ ante Concilium Nicænum Ecclesiæ disciplinam nobis exhibeant. Quod quidem in Annotationibus primo fecimus, probavimusque librum, quo isti Canones continentur, Codicem Canonum Ecclesiæ Primitivæ jure merito nuncupari posse. Hocque, ut modo ostendimus, conjunctis doctissimorum quorumque sententiis comprobatur. Siquidem vero eruditus ille, quem supra memoravimus, Observator, hanc, non tam nostram quam communem omnium pene doctorum, sententiam refellere, et novitiam istam a Dallæo primo excogitatum adstruere molitus est, hinc totam hanc quæstionem hoc volumine, in tres libros distributo, de integro pertractare necessarium duximus. Et primo quidem in libro antiquos hosce Canones non tantum ante quintum adultum, verumetiam quarto ineunte seculo passim laudatos fuisse, ex indubitatis veterum testimoniis demonstravimus; et quascunque contra testimonia a nobis allata vel ipse Dallæus, vel post eum Observator objecit exceptiones, eas omnes plenissime, ut opinor, solutas dedi. Adeo ut nihil ab erudito Observatore contra Annotationes nostras dictum fuerit, cui hic non respondetur; nisi quod conjecturam nostram, de Clemente non Romano sed Alexandrino horum Canonum collectore, ab ejus exceptionibus vindicare omisimus, propterea quod earum infirmitas primo cuivis intuitu satis pateat, quod hæc alia sit quæstio ab ea quam hic tractamus, et denique quod hanc non tanquam sententiam nostram, sed tanquam probabilem solummodo conjecturam proposuimus, quæ si cuilibet minus placuerit, meliorem ille adinveniat, et nos summa gratiarum actione beneficium ejus complectemur. Cum clarissimus autem Dallæus ex ipsa etiam horum Canonum materia contra eorum antiquitatem disputaverit, contenderitque plurima in iis decreta veteri Ecclesiæ incognita fuisse ac inaudita, hinc in secundo libro singulos hujusmodi Canones a doctissimo viro

impugnatos defendimus, et nihil in iis constitutum esse probamus, quod non in primitivæ ante Concilium Nicænum Ecclesiæ doctrinam ac disciplinam ad amussim quadrat. Summam vero curam in istos Canones intendimus, quorum gratia tota collectio oppugnata videtur, in istos scilicet qui de Episcopis, de Metropolitanis, et de statis Ecclesiæ jejuniis agunt. De Episcopis, fateor, multi exstant eruditissimi tractatus, quibus eos ab ipsis Apostolis supra presbyteros constitutos fuisse extra dubium efficitur. Sed nihilominus, cum Dallæus pariter atque Observator stylum suum contra hos Canones eo præcipue exercuisse videatur, quod Episcoporum eminentia ac auctoritas toties in iis commemoretur, causæ a me susceptæ ratio postulavit, ut nec istam quæstionem penitus intactam relinquerem. In qua tamen controversia discutienda, ut et per totum etiam opus, intra ultimam antiquitatem me continui. Quandoquidem denique doctissimus Dallæus de statis Ecclesiæ jejuniis singularem librum edidit, quo eorum antiquitatem, de qua sola hic disputamus, elevare conatus est, hinc plura de illis disserere coactus fui, quam quæ in unum caput commode referri poterant. Ac propterea de iis in tertio libro seorsim agimus.

X. Sed nonnulli, ut aiunt, e fratribus nostris Ecclesiæ in Gallia reformatæ moleste ferunt, quod Ecclesiæ nostræ Anglicanæ, reformatæ utique, filii eruditas Jo. Dallæi τοῦ μακαρίτου lucubrationes impugnaverint. Verum facilis est et prompta responsio. Nos enim contra doctissimum illum virum alia de causa non disputamus, quam ut nostram defendamus Ecclesiam, eam scilicet, quæ ab ipso illo Jo. Dallæo, digne ac meretur, sæpe commendata fuit. Præsertim ubi hæc ab eo dicta sunt, *Anglicanam ego Ecclesiam*

Dall. de
Cult. Rel.
Latin. lib. ii.
cap. i. [pp. 97,
98.]

exoticis, pravis, superstitiosis cultibus, erroribusque aut impiis aut periculosis egregie ex Scripturarum celestium norma purgatam, tot tamque illustribus martyriis probatam, pietate in

*Deum, in homines caritate, laudatissimisque bonorum operum exemplis abundantem, lætissimo doctissimorum ac sapientissimorum virorum proventu jam a reformationis principio ad hodierna usque tempora florentem, equidem eo, quo debui, loco ac numero habui hactenus, ac dum vivam habebo: ejus honos, nomen, laudes semper apud me manebunt. Testes meæ hujus de præstantissima illa Ecclesia existimationis possum laudare non paucos, neque contemnendos viros, etiam præcipuæ apud eam et virtutis et dignitatis Anstititem. Itaque qui hac mente, hoc animo hactenus fui, non potui non judicare insignem mihi ab iis fieri injuriam, qui mecum sic agant quasi de Britannica vel Ecclesia vel reformatione male sentiam. Hæc ipsissima sunt viri eruditi de nostra Ecclesia verba. Quæ tamen vera esse aliter probare non possumus, nisi ea, quæ alibi dixit, falsa esse demonstramus. Idem enim ille, qui tot tantisque laudibus Ecclesiam nostram, et quidem jure meritissimo, celebravit, aliis in locis contra omnes fere ritus ab ea receptos ac usitatos, imo contra totam illius disciplinam, ut per Episcopos presbyteris prælatos administratam, scripsit. Nam *crucis signum* in baptismo a nobis adhibitum, contra luculentissima antiquitatis testimonia, a *majorum baptismo tribus primis Christianismi seculis abfuisse videri* asserit.³ Genuflexionem in Eucharistia accipienda non ante an. Dom. CCC. usurpatam statuit.⁴ Interrogationes ac responsiones in baptismo parvulorum absurditatis arguit. Adhæc contra jejunium Quadragesimale, quod per singulos anno ante Pascha, necnon contra ea, quæ per singulas septimanas ab Ecclesia nostra celebrantur, ille totum, ut cuique*

Dall. de
Cult. Rel.
Latin. lib. i.
cap. 13, [p.
63.]
Ibid. lib. vi.
cap. 1, [p.
723.]

Ibid. lib. i.
cap. 17, [pp.
89-93.]

³ ["Nunc satis est observare, illa tam multa, quæ in omnibus Latini baptismatis partibus occurrunt, crucis signa, omnia a majorum baptismo tribus primis Christianismi seculis abfuisse videri."—Dall. de Cult. Relig. Lat. lib. i. cap. 13, p. 63. Gen. 1671.]

⁴ ["Neque vel Justinus Eucharistiam describens, vel alii istius ad A.D. ccc. memoriæ scriptores genuflexos communicasse antiquissimos illos Christianos memorant."—Dall. de Cult. Rel. Lat. lib. vi. cap. 1, p. 723.]

notum est, librum conscripsit. Quin idem etiam singulare opus edidit, quo confirmationem meram esse baptismi cœremoniam ac appendicem, eamque a presbyteris æque ac ab Episcopis olim collatam fuisse, atque adhuc conferri posse contendit.⁵ Non me latet prudentissimum virum, *Sancte coram Domino omnium nostrorum arcanorum conscio affirmare se sanctissimæ illius (Anglicanæ) ac vere Christianæ Ecclesiæ fidem vel ritus nullo, ne levissimo quidem, verbo, in tota de Confirmationis Sacramento disputatione laccessivisse, vel perstrinxisse, ac ne ullam quidem hujusmodi cogitationem dum illud opus scriberet, ei in mentem venisse.*⁶ Scio etiam eundem verbis conceptis asseverare, *Confirmationem, qua nunc utitur Ecclesia Anglicana, multo melius ac sapientius, magisque ad Christianismi ingenium constitutam esse, quam quæ in veterum quarti et deinceps seculi libris olim fuisse deprehenditur* (quod tamen majus est quam Ecclesia nostra sibimet unquam arrogavit.) Et quidem hæc sancte adeo asserenti plenissimam fidem non adhibere nefas ducimus. Sed nihilominus quæ de hoc ritu scripsit nostræ Ecclesiæ, utut ab eo laudatæ, planissime adversantur: utpote quæ cum veteri Ecclesia Baptismum quidem a presbyteris, Confirmationem vero ab Episcopis solis conferendam esse decrevit, adeoque hanc ab illo apertissime distinxit. Porro Metropolitanorum jura, ab Ecclesia nostra religiose conservata, novitatis insimulat, et Nicæna ac Antiochena Synodis haud vetustiora facit. Quod quam falsum sit, ex iis, quæ de Metropolitanis in hoc tractatu disseruimus, abunde satis, ut opinor, constat.

Dall. de
Cult. Rel.
Latin. lib. ii.
cap. 38, [p.
281.]

Ibid. lib. ii.
cap. 3, [p.
104.]

Dall. de
Pseud. lib.
iii. cap. 17,
[p. 625.]

⁵ [Dallæi de duobus Latinorum ex Unctione Sacramentis, Confirmatione, et Extrema, ut vocant, Unctione Disputatio. Genevæ, 1659.]

⁶ [“ Atqui si hæc vere mens ejus fuit, in alium quemvis potius quam in nos calamum stringere debuit, qui sanctissimæ illius, et vere Christianæ Ecclesiæ fidem vel ritus nullo, ne levis-

simo quidem, verbo disputatione nostra laccessivimus, vel perstrinximus; ac ne ullam quidem hujusmodi cogitationem, dum illud opus scriberemus, nobis in mentem venisse, sancte coram Domino omnium nostrorum arcanorum conscio affirmare possum.”—Dall. de Cult. Rel. Lat. lib. ii. cap. 38, p. 281.]

Ut alia hic missa faciam, in omnibus fere, quos emisit, libris, in Episcoporum supra presbyteros eminentiam atque auctoritatem gravissime invehitur, nihil antiquitus discriminis inter Episcopos et presbyteros fuisse acriter contendit, *Istumque Episcopatum sic a presbyteratu, ut hodie fit, et jam olim a tertio Christianismi seculo factum est, distinctum, rem esse, non Apostolicæ, sed Ecclesiasticæ, adeoque humanæ institutionis*, cum Blondello affirmat. Et veritus, ut mustea hæc opinio ullam apud eruditos fidem inveniat, si qui auctoritas S. Ignatii Epistolis et Canonibus Apostolorum attribuitur, ambo hæc veneranda antiquitatis Ecclesiasticæ monumenta summis viribus adortus est; et Sancti quidem Ignatii Epistolas non ante tertii seculi finem,⁷ nec Canones Apostolorum ante quintum, illudque adultum, consarcinatos esse asseruit. Quod si hoc commentum verum esset si tota Ecclesiæ nostræ per Episcopos administratio mera esset, Calviniani instar figmenti, humana inventio atque institutio, nihil erat quod Dallæus tantis eam laudibus dignaretur. Nobis sane hæc maxima videtur contumelia, qua quævis Ecclesia onerari potest. Ac proinde nulla est causa, cur fratres nostri molestia ex eo afficerentur, quod nos sanctissimam nostram matrem, Ecclesiam Anglicanam, ab omnibus hujusmodi indignitatibus, pro sua quisque parte, tueamur. Ratio potius flagitat, ut nos iniquissime feramus, quod doctissimus Dallæus tam sanctam, tam puram, ipso etiam iudice, Ecclesiam toties lacerare eniteretur. Illum quidem summo ingenio, præstanti eruditione ac doctrina, nec minori pietate virum fuisse, et de Ecclesia reformata plurimis in rebus optime meritum, ultro omnes hic confitemur. Verum id male nos habet, quod ille contra

Dall. de
Pseud. lib. 1.
cap. 10, [p.
124.]

⁷ [De scriptis quæ sub Dionysii Areopagitæ, et Ignatii Antiocheni nominibus circumferuntur Libri Duo; quibus demonstratur illa subdititia

esse, diu post martyrum, quibus falso tribuuntur, obitum ficta. Genevæ, 1666.]

Ecclesiam Romanam disputans nostram etiam, tanquam iisdem erroribus obnoxiam, sub communi Latinorum nomine indiscriminatim oppugnarit, nusquam distinguens inter eosdem ritus ut a Romana atque a nostra Ecclesia usitatos, etiamsi plurimum interesse bene norit: id autem pessime, quod, cum fratres nostri Gallicani notissimum haberent, a quot quantisque domesticis inimicis Anglicanæ hæc nostra, ab ipsis passim laudata, Ecclesia ultro citroque hinc Pontificiis, illinc sectariis premitur, tamen nihilominus ipsi etiam extranei eam una comprimere ac debilitare conarentur. Sed agendum procedant. Nulli enim dubitamus, quin Deus Opt. Max., Cujus solius præsidio confidimus, Ecclesiam polite adeo e Sacris Ipsius Scripturis, juxta perpetuam universalis Ipsius Ecclesiæ praxim et consensionem interpretatis, reformatam contra omnes cujusque modi adversariorum impetus ita defenderit, ut juxta fidelissimum Domini promissum, *Ipsæ inferorum portæ adversus eam nunquam prævaliturae sint.*

CODEX CANONUM ECCLESIAE PRIMITIVÆ,

QUI VULGO

CANONES SS. APOSTOLORUM

APPELLANTUR.

UNA CUM LIBRO ET CAPITE, QUIBUS IN HOC TRACTATU VINDICANTUR AUT
ILLUSTRANTUR, SUBINDICATIS.

Κανὼν α΄.

Ἐπίσκοπος χειροτονείσθω ὑπὸ ἐπι-
σκόπων δύο ἢ τριῶν.

β΄.

Πρεσβύτερος ὑπὸ ἑνὸς ἐπισκόπου
χειροτονείσθω, καὶ διάκονος, καὶ οἱ
λοιποὶ κληρικοί.

γ΄.

Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος,
παρὰ τὴν τοῦ Κυρίου διάταξιν τὴν
ἐπὶ τῷ θυσίᾳ, προσένεγκῃ ἕτερά τινα
ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, ἢ μέλι, ἢ
γάλα, ἢ ἀντὶ οἴνου σίκερα ἐπιτη-
δευσά, ἢ ὄρνεις, ἢ ζῶά τινα, ἢ
ὄσπρια, παρὰ τὴν διάταξιν, κα-
θαιρείσθω πλὴν νέων χίδρων, ἢ

CANON I.

EPISCOPUS a duobus vel
tribus Episcopis ordinetur.—
Lib. ii. cap. 2.

II.

Presbyter ab uno Episcopo
ordinetur, et diaconus, et re-
liqui clerici.— Lib. i. capp. 2,
10, 11.

III.

Si quis Episcopus, vel pres-
byter, præter Domini de Sa-
crificio ordinationem, alia quæ-
dam ad altare attulerit, vel
mel, vel lac, vel pro vino
siceram factitiam, vel aves, vel
aliqua animalia, vel legumina,
præter ordinationem, depo-

σταφυλῆς τῷ καιρῷ τῷ δέοντι. Μὴ ἐξὸν δὲ ἔστω προσάγεσθαι τι ἕτερον εἰς τὸ θυσιαστήριον ἢ ἔλαιον εἰς τὴν λυχνίαν, καὶ θυμίαμα τῷ καιρῷ τῆς ἀγίας προσφορᾶς.

natur: præterquam novas spicas vel uvam tempore opportuno. Ne liceat autem aliquid aliud ad altare offerre, quam oleum ad luminare et incensum tempore sanctæ oblationis.—Lib. ii. capp. 2, 10.

δ.

Ἡ ἄλλη πᾶσα ὀπώρα εἰς οἶκον ἀποστελλέσθω, ἀπαρχὴ τῷ ἐπισκόπῳ καὶ τοῖς πρεσβυτέροις, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὸ θυσιαστήριον. Δῆλον δὲ, ὡς ὁ ἐπίσκοπος καὶ οἱ πρεσβύτεροι ἐπιμερίζουσι τοῖς διακόνους, καὶ τοῖς λοιποῖς κληρικῶς.

IV.

Omnis alius fructus domum mittatur, primitiæ Episcopo et presbyteris, sed non super altare. Clarum vero est, quod Episcopus et presbyteri diaconis, et reliquis clericis distribuunt.—Lib. ii. capp. 2, 10.

ε.

Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα μὴ ἐκβαλλέτω προφάσει εὐλαβείας· εἰ δὲ ἐκβάλλῃ, ἀφοριζέσθω· ἐπιμένων δὲ, καθαιρείσθω.

V.

Episcopus, vel presbyter, vel diaconus uxorem suam ne ejiciat religionis prætextu: sin autem ejecerit, segregetur: et si perseveret, deponatur.

ς.

Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος κοσμικὰς φροντίδας μὴ ἀναλαμβάνετω· εἰ δὲ μὴ, καθαιρείσθω.

VI.

Episcopus, vel presbyter, vel diaconus, seculares curas non suscipiat. Alioqui deponatur.

ζ.

Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, τὴν ἀγίαν τοῦ Πάσχα ἡμέραν πρὸ τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας μετὰ Ἰουδαίων ἐπιτελέσει, καθαιρείσθω.

VII.

Si quis Episcopus, vel presbyter, vel diaconus, sanctum Paschæ diem ante vernum æquinoctium cum Judæis celebraverit, deponatur.—Lib. ii. cap. 3.

η.

Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος,

VIII.

Si quis Episcopus, vel pres-

ἢ διάκονος, ἢ ἐκ τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ προσφορᾶς γενομένης μὴ μεταλάβοι, τὴν αἰτίαν εἰπάτω, καὶ εἰδὼν ἢ εὐλογος, συγγνώμης τυγχανέτω· εἰ δὲ μὴ λέγοι, ἀφοριζέσθω, ὡς αἴτιος βλάβης γενόμενος τῷ λαῷ, καὶ ὑπόνοιαν ἐμποιήσας κατὰ τοῦ προσεγγεγκαντος, ὡς μὴ ὑγιᾶς ἀνεγγεγκαντος.

byter, vel diaconus, vel ex sacerdotali catalogo facta oblatione non communicaverit, causam dicat: et si probabilis fuerit, veniam consequatur. Si autem non dicat, segregetur, ut qui populo offensionis causa sit, et suspicionem dederit, adversus eum qui obtulit, tanquam non recte obtulerit.— Lib. ii. capp. 3, 10.

θ'.

Πάντας τοὺς εἰδόντας πιστοὺς καὶ τῶν γραφῶν ἀκούοντας, μὴ παραμένοντας δὲ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ ἀγία μεταλήψει, ὡς ἀταξίαν ἐμποιούντας τῇ ἐκκλησίᾳ, ἀφορίζεσθαι χρῆ.

IX. Omnes fideles, qui ingrediuntur, et Scripturas audiunt, in precatione autem et sacra communionem non permanent, ut Ecclesiae confusionem afferentes, segregari oportet.— Lib. ii. cap. 3.

ί.

Εἴ τις ἀκοινωνήτῃ κἄν ἐν οἴκῳ συνεύξηται, οὗτος ἀφοριζέσθω.

X.

Si quis cum excommunicato vel in domo una precatus fuerit, is segregetur.

ια.

Εἴ τις καθηρημένῳ κληρικῷ ὡν κληρικῷ συνεύξηται, καθαιρείσθω καὶ αὐτός.

XI.

Si quis, cum sit clericus, una cum deposito clerico oraverit, deponatur et ipse.

ιβ.

Εἴ τις κληρικῷ, ἢ λαϊκῷ ἀφωρισμένος, ἤτοι ἀδεκτος, ἀπελθὼν ἐν ἑτέρᾳ πόλει δεχθῆ ἄνευ γραμμάτων συστατικῶν, ἀφοριζέσθω καὶ ὁ δεξιόμενος, καὶ ὁ δεχθεὶς.

XII.

Si quis clericus vel laicus segregatus, sive non recipiendus, discedens in alia urbe receptus fuerit, absque literis commendatitiis, segregetur, et qui recepit, et qui receptus est.

ιγ'.

Εἰ δὲ ἀφορισμένος εἴη, ἐπιτείνεσθω αὐτῷ ὁ ἀφορισμός.

XIII.

Si vero excommunicatus fuerit, aggravetur ei excommunicatio.

ιδ'.

Ἐπίσκοπον μὴ ἐξεῖναι καταλείψαντα τὴν ἑαυτοῦ παροικίαν, ἐτέρᾳ ἐπιπηδᾶν, κἄν ὑπὸ πλειόνων ἀναγκάζηται· εἰ μὴ τις εὐλογος αἰτία ἢ τοῦτο βιαζομένη αὐτὸν ποιῆν, ὡς πλεόν τι κέρδος δυναμένου αὐτοῦ τοῖς ἐκεῖσε λόγῳ εὐσεβείας συμβάλλεσθαι· καὶ τοῦτο δὲ οὐκ ἀφ' ἑαυτοῦ, ἀλλὰ κρῖσει πολλῶν ἐπισκόπων, καὶ παρακλήσει μεγίστη.

XIV.

Episcopo non liceat, sua relicta parochia, ad aliam transilire, etiamsi a pluribus cogatur; nisi sit aliqua causa rationi consentanea, quæ eum cogat hoc facere, utpote cum possit ipse majus lucrum iis qui illic habitant pietatis verbo conferre; idque non ex se, sed multorum Episcoporum judicio et maxima exhortatione.

ιε'.

Εἰ τις πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὄλως τοῦ καταλόγου τῶν κληρικῶν ἀπολείψας τὴν ἑαυτοῦ παροικίαν, εἰς ἐτέραν ἀπέλθῃ, καὶ παντελῶς μεταστὰς διατρέβῃ ἐν ἄλλῃ παροικίᾳ παρὰ γνώμην τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου· τοῦτον κελεύομεν μηκέτι λειτουργεῖν· εἰ μάλιστα προσκαλούμενου αὐτὸν τοῦ ἐπισκόπου αὐτοῦ ἐπανελθεῖν, οὐκ ὑπήκουσεν, ἐπιμένων τῇ ἀταξίᾳ· ὡς λαϊκὸς μέντοι ἐκεῖσε κοινωνεῖτω.

XV.

Si quis presbyter, vel diaconus, vel omnino ex clericorum catalogo, relicta sua parochia, ad aliam discesserit, et cum penitus transierit, præter sui Episcopi sententiam in alia parochia manserit, eum non amplius celebrare jubemus: maxime si, eum adhortante Episcopo suo ut rediret, non paruerit, in contumacia perseverans. Is autem ibi ut laicus communicet.

ις'.

Εἰ δὲ ὁ ἐπίσκοπος, παρ' ᾧ τυγχάνουσιν, παρ' οὐδὲν λογισάμενος τὴν κατ' αὐτῶν ὀρθοθεῖσαν ἀργίαν,

XVI.

Quod si Episcopus, apud quem sunt, nihili faciens decretam adversus eos a munere

δέξεται αὐτοὺς ὡς κληρικούς, ἀφο-
ριζέσθω, ὡς διδάσκαλος ἀταξίας.

cessationem, eos ut clericos
receperit, segregetur, ut con-
fusionis magister.

ιζ.

Ὁ δὺςὶ γάμοις συμπλακεῖς
μετὰ τὸ βάπτισμα, ἢ παλλακὴν
κτησάμενος, οὐ δύναται εἶναι ἐπί-
σκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διά-
κονος, ἢ ὄλως τοῦ καταλόγου τοῦ
ιερατικοῦ.

XVII.

Qui post baptismum duobus
conjugiis fuit implicitus, vel
concubinam habuit, non po-
test esse Episcopus, vel pres-
byter, vel diaconus, vel omnino
ex numero sacerdotali. — Lib.
ii. cap. 4.

ιη.

Ὁ χήραν λαβών, ἢ ἐκβεβλη-
μένην, ἢ ἐταῖραν, ἢ οἰκέτιν, ἢ
τῶν ἐπὶ σκηνῆς, οὐ δύναται εἶναι
ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διά-
κονος, ἢ ὄλως τοῦ καταλόγου τοῦ
ιερατικοῦ.

XVIII.

Qui viduam accepit, vel
ejectam, vel meretricem, vel
servam, vel scenicam, non po-
test esse Episcopus, vel pres-
byter, vel diaconus, vel om-
nino ex numero sacerdotali.

ιβ.

Ὁ δύο ἀδελφὰς ἀγαγόμενος,
ἢ ἀδελφιδὴν, οὐ δύναται εἶναι κλη-
ρικός.

XIX.

Qui duas sorores duxit vel
consobrinam, non potest esse
clericus.

κ.

Κληρικός ἐγγύας διδοὺς καθαι-
ρεῖσθω.

XX.

Clericus fidejubens depo-
natur.

κα.

Εὐνοῦχος, εἰ μὲν ἐξ ἐπιτηρείας
ἀνθρώπων ἐγένετό τις, ἢ ἐν διωγμῶ
ἀφρηθή τὰ τῶν ἀνδρῶν, ἢ οὔτως
ἔφυ, καὶ ἐστὶν ἄξιος, ἐπίσκοπος
γινέσθω.

XXI.

Eunuchus, si ex hominum
quidem injuria factus sit quis-
piam, vel in persecutione viri-
libus sit privatus, vel sic natus,
et dignus sit, fiat Episcopus.
— Lib. ii. cap. 4.

κβ.

Ὁ ἀκρωτηριάσας ἑαυτὸν, μὴ

XXII.

Qui seipsum mutilavit, ne

γινέσθω κληρικὸς· αὐτοφονευτὴς γὰρ ἐστὶν ἑαυτοῦ, καὶ τῆς τοῦ Θεοῦ δημιουργίας ἐχθρὸς.

sit clericus : est enim sui homicida, et Dei opificii hostis.—Lib. ii. cap. 4.

κγ'.

XXIII.

Εἴ τις, κληρικὸς ὢν, ἑαυτὸν ἀνὰ κρωτηριάσει, καθαιρεῖσθω· φονεὺς γὰρ ἐστὶν ἑαυτοῦ.

Si quis, cum sit clericus, seipsum mutilaverit, deponatur : est enim sui homicida.—Lib. ii. cap. 4.

κδ'.

XXIV.

Λαϊκὸς ἑαυτὸν ἀκρωτηριάσας ἀφορίζεσθω ἔτη τρία· ἐπίβουλος γὰρ ἐστὶν τῆς ἑαυτοῦ ζωῆς.

Laicus qui seipsum mutilavit, tribus annis segregetur. Est enim sui ipsius vitæ insidiator.—Lib. ii. cap. 4.

κε'.

XXV.

Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος ἐπὶ πορνείᾳ, ἢ ἐπιουρκίᾳ, ἢ ἐπὶ κλοπῇ ἀλοῦς, καθαιρεῖσθω, καὶ μὴ ἀφορίζεσθω. Λέγει γὰρ ἡ γραφή, Οὐκ ἐκδικήσεις δις ἐπὶ τὸ αὐτό. Ὡσαύτως καὶ οἱ λοιποὶ κληρικοί.

Episcopus, vel presbyter, vel diaconus fornicationis, vel perjurii, vel furti convictus, deponatur, et non segregetur. Dicit enim Scriptura, Non vindicabis bis in id ipsum. Similiter reliqui quoque clerici.

κς'.

XXVI.

Τῶν εἰς κλῆρον προσελθόντων ἀγάμων, κελεύομεν βουλομένους γαμεῖν ἀναγνώστας καὶ ψάλτας μόνους.

Ex iis qui non ducta uxore ad clerum promoti sunt, jubemus, si velint, uxores ducere, lectores, et cantores solos.—Lib. ii. cap. 10.

κζ'.

XXVII.

Ἐπίσκοπον, ἢ πρεσβύτερον, ἢ διάκονον, τύπτοντα πιστοὺς ἀμαρτάνοντας, ἢ ἀπίστους ἀδικήσαντας, καὶ διὰ τούτων φοβεῖσθαι θέλοντα, καθαιρεῖσθαι προστάττομεν· οὐδαμῶ γὰρ ὁ Κύριος τούτο ἡμᾶς

Episcopum, vel presbyterum, vel diaconum, qui verberat fideles qui peccant, vel infideles qui injuriam fecerunt, et per hæc vult perterrefacere, deponi jubemus. Dominus

ἰδίδαξε· τούναντίον δὲ, αὐτὸς τυπ-
τόμενος οὐκ ἀντέτυπτε· λοιδορού-
μενος οὐκ ἀντελοιδορεῖ· πάσχων οὐκ
ἠπέλλει.

enim nos nequaquam hoc do-
cuit: contra autem ipse ver-
beratus non repercussit; male-
dictis petitus, maledicta non
retulit; patiens non minatus
est.—Lib. ii. c. 4.

κή.

Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος,
ἢ διάκονος, καθαιρεθεὶς δικαίως ἐπι-
ἐγκλήμασι φανεροῖς, τολμήσειεν
ἄψασθαι τῆς ποτὲ ἐγχειρισθείσης
αὐτῷ λειτουργίας, παντάπασιν ἐκ-
κοπτέσθω τῆς ἐκκλησίας.

XXVIII.
Si quis Episcopus, vel pres-
byter, vel diaconus, juste ob
manifesta crimina depositus
sibi aliquando concreditum
ministerium attingere audeat,
ab Ecclesia omnino abscin-
datur.

κθ'.

Εἴ τις ἐπίσκοπος διὰ χρημά-
των τῆς ἀξίας ταύτης ἐγκρατῆς
γένηται, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος,
καθαιρεῖσθω καὶ αὐτὸς καὶ ὁ χειρο-
τονήσας· καὶ ἐκκοπτεσθω καὶ τῆς
κοινωνίας παντάπασιν· ὡς Σίμων ὁ
Μάγος ὑπ' ἐμοῦ Πέτρου.

XXIX.
Si quis Episcopus per pecu-
niam hanc sit dignitatem asse-
cutus, vel presbyter, vel dia-
conus, deponatur et ipse et
qui eum ordinavit, et a com-
munionem etiam omnino exscin-
datur, ut Simon Magus a me
Petro.—Lib. i. c. 17.

λ'.

Εἴ τις ἐπίσκοπος κοσμικοῖς ἄρ-
χοσι χρησάμενος, δι' αὐτῶν ἐγκρα-
τῆς ἐκκλησίας γένηται, καθαιρεῖσθω
καὶ ἀφοριζέσθω, καὶ οἱ κοινωνοῦντες
αὐτῷ ἅπαντες.

XXX.
Si quis Episcopus seculari-
bus principibus usus, per eos
Ecclesiam adeptus sit, deponatur
et segregetur, et omnes
qui illi communicant.—Lib. ii.
c. 4.

λά.

Εἴ τις πρεσβύτερος, καταφρονήσας
τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου, χωρὶς συνα-
γάγῃ, καὶ θυσιαστήριον ἕτερον πῆξῃ,
μηδὲν κατεγνωκῶς τοῦ ἐπισκόπου ἐν
εὐσεβείᾳ καὶ δικαιοσύνῃ, καθαι-

XXXI.
Si quis presbyter, contempto
proprio Episcopo, seorsim col-
lectas egerit, et alterum altare
fixerit, Episcopo suo in reli-
gione et justitia nulla in re a

ρείσθω ὡς φίλαρχος· τύραννος γάρ ἐστιν. Ὡσαύτως δὲ καὶ οἱ λοιποὶ κληρικοί, καὶ ὅσοι ἂν αὐτῷ προσθῶνται. Οἱ δὲ λαϊκοὶ ἀφορίζεσθωσαν. Ταῦτα δὲ μετὰ μίαν, καὶ δευτέραν, καὶ τρίτην παράκλησιν τοῦ ἐπισκόπου γινέσθω.

λβ΄.

Εἴ τις πρεσβύτερος ἢ διάκονος ὑπὸ ἐπισκόπου γένηται ἀφωρισμένος, τοῦτον μὴ ἐξεῖναι παρ' ἐτέρου δεχθῆναι, ἀλλ' ἢ παρὰ τοῦ ἀφορίζαντος αὐτὸν, εἰ μὴ ἂν κατὰ συγκυρίαν τελευτήσῃ ὁ ἀφορίζας αὐτὸν ἐπίσκοπος.

λγ΄.

Μηδένα τῶν ξένων ἐπισκοπων, ἢ πρεσβυτέρων, ἢ διακόνων ἄνευ συστατικῶν προσδέχεσθαι· καὶ ἐπιφερομένων αὐτῶν, ἀνακρίνεσθωσαν· καὶ ἂν μὲν ᾧσιν κήρυκες τῆς εὐσεβείας, προσδεχέσθωσαν. Εἰ δὲ μὴ γέ, τὰ πρὸς χρείαν αὐτοῖς ἐπιχορηγήσαντες, εἰς κοινωσίαν αὐτοῦς μὴ προσδέξῃσθε. Πολλὰ γὰρ κατὰ συναρπαγὴν γίνεται.

λδ΄.

Τοὺς ἐπισκόπους ἐκάστου ἔθνους εἶδέναι χρὴ τὸν ἐν αὐτοῖς πρῶτον, καὶ ἠγεῖσθαι αὐτὸν ὡς κεφαλὴν, καὶ μηδὲν τι πράττειν περιττὸν ἄνευ τῆς ἐκείνου γνώμης· ἐκεῖνα δὲ μόνον πράττειν ἕκαστον, ὅσα τῇ αὐτοῦ παροικίᾳ ἐπιβάλλει, καὶ

se condemnato, deponatur, ut ambitiosus: est enim tyrannus. Similiter etiam et reliqui clerici, et quotquot ei accesserunt. Laici autem segregentur. Hæc vero post unam, alteramque, et tertiam Episcopi admonitionem fiant. —Lib. ii. c. 10.

xxxii.

Si quis presbyter vel diaconus ab Episcopo sit segregatus, non liceat alii eum suscipere, quam qui ipsum segregavit: nisi forte mortuus sit Episcopus, qui eum segregavit.

xxxiii.

Nullus externorum Episcoporum, vel presbyterorum, vel diaconorum sine commendatiis recipiatur. His vero alatis, examinentur: et si fuerint præcones pietatis, recipiantur. Sin minus, iis quæ sunt necessaria illis exhibitis, ad communionem eos ne admittatis. Multa enim per surreptionem fiunt.

xxxiv.

Episcopus uniuscujusque gentis nosse oportet illum qui in eis est primus, et existimare eum ut caput, et nihil facere, quod sit magni momenti, præter illius sententiam; illa autem sola facere unumquemque,

ταῖς ὑπ' αὐτὴν χώραις. Ἄλλὰ μὴδὲ ἐκεῖνος ἄνευ τῆς πάντων γνώμης ποιείτω τι οὕτω γὰρ ὁμόνοια ἔσται, καὶ δοξασθήσεται ὁ Θεὸς διὰ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ὁ Πατὴρ διὰ Κυρίου ἐν Ἁγίῳ Πνεύματι. Ὁ Πατὴρ, καὶ ὁ Υἱὸς, καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον.

quæ ad suam parochiam pertinent, et pagos qui ei subsunt. Sed nec ille absque omnium sententia aliquid agat. Sic enim erit concordia, et gloriificabitur Deus per Dominum Jesum Christum; et Pater per Dominum in Spiritu Sancto. Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus.—Lib. ii. cap. 5; lib. i. cap. 4.

λῆ.

XXXV.

Ἐπίσκοπον μὴ τολμᾶν ἔξω τῶν αὐτοῦ ὄρων χειροτονίας ποιεῖσθαι, εἰς τὰς μὴ ὑποκειμένας αὐτῷ πόλεις ἢ χώρας· εἰ δὲ ἐλεγχθεῖη τοῦτο πεπονηκῶς παρὰ τὴν τῶν κατεχόντων τὰς πόλεις ἐκείνας ἢ χώρας γνώμην, καθαιρέσθω καὶ αὐτὸς καὶ οὗς ἐχειροτόνησεν.

Episcopus ne audeat extra suos fines ordinationes facere in urbibus aut pagis ei non subjectis. Sin autem hoc fecisse convictus fuerit, præter eorum sententiam, qui tenent urbes illas vel pagos, deponatur et ipse, et quos ordinavit.

λδ'.

XXXVI.

Εἴ τις χειροτονηθεὶς ἐπίσκοπος μὴ καταδέχοιτο τὴν λειτουργίαν καὶ τὴν φροντίδα τοῦ λαοῦ τὴν ἐγγεγραμμένην αὐτῷ, τοῦτον ἀφορισμένον τυγχάνειν, ἕως ἂν καταδέξηται ὡσαύτως καὶ πρεσβύτερος καὶ διάκονος. Εἰ δὲ ἀπέλθων μὴ δεχθῆ, οὐ παρὰ τὴν ἑαυτοῦ γνώμην, ἀλλὰ παρὰ τὴν τοῦ λαοῦ μοχθηρίαν, αὐτὸς μενετω ἐπίσκοπος, ὁ δὲ κληρὸς τῆς πόλεως ἀφοριζέσθω, ὅτι τοιοῦτου λαοῦ ἀνυποτάκτου παιδεύεται οὐκ ἐγένοντο.

Si quis ordinatus Episcopus non suscipiat ministerium et curam populi sibi commissam, sit segregatus, donec eam susceperit. Similiter etiam presbyter et diaconus. Sin autem profectus non susceptus fuerit, non sua quidem voluntate, sed propter populi improbitatem, ipse maneat Episcopus: clerus autem civitatis segregetur, quod ejusmodi insolentis populi correctores non fuerunt.

λε'.

XXXVII.

Δεύτερον τοῦ ἔτους σύνοδος γινέσθω τῶν ἐπισκόπων, καὶ ἀνακρινέτωσαν

Bis in anno fiat Episcoporum Synodus, et inter se exa-

ἀλλήλως τὰ δόγματα τῆς εὐσεβείας, καὶ τὰς ἐμπιπτούσας ἐκκλησιαστικὰς ἀντιλογίας διαλυέτωσαν· ἅπαξ μὲν, τῇ τετάρτῃ ἑβδομάδι τῆς Πεντηκοστῆς, δεύτερον δὲ Ὑπερβερεταίου δωδεκάτῃ.

λθ.

Πάντων τῶν ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων ὁ ἐπίσκοπος ἐχέτω τὴν φροντίδα, καὶ διοικεῖτω αὐτὰ ὡς τοῦ Θεοῦ ἐφορῶντος· μὴ ἐξεῖναι δὲ αὐτῷ σφετερίζεσθαι τι ἐξ αὐτῶν, ἢ συγγενέσιν ἰδίους τὰ τοῦ Θεοῦ χαρίζεσθαι· εἰ δὲ πένητες εἴεν, ἐπιχορηγείτω ὡς πένησιν, ἀλλὰ μὴ προφάσει τούτων τὰ τῆς ἐκκλησίας ἀπεμπωλείτω.

λθ.

Οἱ πρεσβύτεροι καὶ διάκονοι ἄνευ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου μὴδὲν ἐπιτελείτωσαν· αὐτῆς γὰρ ἐστὶν ὁ πεπιστευμένος τὸν λαὸν τοῦ Κυρίου, καὶ τὸν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν αὐτῶν λόγον ἀπαιτηθῆσόμενος.

μ'.

Ἔστω φανερὰ τὰ ἴδια τοῦ ἐπισκόπου πράγματα (εἰ δὲ ἴδια ἔχει) καὶ φανερὰ τὰ κυριακὰ· ἴν' ἐξουσίαν ἔχη τὰ ἴδια τελευτῶν ὁ ἐπίσκοπος, οἷς βούλεται, καὶ ὡς βούλεται, καταλείψαι, καὶ μὴ προφάσει τῶν ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων διαπίπτειν τὰ τοῦ ἐπισκόπου, ἕσθ' ὅτε γυναῖκα καὶ παῖδας κεκτημένου, ἢ συγγενεῖς ἢ οἰκέτας. Δίκαιον γὰρ παρὰ Θεῷ

minent dogmata religionis, et incidentes ecclesiasticas controversias dirimant: semel quidem quarta hebdomade Pentecostes, secundo autem Hyperberetæi duodecimo.— Lib. ii. cap. 10.

XXXVIII.

Omnium rerum ecclesiasticarum Episcopus curam gerat, et eas administret tanquam Deo intuente. Ne liceat autem ex iis aliquid sibi vindicare, vel propriis cognatis quæ Dei sunt largiri. Si autem sint pauperes, ut pauperibus suppeditet, sed non eorum prætextu vendat quæ sunt Ecclesiæ.

XXXIX.

Presbyteri et diaconi sine sententia Episcopi nihil perficiant, ipse enim est, cujus fidei populus Domini concreditus est, et a quo pro animabus eorum ratio exigetur.

XL.

Manifestæ sint Episcopi res propriæ (siquidem res habet proprias) et manifestæ res Dominicæ. Ut sit in potestate morientis Episcopi propria, quibus vult, et ut vult, relinquere, et non rerum ecclesiasticarum occasione res Episcopi intercitant, qui nonnquam uxorem habet, et liberos,

καὶ ἀνθρώποις, τὸ μῆτε τὴν ἐκκλησίαν ζημίαν τινὰ ὑπομένειν ἀγνοίᾳ τῶν τοῦ ἐπισκόπου πραγμάτων, μῆτε τὸν ἐπίσκοπον ἢ τοὺς αὐτοῦ συγγενεῖς προφάσει τῆς ἐκκλησίας δημεύεσθαι, ἢ καὶ εἰς πράγματα ἐμπίπτειν τοὺς αὐτῶ διαφέροντας, καὶ τὸν αὐτοῦ θάνατον δυσφημίας περιβάλλεσθαι.

μά.

Προστάσσομεν τὸν ἐπίσκοπον ἐξουσίαν ἔχειν τῶν τῆς ἐκκλησίας πραγμάτων· εἰ γὰρ τὰς τιμίας τῶν ἀνθρώπων ψυχὰς αὐτῶ πιστευτέον, πολλῶ ἂν δεοί περὶ τῶν χρημάτων ἐντέλλεσθαι, ὥστε κατὰ τὴν ἑαυτοῦ ἐξουσίαν πάντα διοικεῖσθαι, καὶ τοῖς δεομένοις διὰ πρεσβυτέρων καὶ διακόνων ἐπιχορηγεῖσθαι μετὰ φόβου Θεοῦ καὶ πάσης εὐλαβείας· μεταλαμβάνειν δὲ καὶ αὐτὸν τῶν δεόντων (εἴ γε δεοίτο) εἰς τὰς ἀναγκαίαις αὐτοῦ χρείαις καὶ τῶν ἐπιξενουμένων ἀδελφῶν, ὡς κατὰ μηδένα τρόπον αὐτὸν ὑστερεῖσθαι. Ὁ γὰρ νόμος τοῦ Θεοῦ διετάξατο, τοὺς τῶ θυσιαστηρίῳ προσεδρεύοντας ἐκ τοῦ θυσιαστηρίου τρέφεσθαι· ἐπεὶ περ οὐδὲ στρατιώτης ποτὲ ἰδίῳις ὀψωνίοις ὄπλα κατὰ πολεμίων ἐπιφέρειται.

μβ.

Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, κύβοις σχολάζων, καὶ

vel cognatos, vel famulos. Est enim justum apud Deum, et homines, ut nec Ecclesia damnum aliquod accipiat propter rerum Episcopi ignorationem, nec Episcopus vel ejus cognati Ecclesiæ occasione proscrībantur, vel in negotia litesve incidant qui ad eum attinent, et ejus mortem maledictis prosequantur.—Lib. i. cap. 4.

XLI.

Jubemus Episcopum rerum Ecclesiæ potestatem habere, si enim pretiosæ hominum animæ sunt ei credendæ, multo magis committendæ sunt pecuniæ, ut in ejus sit potestate omnia administrare, et iis, qui egent, per presbyteros et diaconos subministrare, cum Dei timore, et omni religione: quietiam (si sit opus) in necessarium suum usum accipere, et fratrum qui hospitio excipiuntur, ita ut ipse nullo modo eget. Lex enim Dei statuit, ut qui altari assident, ex altari alantur; quandoquidem nec miles unquam suo viatico adversus hostes progreditur.—Lib. ii. cap. 4.

XLII.

Episcopus, vel presbyter, vel diaconus, aleis et ebrieta-

d

μάθαις, ἢ παυσάσθω, ἢ καθαι-
ρείσθω.

tibus vacans, vel desistat, vel
deponatur.

μγ'.

XLIII.

Ἐποδιάκονος, ἢ ἀναγνώστης, ἢ
ψάλτης, τὰ ὅμοια ποιῶν, ἢ παυ-
σάσθω, ἢ ἀφοριζέσθω ὡσαύτως καὶ
λαϊκοί.

Hypodiaconus, vel lector,
vel cantor, similia faciens, vel
desistat, vel segregetur. Si-
militer et laici.

μδ'.

XLIV.

Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ
διάκονος, τόκους ἀπαιτῶν τοὺς
δανιζομένους, ἢ παυσάσθω, ἢ κα-
θαιρείσθω.

Episcopus, vel presbyter,
vel diaconus, usuras exigens
a debitoribus, vel desistat, vel
deponatur.

με'.

XLV.

Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ
διάκονος, αἰρετικοῖς συνευξάμενος
μόνον, ἀφοριζέσθω· εἰ δὲ καὶ ἐπέ-
τρεψεν αὐτοῖς ὡς κληρικοῖς ἐνεργῆ-
σαι τι, καθαιρείσθω.

Episcopus, vel presbyter,
vel diaconus, qui cum hæreticis
solum comprecatus est,
segregetur. Sin autem iis tan-
quam clericis aliquid operari
permiserit, deponatur.

μς'.

XLVI.

Ἐπίσκοπον, ἢ πρεσβύτερον, αἰρε-
τικῶν δεξαμένους βάπτισμα, ἢ
θυσίαν, καθαιρεῖσθαι προστάσσομεν.
Τίς γὰρ συμφώνησις Χριστῷ πρὸς
Βελίαν; ἢ τίς μερίς πιστῶ μετὰ
ἀπίστου;

Episcopum, vel presbyte-
rum, qui hæreticorum baptisma
vel sacrificium admiserit, de-
poni jubemus. Quæ est enim
conventio Christi cum Belial?
vel quæ pars est fidei cum
infideli?—Lib. ii. capp. 10, 12.

μζ'.

XLVII.

Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, τὸν
κατὰ ἀλήθειαν ἔχοντα βάπτισμα,
ἐὰν ἀνωθεν βαπτίση, ἢ τὸν με-
μολυσμένον παρὰ τῶν ἀσεβῶν ἐὰν
μὴ βαπτίση, καθαιρείσθω, ὡς γελῶν
τὸν σταυρὸν τοῦ Κυρίου, καὶ τὸν

Episcopum, vel presbyter
eum, qui vere habet baptisma,
si de integro baptizaverit, vel
si eum, qui ab impiis pollutus
est, non baptizaverit, depona-
tur, ut qui irrideat crucem

θάνατον, και μη διακρίνων ιερέας
ψευδιερέων.

Domini et mortem, et non dis-
cernat sacerdotes a falsis sa-
cerdotibus.—Lib. ii. cap. 12.

μή.

Εἴ τις λαϊκὸς τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα
ἐκβαλῶν ἢ ἑτέραν λάβοι, ἢ παρὰ
ἄλλου ἀπολειυμένην, ἀφοριζέσθω.

XLVIII.

Si quis laicus, sua ejecta
uxore, vel aliam acceperit, vel
ab alio solutam, segregetur.

μβ.

Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος,
κατὰ τὴν τοῦ Κυρίου διάταξιν μὴ
βαπτίση εἰς Πατέρα, και Υἱόν,
και Ἁγίον Πνεῦμα, ἀλλ' εἰς τρεῖς
ἀνάρχους, ἢ τρεῖς Υἱούς, ἢ τρεῖς
Παρακλήτους, καθαιρείσθω.

XLIX.

Si quis Episcopus, vel pres-
byter, ex Domini ordinatione
non baptizaverit in Patrem, et
Filium, et Spiritum Sanctum,
sed in tres principii expertes,
vel tres Filios, vel tres Para-
cletos, deponatur.

ν'.

Εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος
μὴ τρία βαπτίσματα μιᾶς μυστήσεως
ἐπιτελέσῃ, ἀλλὰ ἔν βαπτίσματι εἰς
τὸν θάνατον τοῦ Κυρίου διδόμενον,
καθαιρείσθω· οὐ γὰρ εἶπεν ὁ Κύριος,
Εἰς τὸν θάνατόν μου βαπτίσατε·
ἀλλὰ, Πορευθέντες μαθητεύσατε πάν-
τα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτούς
εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς, και τοῦ
Υἱοῦ, και τοῦ Ἁγίου Πνεύματος.

L.

Si quis Episcopus, vel pres-
byter non tria unius mysterii
baptismata perfecerit, sed
unum baptismum, quod datur
in mortem Domini, deponatur.
Non enim dixit Dominus, In
mortem meam baptizate; sed,
Euntes docete omnes gentes,
baptizantes ipsos in Nomine
Patris, et Filii, et Spiritus
Sancti.—Lib. i. cap. 17; lib. ii.
cap. 6.

να.

Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος,
ἢ διάκονος, ἢ ὄλως τοῦ καταλόγου
τοῦ ἱερατικοῦ, γάμου, και πρεῶν
και οἴνου, οὐ δι' ἄσκησιν, ἀλλὰ διὰ
βδελυρίαν ἀπέχεσθαι, ἐπιλαθόμενος
ὅτι πάντα καλὰ λίαν, και ὅτι

LI.

Si quis Episcopus, vel pres-
byter, vel diaconus, vel omnino
ex numero sacerdotali, a nup-
tiis, et carnibus, et vino, non
propter exercitationem, sed
propter abominationem absti-

ἄρσεν και θῆλυ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον, ἀλλὰ βλασφημῶν διαβάλλει τὴν δημιουργίαν, ἢ διορθοῦσθω, ἢ καθαιρείσθω, και τῆς ἐκκλησίας ἀποβαλλέσθω ὡσαύτως και λαϊκός.

net, oblitus quod omnia valde bona, et quod masculinum et femininum fecit Deus hominem; sed blasphemans calumniatur opificium, vel corrigatur, vel deponatur, et ex Ecclesia ejiciatur. Similiter et laicus.

νβ.

Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, τὸν ἀποστρέφοντα ἀπὸ ἀμαρτίας οὐ προσδέχεται, ἀλλ' ἀποβάλλεται, καθαιρείσθω ὅτι λυπεῖ τὸν Χριστὸν, τὸν εἰπόντα, Χαρὰ γίνεται ἐν οὐρανῷ ἐπὶ ἐνὶ ἀμαρτωλῷ μετανοοῦντι.

LII. Si quis Episcopus vel presbyter, eum, qui a peccatis convertitur, non recipit, sed ejicit, deponatur: quoniam Christum molestia afficit, dicentem, Gaudium est in cælo propter unum peccatorem penitentiam agentem.—Lib. ii. cap. 7.

νγ.

Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἐν ταῖς ἡμέραις τῶν ἑορτῶν οὐ μεταλαμβάνει κρεῶν και οἴνου, βδελυσόμενος, και οὐ δι' ἄσκησιν, καθαιρείσθω, ὡς κεκαυτηρισμένος τὴν οἰκείαν συνείδησιν, και αἷτιος σκανδάλου πολλοῖς γινόμενος.

LIII. Si quis Episcopus, vel presbyter, vel diaconus, in festis diebus carnem et vinum non sumit, abhorrens, et non propter exercitationem, deponatur, ut qui habeat inustam conscientiam propriam, et multis sit offensionis causa.

νδ.

Εἴ τις κληρικός ἐν καπηλείῳ φωραθείη ἐσθίων, ἀφοριζέσθω πάρεξ τοῦ ἐν πανδοχείῳ ἐν ὁδῷ δι' ἀνάγκην καταλύσαντος.

LIV. Si quis clericus in caupona comedens deprehensus fuerit, segregetur: præterquam si in publicum diversorium in via propter necessitatem diverterit.

νε.

Εἴ τις κληρικός ὑβρίσει τὸν ἐπί-

LV.

Si quis clericus Episcopum

σκοπον, καθαιρείσθω. * Ἀρχοντα γὰρ τοῦ λαοῦ σου οὐκ ἐρεῖς κακῶς.

contumelia affecerit, deponatur. Principi enim populi tui non maledices.

νδ'.

Εἴ τις κληρικὸς ὑβρίσει πρεσβύτερον, ἢ διάκονον, ἀφοριζέσθω.

LVI.

Si quis clericus contumelia affecerit presbyterum, vel diaconum, segregetur.

νε'.

Εἴ τις κληρικὸς χωλὸν, ἢ κωφὸν, ἢ τυφλὸν, ἢ τὰς βάσεις πεπληγμένον χλευάσει, ἀφοριζέσθω ὡσαύτως καὶ λαϊκός.

LVII.

Si quis clericus claudum, vel surdum, vel cæcum, vel eum, cui vitiosus est incessus, irriserit, segregetur. Similiter et laicus.

νη'.

Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος ἀμελῶν τοῦ κλήρου, ἢ τοῦ λαοῦ, καὶ μὴ παιδεύων αὐτοὺς τὴν εὐσέβειαν, ἀφοριζέσθω ἐπιμένων δὲ τῇ ἀμελείᾳ καὶ ῥαθυμίᾳ, καθαιρείσθω.

LVIII.

Episcopus, vel presbyter, qui cleri vel populi curam non gerit, et eos pietatem non docet, segregetur: et si negligentia et socordia perseveret, deponatur.

νθ'.

Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, τινὸς τῶν κληρικῶν ἐνδεοῦς ὄντος, μὴ ἐπιχορηγεῖ τὰ δέοντα, ἀφοριζέσθω ἐπιμένων δὲ, καθαιρείσθω, ὡς φρονέσας τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ.

LIX.

Si quis Episcopus, vel presbyter, vel diaconus, cum sit aliquis ex clericis egenus, ea quæ sunt necessaria non suppeditat, segregetur: perseverans autem deponatur, ut qui fratrem suum interfecerit.

ξ'.

Εἴ τις τὰ ψευδεπίγραφα τῶν ἀσεβῶν βιβλία, ὡς ἄγια, ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας δημοσιεύει, ἐπὶ λύμῃ τοῦ λαοῦ καὶ τοῦ κλήρου, καθαιρείσθω.

LX.

Si quis falso inscriptos impiorum libros tanquam sanctos in Ecclesia publicat, ad populi et cleri perniciem, deponatur.—Lib. ii. c. 7.

ξά.

Εἴ τις κατηγορία γένηται κατὰ πιστοῦ, πορνείας, ἢ μοιχείας, ἢ ἄλλης τινὸς ἀπηγορευμένης πράξεως, καὶ ἐλεγχθεῖη, εἰς κληῖρον μὴ προσαγέσθω.

ξβ'.

Εἴ τις κληρικὸς διὰ φόβον ἀνθρώπινον Ἰουδαίου, ἢ Ἑλλήνου, ἢ αἰρετικοῦ, ἀρνήσεται, εἰ μὲν τὸ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ, ἀποβαλέσθω· εἰ δὲ τὸ ὄνομα τοῦ κληρικοῦ, καθαίρεισθω. Μετανοήσας δὲ, ὡς λαϊκὸς δεχθήτω.

ξγ'.

Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὄλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ φάγη κρέα ἐν αἵματι ψυχῆς αὐτοῦ, ἢ θηριάλωτον, ἢ θνησιμαῖον, καθαίρεισθω. Τοῦτο γὰρ ὁ νόμος ἀπεῖπεν. Εἰ δὲ λαϊκὸς εἴη, ἀφοριζέσθω.

ξδ'.

Εἴ τις κληρικὸς, ἢ λαϊκὸς, εἰσέλθῃ εἰς συναγωγὴν Ἰουδαίων, ἢ αἰρετικῶν προσεύξασθαι, καὶ καθαίρεισθω, καὶ ἀφοριζέσθω.

ξε'.

Εἴ τις κληρικὸς ἐν μάχῃ τινὰ κρούσας ἀπὸ τοῦ ἐνὸς κρούσματος

LXI.

Si adversus fidelem aliqua accusatio intendatur, fornicationis, vel adulterii, vel alicujus alius prohibitiæ actionis, et convictus fuerit, ad clerum ne provehatur.

LXII.

Si quis clericus propter metum humanum Judæi, vel Græci, vel hæretici, negaverit, si quidem nomen Christi, ejiciatur: sin nomen clerici, deponatur. Pœnitentiam vero agens, ut laicus recipiatur.— Lib. ii. cap. 7.

LXIII.

Si quis Episcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel omnino ex numero sacerdotali comederit carnem in sanguine animæ suæ, vel quid a feris captum, vel morticinum, deponatur. Hoc enim lex prohibet. Si autem sit laicus, segregetur.—Lib. ii. cap. 7.

LXIV.

Si quis clericus vel laicus in synagogam Judæorum, vel hæreticorum introierit ad orandum, et deponatur, et segregetur.

LXV.

Si quis clericus in jurgio quempiam pulsans, uno ictu

ἀποκτείνῃ, καθαιρείσθω διὰ τὴν προπέτειαν αὐτοῦ· εἰ δὲ λαϊκός, ἀφοριζέσθω.

ξδ'.

Εἰ τις κληρικὸς εὐρεθῆ τὴν κυριακὴν ἡμέραν νηστεύων, ἢ τὸ σάββατον (πλὴν τοῦ ἐνὸς μόνου) καθαιρείσθω. Εἰ δὲ λαϊκός, ἀφοριζέσθω.

ξε'.

Εἰ τις παρθένον ἀμνήστειτον βιάμενος ἔχοι, ἀφοριζέσθω· μὴ ἐξεῖναι δὲ αὐτῷ ἑτέραν λαμβάνειν, ἀλλ' ἐκείνην κατέχειν ἣν ἡρετίσαστο, κἄν πενιχρὰ τυγχάνῃ.

ξη'.

Εἰ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, δευτέραν χειροτονίαν δέξεται παρὰ τινος, καθαιρείσθω καὶ αὐτὸς καὶ ὁ χειροτονήσας· εἰ μὴ γὰρ ἄρα συσταίῃ, ὅτι παρὰ αἱρετικῶν ἔχει τὴν χειροτονίαν. Τοὺς γὰρ παρὰ τῶν τοιούτων βαπτισθέντας, ἢ χειροτονηθέντας, οὔτε πιστοὺς, οὔτε κληρικοὺς εἶναι δυνατὸν.

ξθ'.

Εἰ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ἀναγνώστης, ἢ ψάλτης, τὴν ἀγίαν τεσσαρακοστὴν τοῦ Πάσχα οὐ νηστεύει, ἢ τετράδα, ἢ παρασκευὴν, καθαιρείσθω, ἐκτὸς εἰ μὴ δι' ἀσθένειαν σωματικὴν

interemerit, ob impotentis animi sui effrænationem, deponatur: laicus vero si fuerit, segregetur.

LXVI.

Si quis clericus deprehendatur die Dominico jejunans, vel Sabbato (præter unum solum) deponatur. Si vero laicus, segregetur.—Lib. ii. cap. 7.

LXVII.

Si quis virginem non deponsam vi allata habet, segregetur: ei autem aliam accipere non liceat; sed illam retinere, quam elegit, etiamsi pauper sit.

LXVIII.

Si quis Episcopus, vel presbyter, vel diaconus, secundam ordinationem ab aliquo susceperit, deponatur et ipse, et qui ordinavit: nisi utique constiterit, quod ab hæreticis ordinationem habeat. Qui enim ab eis baptizati vel ordinati sunt, ut fideles, vel clerici sint, fieri non potest.

LXIX.

Si quis Episcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel lector, vel cantor, sanctam Paschæ Quadragesimam non jejumat, vel quartam feriam, vel Parasceuen, præterquam si propter

ἐμποδίζοιτο. Εἰ δὲ λαϊκὸς εἴη, ἀφοριζέσθω.

imbecillitatem corporalem impediatur, deponatur. Si vero laicus, segregetur.

ό.

Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὄλως τοῦ καταλόγου τῶν κληρικῶν, νηστεύει μετὰ Ἰουδαίων, ἢ ἐορτάζει μετ' αὐτῶν, ἢ δέχεται παρ' αὐτῶν τὰ τῆς ἐορτῆς ξένια, (οἶον ἄζυμα, ἢ τι τοιοῦτον) καθαιρείσθω. Εἰ δὲ λαϊκὸς εἴη, ἀφοριζέσθω.

LXX.

Si quis Episcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel omnino ex clericorum catalogo, jejumat cum Judæis, vel cum ipsos festos dies egit, vel ab ipsis festi xenia accipit, (ut verbi gratia azyma, vel quid tale) deponatur. Si vero sit laicus, segregetur.

οά.

Εἴ τις Χριστιανὸς ἔλαιον ἀπενέγκοι εἰς ἱερὸν ἔθνῶν, ἢ εἰς συναγωγὴν Ἰουδαίων, ἐν ταῖς ἐορταῖς αὐτῶν, ἢ λύχνους ἄπτει, ἀφοριζέσθω.

LXXI.

Si quis Christianus oleum deferat in templum gentium, vel in synagogam Judæorum, in eorum festis, vel lucernam accendit, segregetur.

οβ.

Εἴ τις κληρικὸς, ἢ λαϊκὸς ἀπὸ τῆς ἀγίας ἐκκλησίας ἀφέληται κηρὸν, ἢ ἔλαιον, ἀφοριζέσθω.

LXXII.

Si quis clericus vel laicus a sancta Ecclesia ceram vel oleum auferat, deponatur.—Lib. ii. cap. 8.

ογ.

Σκεῦος χρυσοῦν, ἢ ἀργυροῦν, ἀγιασθὲν, ἢ ὀθόνην, μηδεὶς ἔτι εἰς οἰκίαν χρῆσιν σφετεριζέσθω παράνομον γάρ. Εἰ δὲ τις φωραθεῖη, ἐπιτιμᾶσθω ἀφορισμῶ.

LXXIII.

Vas aureum, vel argenteum, sanctificatum, vel velum, nemo amplius in suum usum convertat: injustum enim est. Si quis autem deprehensus fuerit, multetur segregatione.—Lib. ii. cap. 8.

οδ.

Ἐπίσκοπον κατηγορηθέντα ἐπὶ τινὶ παρὰ ἀξιοπιστῶν ἀνθρώπων,

LXXIV.

Episcopum a viris fide dignis ob aliquid accusatum,

καλείσθαι αὐτὸν ἀναγκαῖον ὑπὸ τῶν ἐπισκόπων. Καὶ μὲν ἀπαντήσῃ, καὶ ὁμολογήσῃ, ἢ ἐλεγχθεῖν, ὀρίξεσθαι τὸ ἐπιτίμιον· ἐὰν δὲ καλούμενος μὴ ὑπακούσῃ, καλείσθω καὶ δεύτερον, ἀποστελλομένων ἐπ' αὐτὸν δύο ἐπισκόπων· ἐὰν δὲ καὶ οὕτω μὴ ὑπακούσῃ, καλείσθω καὶ τρίτον, δύο πάλιν ἐπισκόπων ἀποστελλομένων πρὸς αὐτὸν. Ἐὰν δὲ καὶ οὕτως καταφρονήσας μὴ ἀπαντήσῃ, ἢ σύνοδος ἀπυφαιρέσθω κατ' αὐτοῦ τὰ δοκοῦντα, ὅπως μὴ δόξῃ κερδαίνειν φυγοδικῶν.

06.

Εἰς μαρτυρίαν τὴν κατὰ ἐπισκόπου αἰρετικὸν μὴ προσδέχσθαι, ἀλλὰ μηδὲ πιστὸν ἓνα μόνον. Ἐπι στόματος γὰρ δύο ἢ τριῶν μαρτύρων σταθήσεται πᾶν ῥῆμα.

05'.

Ὅτι οὐ χρὴ ἐπίσκοπον τῷ ἀδελφῷ, ἢ τῷ υἱῷ, ἢ ἐτέρῳ συγγενεὶ χαριζόμενον, εἰς τὸ ἀξίωμα τῆς ἐπισκοπῆς χειροτονεῖν ὄν βούλεται. Κληρονόμους γὰρ τῆς ἐπισκοπῆς ποιῆσθαι οὐ δίκαιον, τὰ τοῦ Θεοῦ χαριζόμενον πάθει ἀνθρώπινω· οὐ γὰρ τὴν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαν ὑπὸ κληρονόμους ὀφείλει τίθεναι· εἰ δὲ τις τοῦτο ποιήσῃ, ἄκυρος μὲν ἔστω ἢ χειροτονία, αὐτὸς δὲ ἐπιτιμάσθω ἀφορισμῷ.

ipsum ab Episcopis vocari necesse est: et si se quidem stiterit, et confessus, vel convictus fuerit, statuatur poena. Si autem vocatus non paruerit, secundo etiam vocetur, missis ad eum Episcopis duobus: si autem sic etiam non obedierit, vocetur et tertio, duobus ad eum rursus missis Episcopis. Si autem vel sic aspernans se non stiterit, Synodus ea quæ videntur adversus eum pronunciet, ne lucrifacere videatur, dum iudicium subterfugit.—Lib. i. cap. 5.

LXXV.

In testimonium adversus Episcopum hæreticus ne admittatur: sed nec unus solus fidelis. In ore enim duorum vel trium testium stabit omne verbum.

LXXVI.

Quod non oportet Episcopum fratri, vel filio, vel alio cognato gratificantem, ad episcopatus dignitatem quem vult ordinare. Episcopatus enim hæredes facere justum non est, ea quæ Dei sunt humano affectu largientem. Non enim licet Ecclesiam Dei in hæredes conferre. Si quis autem hoc fecerit, irrita quidem sit ordinatio, ipse autem segregatione multetur.

οζ.

Ἐἴ τις ἀνάπηρος ἢ τὸν ὀφθαλμὸν, ἢ τὸ σκέλος πεπληγμένος, ἄξιός δέ ἐστιν ἐπίσκοπῆς, γινέσθω· οὐ γὰρ λώβη σώματος αὐτὸν μιάινει, ἀλλὰ ψυχῆς μολυσμός.

οή.

Κωφὸς δὲ ὢν καὶ τυφλὸς, μὴ γινέσθω ἐπίσκοπος· οὐκ ὡς μεμιασμένος, ἀλλ' ἵνα μὴ τὰ ἐκκλησιαστικά παρεμποδίξοιτο.

οθ'.

Ἐάν τις δαίμονα ἔχη, κληρικὸς μὴ γινέσθω· ἀλλὰ μὴδὲ τοῖς πιστοῖς συνευχέσθω. Καθαρεθεὶς δὲ, προσδεχέσθω, καὶ, ἐὰν ἦ ἄξιός, γινέσθω.

π'.

Τὸν ἐξ ἐθνικοῦ βίου προσελθόντα, καὶ βαπτισθέντα, ἢ ἐκ φαύλης διαγωγῆς, οὐ δίκαιόν ἐστι παρ' αὐτὰ προχειρίζεσθαι ἐπίσκοπον. Ἄδικον γὰρ, τὸν μηδέπω πείραν ἐνδειξάμενον ἑτέρων εἶναι διδάσκαλον· εἰ μὴπω κατὰ θεῖαν χάριν τοῦτο γένηται.

πά.

Εἴπομεν ὅτι οὐ χρὴ ἐπίσκοπον, ἢ πρεσβύτερον καθίνασι ἑαυτὸν εἰς δημοσίας διοικήσεις, ἀλλὰ προσευκαιρεῖν ταῖς ἐκκλησιαστικαῖς χρείαις· ἢ πειθέσθω οὖν τοῦτο μὴ ποιεῖν, ἢ καθαιρεῖσθω· οὐδεὶς γὰρ δύναται

LXXVII.

Si quis oculo orbatus, vel femore oblaesus sit, episcopatu autem dignus est, fiat. Non enim corporis damnum eum polluit, sed animæ inquinatio.

LXXVIII.

Qui vero surdus est et cæcus, ne fiat Episcopus: non ut pollutus, sed ne ecclesiastica impediatur.

LXXIX.

Si quis dæmonem habeat, ne fiat clericus, sed neque cum fidelibus precetur. Purgatus autem recipiatur, et, si sit dignus, fiat.

LXXX.

Eum qui ex vita gentili acceperit, et baptizatus fuerit, vel ex improba vivendi ratione, non est æquum protinus Episcopum fieri. Iniquum enim est, ut, qui sui nondum experientiam ostenderit, aliorum sit magister: nisi forte hoc divina gratia fiat.

LXXXI.

Diximus non oportere Episcopum, vel presbyterum seipsum ad publicas administrationes demittere, sed in ecclesiasticis negotiis versari: vel ergo ita non facere persua-

δυσὶ κυρίοις δουλεύειν, κατὰ τὴν
κυριακὴν παρακίλευσιν.

deatur, vel deponatur. Nemo
enim potest duobus dominis
servire, secundum Domini
præceptum.—Lib. ii. cap. 8.

πβ'.

Οἰκέτας εἰς κλῆρον προχειρίζεσθαι
ἀνευ τῆς τῶν δεσποτῶν συγγνώμης
οὐκ ἐπιτρέπομεν, ἐπὶ λύπῃ τῶν
κεκτημένων· οἶκον γὰρ ἀνατροπὴν
τὸ τοιοῦτον ἐργάζεται. Εἰ δὲ ποτὲ
καὶ ἄξιός φανείη ὁ οἰκέτης πρὸς
χειροτονίαν βαθμοῦ, οἷος καὶ ὁ ἡμέ-
τερος Ὀνήσιμος ἐφάνη, καὶ σύγχω-
ρήσουσιν οἱ δεσπότες, καὶ ἐλευθερώ-
σουσιν, καὶ τοῦ οἴκου ἐξαποστείλωσι,
γινέσθω.

LXXXII.

Servos in clerum provehi
sine venia dominorum non
permittimus in possessorum
molestiam. Domorum enim
eversionem illud efficit. Si
quando autem etiam dignus
servus visus fit, qui ad gra-
dum eligatur, qualis noster
quoque visus est Onesimus, ac
domini concesserint, et libera-
verint, et ædibus emiserint,
fiat.—Lib. i. cap. 17.

πγ'.

Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ
διάκονος στρατεία σχολάζων, καὶ
βουλόμενος ἀμφοτέρα κατέχειν,
Ῥωμαϊκὴν ἀρχὴν καὶ ἱερατικὴν
διοίκησιν, καθαιρείσθω. Τὰ γὰρ
Καίσαρος, Καίσαρι, καὶ τὰ τοῦ
Θεοῦ τῷ Θεῷ.

LXXXIII.

Episcopus, vel presbyter,
vel diaconus exercitui vacans,
et utraque retinere volens,
Romanum scilicet magistra-
tum, et sacerdotalem adminis-
trationem, deponatur. Quæ
enim sunt Cæsaris, Cæsari ;
et quæ Dei sunt, Deo.—Lib. ii.
cap. 8.

πδ'.

*Ὅς τις ὑβρίσει βασιλεία ἢ ἄρ-
χοντα παρὰ τὸ δίκαιον, τιμωρίαν
τινύντω. Καὶ εἰ μὲν κληρικὸς,
καθαιρείσθω· εἰ δὲ λαϊκὸς, ἀφο-
ριζέσθω.

LXXXIV.

Quisquis regem vel prin-
cipem præter jus contumelia
affecerit, pœnas luat. Et si
sit quidem clericus, deponatur :
si vero laicus, segregetur.

πέ'.

*Ἐστω ὑμῖν πᾶσι κληρικοῖς καὶ
λαϊκοῖς βιβλία σεβάσμιμα καὶ ἅγια·

LXXXV.

Sint vobis omnibus clericis
et laicis libri venerandi et

τῆς μὲν παλαιᾶς διαθήκης, Μωυ-
 σέως πέντε, Γένεσις, Ἐξόδος, Λευϊτι-
 κὸν, Ἀριθμοὶ, Δευτερονόμιον. Ἰησοῦ
 υἱοῦ Ναυῆ, ἕν. Κριτῶν ἕν. Ῥούθ
 ἕν. Βασιλειῶν τέσσαρα. Παραλει-
 πομένων τῆς βίβλου τῶν ἡμερῶν
 δύο. Ἐσδρά δύο. Ἐσθήρ ἕν.
 Μακκαβαίων τρεῖς. Ἰώβ ἕν.
 Ψαλτηρίου ἕν. Σολομῶντος τρεῖς,
 Παροιμίαι, Ἐκκλησιαστής, Ἄσμα
 φιδμάτων. Προφητῶν δεκαδύο.
 Ἡσαίου ἕν. Ἰηρημίου ἕν. Ἰεζε-
 κιὴλ ἕν. Ἐν Δανιήλ. Ἐξωθεν
 δὲ ὑμῖν προσιστορεῖσθω, μανθάνειν
 ὑμῶν τοὺς νέους τὴν σοφίαν τοῦ πο-
 λυμαθοῦς Σιράχ. Ἡμέτερα δὲ,
 τοῦτ' ἐστὶ, τῆς καινῆς διαθήκης,
 Εὐαγγέλια τέσσαρα, Ματθαίου,
 Μάρκου, Λουκᾶ, Ἰωάννου. Παύλου
 ἐπιστολαὶ δεκατέσσαρες. Πέτρου
 ἐπιστολαὶ δύο. Ἰωάννου τρεῖς.
 Ἰακώβου μία. Ἰούδα μία.
 Κλήμεντος ἐπιστολαὶ δύο. Καὶ
 αἱ διαταγαὶ ὑμῖν τοῖς ἐπισκόποις
 δι' ἐμοῦ Κλήμεντος ἐν ὀκτῶ βι-
 βλίοις προσπεφωνημέναι, ἃς οὐ χρεὶ
 δημοσιεῖν ἐπὶ πάντων, διὰ τὰ ἐν
 αὐταῖς μυστικά. Καὶ αἱ Πράξεις
 ἡμῶν τῶν Ἀποστόλων.

sancti, Veteris quidem Testa-
 menti, Mosis quinque, Genesis,
 Exodus, Leviticus, Numeri,
 Deuteronomium. Jesu filii
 Naue unus. Judicum unus.
 Ruth unus. Regnorum qua-
 tuor. Paralipomenon, id est,
 derelictorum libri dierum, duo.
 Esdræ duo. Esther unus.
 Maccabæorum tres. Job unus.
 Psalterii unus. Solomonis
 tres, Proverbia, Ecclesiastes,
 Canticum Canticorum. Pro-
 phetarum XII. Esaiæ unus.
 Jeremiæ unus. Iezechielis
 unus. Danielis unus. Extrin-
 secus autem a vobis intelliga-
 tur, debere vestros adoles-
 centes discere Sapientiam eru-
 ditissimi Sirach. Nostri autem,
 id est, Novi Testamenti, Evan-
 gelia quatuor, Matthæi, Marci,
 Lucæ, Joannis. Pauli Epistolæ
 quatuordecim. Petri Epistolæ
 duæ. Joannis tres. Jacobi
 una. Judæ una. Clementis
 Epistolæ duæ: et Constitu-
 tiones vobis Episcopis per me
 Clementem in octo libris editæ,
 quæ non sunt omnibus divul-
 gandæ, propter ea quæ sunt
 in eis mystica. Et Actus
 nostri Apostolorum.—Lib. ii.
 cap. 9; lib. i. cap. 17.

ELENCHUS CAPITUM

LIBRI PRIMI.

CAP. I.

I. *Ecclesia Christiana quare a Domino instituta.* II. *Eadem hodie in schismata et controversias discerpta, quæ ortum plerumque habent ex humani ingenii imbecillitate, qua ad extrema ruere proclives sumus.* III. *Clarissimum hujus rei documentum in controversia de Canonibus Apostolorum. Turriani et Dallæi extremæ de iis sententiæ.* IV. *Nostra inter eas media, ab Anonymo Observatore, eo tantum quod in Dallæanam non ad amussim quadret, impugnata.* V. *Temeraria Observatoris assertio, episcopalem auctoritatem Ignatii Epistolis et Canonibus Apostolorum præcipue inniti. Eam aliunde quam ex Ignatii Epistolis satis constare paucis indicatur.* VI. *Eandem auctoritatem ante Canones Apost. juxta nostram sententiam conditos obtinuisse ipse Observator, aliique ejusdem Oppugnatores concedunt. Quam propterea illis inniti, inconsideratissima temeritate affirmatur.* VII. *Occasio hujus scribendi tractatus ab Observatore data.* VIII. *Ejusdem scopus ac partitio* 1

CAP. II.

I. *Nostra de Canonibus Apost. sententia, eos a Catholicis secundi tertiique seculi Synodis sancitos statuens.* II. *Hæc sententia duabus observationibus explicatur, quarum prima est, frequentes istis etiam seculis, æque ac postea, habitas fuisse Synodos, quibus altiora quæque tractata sunt: quod probatur.* III. *Altera observatio est, nihil in Can. Apost. haberi, quod ecclesiasticæ istorum temporum disciplina non exacte respondet.* IV. *Hinc ergo hi Canones nihil aliud nobis videntur, quam primitivarum Synodorum decreta. Quod de nonnullis eorum certe constat.* V. *Non ab uno sed a pluribus Conciliis conditi fuerunt. Et a diversis etiam viris collecti. Unde orta est in numero eorum diversitas. Ecclesiastici etiam a nonnullis vocantur, ab aliis Apostolici et Apostolorum. Utriusque nomenclaturæ ratio.* VI. *Synodi primitivæ ex Apostolorum traditionibus controversias determinare, legesque ferre solebant.*

Hinc Canonibus hisce ab iis sancitis Apostolorum nomen inscriptum. VII. Nostra de horum Canonum antiquitate, quæ sola controvertitur, sententia. Hincmarus Remensis eandem olim tenuit. Sed Joannes Dallæus aliter sensit: cujus opinio hic discutitur 12

CAP. III.

- I. Canonum Apost. antiquitas a nobis asserta, ex quarti quintique nondum adulti seculi testimoniis satis probetur. Ea in duas classes reducuntur. II. Egregium S. Athanasii de antiquis Ecclesiæ Canonibus testimonium. Quod de aliis quam Apostolicis intelligi non posse ostenditur. III. Aliud ex ejusdem Patris operibus pro Canonibus Apostolicis petitum argumentum. IV. S. Basilii suum etiam testimonium hisce Canonibus Apost. tribuit, in Canonica sua ad Amphilochoium Epistola, Canone III. XII. necnon primo 21

CAP. IV.

- I. Synodus Nicæna Canones Apost. vidit, quod probatur e Can. Nic. I. II. V. Nonnullos etiam e Canonibus Apost. explicat, et confirmat, ut patet e Canonibus Nicænis IX. et X. cum Apostolicis LXI. et LXII., necnon ex Apostolicis XIV. et XV. cum Nicænis XV. et XVI. collatis. II. Canones Antiocheni eadem præcipiunt quæ Apostolici. Eodem etiam ordine plerumque observato, ut ex collatione utriusque collectionis liquet. III. Canones Antioch. ex Apostolicis formatos esse probatur, primo e stylo, qui in Apostolicis simplex est, in Antiochenis copiosus et paraphrasticus. IV. Idem probatur e Can. Antioch. IX. Primus gentis cujusque Episcopus non ante quartum seculum dictus est Metropolitanus. V. Probatur etiam e Can. Antioch. XX. Mendum in dicto Canone deprehenditur, et emendatur. Quare Synodus Antioch. primam quotannis Synodum alio peragenda tempore, quam Nicæna, decrevit. VI. Idem probatur e duobus ultimis Can. Antiochenis, de bonis Ecclesiæ. Primitiva Ecclesia nullos nisi ex fidelium oblationibus redditus habuit. Latifundia ei non nisi post Constantinum M. concessa. VII. Idem denique probatur ex eo, quod Can. Apost. aliorum Canonum nunquam mentionem faciant; Antiocheni sæpe. VIII. Quo hæc omnia clarius elucescant, inquiritur in Canonum Ant. occasionem. Synodus ista ex Arianis constabat. Baronii aliorumque error ex Julii verbis male intellectis. Paulo ante hanc Synodum S. Athanasius Ecclesiæ Alexandrinæ restitutus, et Paulus C.P. Episcopus creatus est. IX. Synodus Antioch. Canones suos contra catholicos designavit. Quod ut occultius fieret, antiquos Canones renovavit, iisque novos contra S. Athanasium et Paulum C.P.

intersevit, ut ejus restitutio et hujus creatio invalida redderetur. X. Hinc tota Canonum Antiochenorum occasio et historia eruitur 28

CAP. V.

- I. *Synodus Gangrena ecclesiasticos Canones ab Eustathianis violatos asserit: quos eosdem esse atque Apostolicos probatur.* II. *Synodum C.P., An. Dom. CCCLXXXII. habitam, Canones Apost. vidisse, et citasse ostenditur.* III. *Eisdem a Synodo Carthaginensi iisdem fere diebus celebrata laudatos esse probatur.* IV. *Canones Apostolici præcipiunt Episcopum tertio citandum esse, priusquam a Synodo judicetur. Hinc probatur dictos Canones tertio generali Concilio cognitos fuisse, utpote a quo Nestorius tertio citatus est: et Canones ecclesiastici id præcepisse ab eodem perhibentur.* V. *Eodem argumento probatur hosce Canones notos fuisse Synodo C.P. Eutychem, et quartæ generali Dioscorum tertio citanti.* VI. *Aliis argumentis hos Canones Synodo Chalcedonensi visos et confirmatos esse demonstratur* 53

CAP. VI.

- I. *Canones Apostolicos eosdem esse atque ecclesiasticos a Patribus citatos e summa inter eos convenientia satis constat.* II. *Canones hi nonnunquam sub ipso Apostolorum et Apostolicorum nomine laudati sunt. Quod probatur primo Alexandri Alexandrini testimonio.* III. *Constantinus M. Imp. Canonem Apostolicum ab Eusebio servatum laudat, eundemque et a mandatis Dei et a Canonibus ecclesiasticis distinguit.* IV. *Julius P.R. Canones Apostolorum in Gregorii ordinatione in sedem Alexandrinam violatos asseruit.* V. *Canones Apostolici a Concilio Constantinopoli A.D. CCCXCIV. habito, verbis conceptis laudati sunt.* VI. *Idem in Actis Concilii Ephesini Apostolici etiam diserte vocantur.* VII. *Egregium Theodosii Imp. hisce Canonibus, Apostolicis ab eo dictis, redditum testimonium* 68

CAP. VII.

- I. *Testimonia hactenus allata Canonum Apost. antiquitatem satis probant: utpote quibus nihil desideratur. Etiam si unus et alter sufficerent, nos multos testes adduximus.* II. *Testes a nobis adducti non obscuri fuerunt viri, sed celeberrimi ex Imperatoribus, Patribus, et Conciliis.* III. *Omnia ex iis recitata de antiquis Canonibus testimonia Apostolicis una perspicue inveniuntur.* IV. *Nonnulli ex antiquis a nobis adductis testibus Canones hosce Apostolicos et Apostolorum diserte vocarunt. Quod summam eorum antiquitatem evincit* 79

CAP. VIII.

- I. Canones Apost. *sexto ineunte seculo vulgo noti erant.* II. Dionysius Exiguus *initio istius seculi L. priores Apost. Canones Latine reddidit, suumque de iis testimonium dedit.* III. *Iisdem diebus Jo. Antiochenus hos Canones et suæ Canonum collectioni et Nomocanoni inseruit, eosque reliquis anteposuit. Hinc probatur hos Canones Codici Canonum Ecclesiæ Orientalis tunc temporis præfixos fuisse, et quidem sub Apostolorum nomine.* IV. *Codex Canonum Ecclesiæ Orientalis Canonibus Apost. longe ante Jo. Antiochenum præmunitus fuit: quod ex ipsius verbis ostenditur.* V. *Eodem tempore ipse Justinianus Imperator horum, ut ab Apostolis traditorum, Canonum meminuit, eosque confirmavit.* VI. *Ex ejusdem Imperatoris verbis hos Canones longe ante istud seculum conditos fuisse evincitur.* VII. *Ab istis demum temporibus Canones Apost. unum cum synodalibus Codicem constituerunt, a Synodo Trullana confirmatum, et ab eo usque in Oriente obtinentem.* VIII. *Secunda Nicæna Synodus, et Ecclesia Orientalis, Synodum istam Trullanam, a qua confirmati sunt hi Canones, universalem esse judicavit* 83

CAP. IX.

- I. *Ἀνακεφαλαίωσις argumentorum, quibus nostra de Canonum Apost. antiquitate sententia innititur.* II. *Adversariorum de ea re sententia Gelasii P. R. decreto præcipue fundatur.* III. *Nihil certi ex isto decreto inferri potest. Non liquet saltem Canones Apost. in eo antiquitus memoratos fuisse. Hincmarus Remensis contrarium asseruit.* IV. *Dallaena verbi 'misit' cum 'omisit' in Hincmaro commutatio, quam absurda sit, et frustranea.* V. *Aliis contra Hincmari verba exceptionibus respondetur.* VI. *Ut Observator particulam 'nec' in iisdem Hincmari verbis transposuit, quo ad suas ea partes trahat, quod absurdissimum esse ostenditur.* VII. *Etsi demum Gelasium Canones Apost. inter Apocryphos rejecisse, nihil ex eo contra nostram de iis sententiam concludi potest* 97

CAP. X.

- I. *Dallæi et Observatoris exceptionibus contra testimonia pro Canonum Apost. antiquitate modo respondendum.* II. *Exceptiones Dallaenæ Turrianicam magis quam nostram sententiam attingunt. Ubi nostram attingunt, facile diluantur.* III. *Dallæi exceptio contra testimonium S. Athanasii: qua nostræ sententiæ subscribit potius quam adversatur.* IV. *Testimonium S. Basilii defenditur. Ratio ista, 'Non vindicabis bis in id ipsum,' Canonum Apost. XXV. alia quam primi conditoris manu*

adjecta videtur. V. S. Basilium rationem istam Canonum annexam vidisse probabile est. VI. S. Basilius aliam insuper istius sanctionis rationem reddit, ad quam legis conditores respexisse ei videntur. Unde vis Dallæanæ exceptionis contra hoc testimonium tota evertitur. VII. Alia S. Basilii testimonia ab exceptionibus Dallæanis vindicantur . . . 108

CAP. XI.

I. Synodi Nicænæ testimonium pro Canonibus Apost., ex primo ipsius Canone de Eunuchis petitum, defenditur. II. Quæ contra alia ejusdem Synodi testimonia excipiuntur, paucis discutuntur. III. Synodi Antiochenæ testimonia vindicantur. Quare Canones Apostolorum sub numeris, quibus distincti sunt, antiquitus non laudati fuerunt. IV. Palmaria contra testimonia a nobis adducta exceptio, ex eo sumpta, quod omnes antiquiores a Synodis citati Canones inter Apostolicos non inveniuntur. V. E quatuor istiusmodi productis Canonibus contra duos excipitur, viz. Syn. Nic. XVIII. et Neocæsar. XV., ut huc minime pertinentes. VI. Reliquos duos, sive Nic. XIII., et Ancyr. XXI., Dallæi causam non promovere ostenditur. VII. A Canonibus Apost. injuste exigitur, ut omnes ab antiquis Synodis laudati Canones inter eos inveniuntur. VIII. Alia a Dallæo contra testimonia e Synodis Nic. et Antioch. allatæ exceptiones diluuntur. IX. Discutuntur quæ Observator in hac disputatione observanda præscribit. X. Quam temere sibi proposuit Observator, omnia pro Canonibus Apost. testimonia despectui habere, quamdiu Canones a Synodis laudati ad alia quæcunque scripta vel etiam ad priscam consuetudinem referantur. XI. Non mirum est, quod Canones Apost. a Synodo Antioch. renovati fuerint . . . 117

CAP. XII.

I. Synodi Gangrensis testimonium pro Canonibus Apost. vindicatum asseritur. II. Testimonium Synodi Constantinopolitanæ a quatuor Observatoris exceptionibus defenditur. III. Eusebii locum ab Observatore adductum nihil ad rem facere probatur. IV. Concilii Carthaginensis testimonium vindicatur. V. Alia e Synodis Ephesina et Chalcedonensi testimonia, quibus adversarii nihil responderunt. VI. Concilium Chalcedonense per τοὺς πάλαι κανόνας, nec Antiochenos, nec Carthaginenses, sed Apostolicos solos intelligere potuit . . . 136

e

CAP. XIII.

- I. Alexandri Alexandrini testimonium vindicatur. *Is nec ad Eliberitanos nec ad Arelatenses Canones respexit.* II. *Canon non scriptus non potuit ab Alexandro dici Apostolicus. Ad locum Epiphani de hac re respondetur.* III. Constantini M. *Imp. testimonium defenditur. Canon Apostolicus ab eo memoratus de Apostolorum traditione intelligi non potest. Et si ita intelligatur, nihil nostræ opinioni adversatur.* IV. *Contra Julii P. R. testimonium nihil objectum.* V. *Concilii C.P. testimonium Observator sex oppugnavit exceptionibus, quarum prima nihil est quam vel concessio vel petitio principii.* VI. *Secunda exceptio de dissonantia inter Canones Apost. et C.P. refellitur; ut et tertia de Balsamone, Zonara, ac Aristeno, Canones Apost. hic non citantibus. Synodus Carthaginiensis nec Can. Apostolicis nec decreto C.P. adversatur.* VII. *Ad quartam exceptionem sæpe responsum est. Et quinta τὸ ἐν ἀρχῇ postulat.* VIII. *Ultima exceptio diluitur. Patres C.P. nec ad Canones Antiochenos respexerunt, nec ad Nicænos.* S. Hieronymi locus explicatur. IX. *Testimonium Synodi Ephesinæ defenditur. In eo nec Nicænus nec C.P. Canon indicatur, sed Apostolicus.* X. *Contra illustre Theodosii Imp. testimonium a nobis adductum nihil ab adversariis exceptum est* . 149

CAP. XIV.

- I. Justiniani *Imp. et Jo. Antiocheni testimonia vindicanda restant.* II. *Licet Justinianus post an. Dom. CCCCLI. imperare cæperit, ejus tamen testimonium summo jure in hac causa admittatur, ut doctissimorum istius ætatis virorum sententia innixum.* III. *Qualem exceptionem contra Imp. testimonium ex Oraculis Sibyllinis formavit Observator. Quantum sit discriminis inter Justinianum de Canonibus Apostolorum, et Justinum de Sibyllarum Carminibus disserentem.* IV. *Sibyllina Oracula, quæ hodie circumferuntur, longe alia sunt atque ea, quæ a Justino M. aliisque antiquis laudata fuerant. Proinde ex iis contra hæc disputare iniquum est.* V. *Carmina Sibyllina, a Justino M. citata, ante an. Dom. CXXXVIII. facta fuisse, ex eo satis constat, quod ab ipso tanta confidentia citentur, et in toto terrarum orbe exstare dicantur.* VI. *Alii ejusdem ætatis scriptores, præter Justinum M., Sibyllina Oracula laudarunt. Insigne de iis testimonium ex Origene petitum.* VII. *Clementis Alexandrini de D. Paulo Sibyllam citante verba, ab alieno, in ea nuper conjecto, sensu vindicata.* VIII. *Clementem Romanum Sibyllæ Oracula vidisse ac citasse pro-*

babile est. IX. Eadem ante an. Dom. CXXXVIII. existisse ex Josepho, Strabone, aliisque probatur. X. Antiqua Sibyllæ Oracula igne in Capitolio absumpta sunt, aliaque variis e locis illuc postea transportata, quæ in Christianorum manus venire potuerunt. XI. Vera de istis sententia contra Blondellum explicata et asserta. XII. Quam futilis sit Observatoris responsio ex Carminibus Sibyllinis sumpta, e præmissis evincitur. XIII. Constantinum M. de Sibyllarum Oraculis, et Justinianum de Apostolorum Canonibus magnifice locutum esse, mirum nemini videatur. XIV. Justinianus Imp. hos Canones ipsis Apostolis adscribens non elevat, sed confirmat, nostram de iis opinionem 172

CAP. XV.

I. Jo. Antiocheni testimonium ab Observatoris exceptionibus defenditur. Canones Apost. Nomocanoni ante eum inserti fuerunt. II. Nomocanon quid proprie vulgoque significet. Jo. Antiochenus Nomocanonem componere non potuit, nec quosvis ei Canones inserere. Neque hoc in se suscepit. III. Etsi Justinianus et Jo. Antiochenus hos Canones ipsis Apostolis adscripserint, nostra tamen ex eorum testimonio sententia clare satis evincitur, Dallæana autem penitus evertitur. IV. Inter Gelasii P.R. nostramque de Canonibus Apost. sententiam nulla est àvcracia 197

CAP. XVI.

I. Quare Canones Apost. Codici Canonum Ecclesiæ universæ non sunt inserti. II. Eum, qui Codicem istum composuit, eos tantum Canones, quos Synodus Nicæna edidit vel recepit, quique postea sanciti sunt, colligere in animo habuisse probatur. III. Canones Ancyrani et Neocæsarienses Codici propterea inserti sunt, quod a Synodo Nicæna recepti. Idem dici nequit de Sardicensibus a secunda Synodo, ut Patribus Florentinis visum est, receptis. Ipsi secundæ generalis Synodi Canones Codici non sunt inserti ante quartam Chalcedone habitam. Synodi Florentinæ testimonium in hac causa vindicatur. IV. Etsi Canones Ancyrani et Neocæsarienses non fuissent a Synodo Nicæna confirmati, Codici tamen inserendi erant, ut iisdem diebus editi. V. Canones Apost. primitive ante Synodum Nicænam Ecclesiæ disciplinam exhibere asseritur. Collectores Canonum Ecclesiæ universæ nullam Apostolicos memorandi occasionem habuerant. VI. Nullum ex antiquis istius Ecclesiæ decretis Codici Ecclesiæ Africanæ insertum est. D. Cyprianus nihil de transmarinis appellationibus statuit. Non

opus erat, ut antiquior istius Ecclesiae Codex novo jungeretur, vel in eo commemoraretur. VII. Ex eo, quod Synodi antiquae Canones Apost. non nominalim memorarunt, non sequitur eos tunc non existisse. VIII. Canones Apost. Patribus Nicænis, Antiochenis, etc. incognitos fuisse, nequam ex eo sequitur, quod ab istis indicato Canonum numero non laudentur. Omnia antiquiorum Conciliorum Acta interciderunt 205

CAP. XVII.

- I. Ex eo quod Eusebius et Hieronymus horum Canonum non meminerunt, nihil contra eorum antiquitatem concludi posse exinde evincitur, quod nec alios antiquos Canones memorarunt. II. Canones Apostolici post Synodum Nicænam in desuetudinem abire cœperunt, aliis eorum loco substitutis. Ita tamen ut illorum memoria non penitus interciderit. III. Hi Canones antiquitus Ecclesiastici sæpius vocati sunt. IV. Primi eorum conditores in animo non habuerunt, ut hi Canones ab ipsis Apostolis sanciti crederentur. Canones XXIX., L., LXXXII., et LXXXV., quibus Apostolorum nomen subindicatur, corruptos ac interpolatos esse ostenditur. V. Quatuor illegitimis, quas Observator e præmissis suis infert, consequentiùs breviter respondetur. VI. Libri primi epilogus 224*

CODICIS CANONUM ECCLESIAE PRIMITIVÆ

VINDICATI AC ILLUSTRATI,

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Synopsis.

- I. *Ecclesia Christiana quare a Domino instituta.*
- II. *Eadem hodie in schismata et controversias discerpta, quæ ortum plerumque habent ex humani ingenii imbecillitate, qua ad extrema ruere proclives sumus.*
- III. *Clarissimum hujus rei documentum in controversia de Canonibus Apostolorum. Turriani et Dallæi extremæ de iis sententiæ.*
- IV. *Nostra inter eas media, ab Anonymo Observatore, eo tantum quod in Dallæanam non ad amussim quadret, impugnata.*
- V. *Temeraria Observatoris assertio, Episcopalem auctoritatem Ignatii Epistolis et Canonibus Apostolorum præcipue inniti. Eam aliunde quam ex Ignatii Epistolis satis constare paucis indicatur.*
- VI. *Eandem auctoritatem ante Canones Apost. juxta nostram sententiam conditos obtinuisse ipse Observator, aliique ejusdem Oppugnatores concedunt. Quam propterea illis inniti, inconsideratissima temeritate affirmatur.*
- VII. *Occasio hujus scribendi tractatus ab Observatore data.*
- VIII. *Ejusdem scopus ac partitio.*

I. QUI primam Ecclesiæ Christianæ institutionem, maturo, ut par est, judicio contemplatur, eamque cum hodierno ipsius statu comparat, satis admirari nequit, quo tandem fato evenerit, ut Ecclesia tantis fundata miraculis, tamque

perspicuis ac necessariis instructa præceptis, in tot unquam schismata dilaceraretur, quot ubique per eam hodie grassari contigit. Enimvero unicus Ille fundator hujus Ecclesiæ, Dominus ac Servator noster Jesus Christus, nihil aliud in ea constituenda Sibi proposuit, quam ut homines per eam ad verum Dei cultum, atque ad sempiternam adeo felicitatem dirigeret. Qua de causa, licet mors Ejus ad nostram salutem promerendam æque valuisset, si proximo post nativitatem Ipsius momento, ac si longo post tempore, eam perpressus esset; nihilominus in natura nostra Sibi assumpta triginta circiter annos transegit, priusquam mundo Se patefecerit, nec prius adhuc vitam pro nobis deposuit, quam aliud triennium plus minus hic complevisset. Quod temporis spatium cum hominibus in sua ipsorum natura versari dignatus est; partim ut divinam Suam potentiam pariter ac doctrinam miraculis confirmaret: partim ut homines veram erga Deum pietatem, et erga se invicem justitiam ac caritatem tam exemplo Suo quam præceptis edoceret, eosque certiores faceret, qua ratione Deum per Sua Solius merita placatum sibi propitiumque habeant: partim denique ut Ecclesiæ ex humano genere Sibi collectæ fundamenta jaceret, quæ postea per universum terrarum orbem propagata, viam hominibus indicaret, qua ad summam, cujus a natura sunt capaces, beatitudinem ascendant: ad quam propterea quicumque in Christianam hanc societatem admissi sunt, unice aspirare debent; et summis viribus eniti, ut, subacto carnis imperio, se totos observandis Christi præceptis consecrent, atque adeo cœlesti per Eum gloria potiantur. Et quidem cum inter omnes conveniat Christianos, neminem e cœlo exclusum fore, qui clarissime promulgatis in Evangelio legibus sincere obtemperaverit, mirum cuiquam videatur, si non omnes qui Christi nomen præ se ferunt, hoc unum studeant et prosequantur, ut æternæ istius vitæ ac salutis participes fiant, quam Unigenitus Dei Filius proprio Ipsius sanguine humano generi comparavit.

II. Verumenimvero si sacram hanc Ecclesiam ut ubique gentium hodie constitutam attentis oculis perlustremus, eam in partes et factiones adeo discerptam videre est, ut parum absit, quin fides a Christo ei concredita in superfluas ac inanes quæstiunculas tota evanuerit. Multo enim maxima

pars eorum qui membra illius se profitentur, susque deque habitis Evangelii mandatis, nihil fere aliud curant aut meditantur, quam ut controversias de religione vel agitandas moveant, vel motas agitent, et huic vel illi earum parti aliquo modo patrocinentur. Quo factum est, ut, rescissa Ecclesiæ unitate, in certas quasdam sectas et diversas disciplinæ formulas se disjungant, quæ singulæ peculiare sibi opiniones habent, de quibus propagandis majori urgentur sollicitudine, quam de Ipso Deo sincere pieque colendo : idque licet non raro de re nihili instituantur, ut parum intersit, an quis ex ingenio suo addat iis vel demat fidem. Hoc saltem extra dubium est, utramque opinionis cujuslibet controversæ partem veram esse non posse. Sed quanto una ad rei veritatem accedit, tanto altera ab ea distet necesse est. Sæpius etiam accidit, ut neutra pars dissidens fidem mereatur. Ea nimirum est humani ingenii pravitas, is animi præceps impetus, ut ad extrema ruere plus nimio proclives simus. Si qua nobis opinio minus arrideat, ab ea aliquantulum discedere haud contenti, in contrariam prorsus sententiam præcipites ferimur, quæ vero plurimum æque abhorret atque ea a qua discessimus. Et ad hanc fere classem pleræque quæstiones ecclesiasticæ, tanto fervore hisce diebus agitatae, facile reducantur. Istiusmodi enim sunt, quæ media via tutissime dirimantur ; sed, ea derelicta, in extremas utrinque partes vulgo abitur, summo studio ac ingenii acumine propugnatas. Quemadmodum olim etiam in Ecclesia accidit. Cum Nestorius enim duas esse in Christo personas æque ac naturas, divinam scilicet et humanam, impie asseruisset, Eutyches, in hæresi ista oppugnanda exercitatus, in aliam ex adverso ei oppositam delapsus est, duas in Christo incarnato naturas æque ac personas negans. Idem ante oculos nobis etiamnum versatur in omnibus fere controversiis, quibus Ecclesia Christiana hodie sollicitatur. Ex immoderato enim partium studio devicti homines, vix citius ex uno se errore expedire possunt, quin protinus in contrarium vacillent : Ut e sexcentis videre licet extremis utrinque opinionibus, ex iis præsertim, quibus Ecclesia Anglicana in medio constituta ultro citroque exercitatur.

III. Aliis autem, quæ plurima proferri possunt, in præsentis prætermisissis, clarissimum hujus rei specimen habemus

in controversia ista, quæ hisce meditandis occasionem præbuit. Nimirum Franciscus Turrianus, Jesuita, librum singularem edidit, quo probare conatus est, Canones vulgo Apostolorum dictos, ab ipsis Apostolis constitutos, et a sanctissimo eorum discipulo Clemente Romano literis mandatos, atque in eam quam hodie habemus formam redactos esse.¹ Hanc opinionem vir egregie doctus, et in antiquitate, præsertim ecclesiastica, versatissimus, Joannes Dallæus, multis, iisque solidissimis, argumentis refutavit.² Sed, quod commune est hominum etiam eruditissimorum fatum, in refellenda ista Turriani sententia summe occupatus, præ nimio incensi in eam animi ardore, eo tandem devenit, ut omni asseveratione affirmarit, hanc Canonum collectionem non tantum non ab ipsis Apostolis, vel a viris Apostolicis compositam esse, sed ab hæretico nescio quo tenebrione consarcinatam, eamque nec ante quintum illudque adultum a Christo incarnato seculum Ecclesiæ Christianæ innotuisse, et quinto exeunte jam primum exstitisse, publicarique cœptam esse. Quod quidem non est a delira Turriani opinione tantum recedere, verumetiam in aliam ei ex diametro contrariam sese præcipitare.

IV. Cum nos itaque Pandectis Canonum edendis operam daremus, inter annotationes in hosce S. Apostolorum vocatos Canones elucubrandas, in veram certamque eorum antiquitatem inquirere necessarium duximus: et pensculatis utrinque argumentis, mediam inter duas istas extremas, Turrianicam scilicet et Dallæanam, opiniones amplexi sumus. Hos scilicet Canones nec ab ipsis Domini Apostolis, An. Dom. XLV. ut vult Turrianus, constitutos esse, nec tamen quinto exeunte seculo eos primum exstitisse vel publicari cœptos esse, ut hariolatus est Dallæus, sed medio inter ea tempore, secundo videlicet exeunte, vel tertio saltem ineunte seculo constitutos

¹ [Francisci Turriani, Societatis JESU, adversus Magdeburgenses Centuriatores pro Canonibus Apostolorum et Epistolis Decretalibus Pontificum Apostolicorum, Libri quinque. Ad illustriss. et reverendiss. DD. Stanislauum Hosium, S.R.E. Cardinalem et Episcopum Varmiensem. Cum privilegio Serenissimi Magni Principis Hetruriæ. Flo-

rentiæ, ex officina Bartholomæi Sermartelli. MDLXXII.]

² [Joannis Dallæi de Pseudepigraphis Apostolicis, seu libris octo Constitutionum Apostolicarum apocryphis, Libri III. Hardervici, ex officina Johannis Tollii, Academiæ Typographi. Anno MDCLIII.]

pariter editosque fuisse: Quam nostram ut firmiorem redderem opinionem, non solum rationes protuli, quibus fundata est, verum etiam clarissimi Dallæi argumentis, quæ quovis ei modo repugnare visa sunt, plenissima, ut opinatus sum, responsa dedi. Verumenimvero Anonymus, nescio quis, vir sane haud mediocri eruditione ac doctrina,³ ægre ferens tanto viro, quantus ipsi visus est Dallæus, aliquid humani attributum esse, calamum in me propterea strinxit, quod ejus hac in re opinionem in quæstionem vocaverim. Hanc enim unicam ipse profert rationem, quare Observationes in annotationes nostras in Canones S. Apostolorum edidit,⁴ nempe *ut justa tanti viri nomini et fumæ solvat parentalia.* [Cap. I. p. 2.] Quam etiam ob rem, non me solum sed et undequaque doctissimum præstantissimumque virum, Joannem Pearsonium, nunc Episcopum Cestrensem, adortus est, et Dallæum suum ab Ignatianis ejus vindiciis vindicare conatus. Quali successu tam eruditum virum opusque impetierit, non meum est disquirere. Nullus enim dubito, quin ipse ille, quem Anonymus hic Observator in certamen vocavit, Ignatianas suas

³ [" [824] *Observationes in Ignatianas Pearsonii Vindicias et in Annot. Beveregii in Canones SS. Apostolorum, Rothomagi*, 1674, auctori suo Mattheo Lar-Roquano vindicantur a Jacobo Basnage, in Epistola IV., quæ adjuncta est Divi Chrysostomi Epistolæ ad Cæsarium Monachum, ab ipso editæ, p. 107. Ut refert Epistolica dissert. Dni et Patroni mei atque Scholarchæ honoratissimi D. Joh. Friderici Mayeri, de Anon. et Pseudon. ad me scripta. Quibus adde nunc serius exhibitas notas marginales verbotenus adscriptas amplissimi Dn. Præsulis Diecmanni, aliaque etiam superiorum emendant. Adde Républiq. des Lettres, 1684, Martii, p. 57.

Notæ marginales Dris. Diecmanni. Observationes in Ignatianas Pearsonii Vindicias et in Annotationes Beveregii in Canones S. Apostolorum. Rothomagi, 1674 .8. *In harum auctorem, ut anonymum, passim incurrit Guilielmus Beveregius, in Codice Ca-*

non. Primit. Ecclesiæ vindic. et illustrato, ubi eum, p. 4, virum haud mediocri eruditione et doctrina salutat. Eundem quoque ut Dallæi nuperum hyperaspisten anonymum Georg. Bullus, Defens. Fid. Nicæn. de Æt. Divin. Filii DEI, sect. 2, p. 78, edit. Amstel. notat. Sed virum de antiquitate Ecclesiastica tot egregiis scriptis meritissimum, Matthæum Larroquanium, fœtus hujus parentem esse, dudum orbi literato innotuit. Occasionem nati hujus scripti legas in Larroquani vita, quæ postremo adversariorum sacrorum, Lugd. Bat. 1688, editorum præfixa est."—Placcii Theatrum Anonymorum et Pseudonymorum. Cap. 11. De Scrip-toribus Theologicis, vol. i. p. 149. Hamb. 1708.]

⁴ [Observationes in Ignatianas Pearsonii Vindicias, et in Annotationes Beveregii in Canones Sanctorum Apostolorum. Rothomagi, apud Joannem Lucas, prope Palatium. MDCLXXIV.]

vindicias ab omnibus ejus exceptionibus facillime vindicaverit. Nostram sane de ista quæstione rogatus sententiam, paucis asserere non vererer, omnes S. Ignatii Epistolas ab eruditissimo earum vindice propugnatas, pro veris ac genuinis Apostolici illius viri scriptis necessario habendas esse; si nihil amplius contra eas in posterum dici possit, quam hucusque dictum fuit. Cum hæc autem controversia ad nos in præsentem non pertineat, ea fortissimo Ignatii patrono dimissa, nos interim istas eruditi Anonymi Observationes examinabimus, quas in nostras Annotationes in Canones S. Apostolorum edidit.

V. Prius autem quam ipsam aggrediar controversiam, non possum non advertere, eruditum nostrum Observatorem perspicaci adeo atque acuto esse ingenio, ut ea etiam e scriptis nostris observare possit, quæ ibi nulla sunt. Observat enim nos stylum idcirco in Dallæum strinxisse, quod
 [Cap. i.] p. 2. *veriti sumus ne prostrata jaceret, quam divinam putamus⁵ divinitusque institutam, Episcoporum supra presbyteros eminentia et auctoritas, si Epistolis Ignatianis et Apostolicis Canonibus larva [penitus] detraheretur. Undenam hoc collegerit, hariolari nequeo. Neque enim vola nec vestigium vani ac inanis hujusmodi metus in scriptis uspiam nostris apparet. Non equidem diffiteor, quin in agitanda ista, de ordinis episcopalis a presbyteratu distinctione, controversia magni ponderis merito habenda sit S. Ignatii viri Apostolici et martyris auctoritas, ut clarissimus ejusdem vindex in proœmii sui initio rectissime observavit. Hinc autem nequaquam sequitur omnem Episcoporum ὑπεροχὴν S. Ignatii epistolis et Canonibus Apostolicis præcipue inniti, ut eruditus Observator, omnium, ut opinor, mortalium primus somniavit.⁶ Quid enim si S. Ignatii Epistolæ in lucem nunquam prodissent? nihil universæ Ecclesiæ traditio, nihil perpetua Episcoporum ubique gentium successio, nihil luculentissima aliorum Apostolicorum virorum de hac re testimonia, nihil denique Sacræ Scripturæ et divina ipsa S. Apostolorum oracula nos moveant, ut episcopalem auctoritatem ab ipsis Apo-*

[Pear. Vin. Ign. Proœm. cap. i. apud Cotel. Pat. Ap. tom. ii. p. 247, Append.]

⁵ ["Veriti scilicet, ne prostrata jaceret, quam divinam putant," &c.—P. 2.]

⁶ ["Quamobrem viri eruditi, magnique Hierarchiæ ecclesiasticæ tibicines,

Scriptorum ejusmodi, quibus præcipue innitur omnis Episcoporum ὑπεροχὴ, patrociniū suscipiunt."—Obs. in Annot. Bev. cap. i. p. 2.]

stolis derivatam esse, persuasum habeamus? Omnia, quæso, partium studia, ut prudentem decet virum, depone, et vetustissima Ecclesiæ monumenta fide sincera consule, et dic tandem nobis, quo terrarum loco Ecclesia unquam sine Episcopo presbyteris præsidente ac imperante, ante delirum hoc nostrum et præcedens seculum, constituta fuit? Cumque nihil certius, nihil apertius esse possit quam proxima post ipsos Apostolos ætate Episcopos omnibus locis ecclesiasticam suam exercuisse potestatem, cuinam, obsecro, eam acceptam retulerunt? Quisnam eos Ecclesiis quibusque primus præposuit? A quo generali Concilio, a qua provinciali Synodo supra presbyteros constituti sunt? Hancine ipsi auctoritatem sibi arroganter arripuerunt? Quis sanæ mentis tot Apostolicos viros, martyrii corona plerosque redimitos, tanti facinoris arguere et condemnare ausus sit? Quis fidissimos illos piissimosque Patres, qui mundo huic omnibusque istius cupiditatibus toti renunciaverant, quique gloriosissimam Christi causam ad necem usque defendere semper parati erant, quis illos, inquam, primam Ecclesiæ disciplinam ab Ipso Christo et Apostolis Ejus institutam immutare, seque, contra ac edocti fuerant, supra fratres suos efferre ausos fuisse opinetur? Omnem sane fidem excedit, ut viri tanta in Deum Christumque pietate præditi, quanta primos Ecclesiæ Christianæ præsidēs fuisse extra dubium est, ullam sibi in Ecclesia potestatem arrogare vellent, quam ab Ipso Christo et legatis Ejus sibi commissam esse nesciebant. Ipsi autem acerrimi paritatis presbyteranæ propugnatores negare nunquam potuerunt, sed rei veritate subacti multoties confessi sunt, secundo ineunte vel saltem non adulto a Christi Nativitate seculo, Episcopos ecclesiasticæ supra presbyteros auctoritatis compotes fuisse; eosdem tamen pie sancteque Christum coluisse, nemo inficias eat. Quomodo autem hæc sibi constant, ut primitivi illi Antistites veram erga Christum pietatem colerent, et tamen, spreta disciplinæ formula a Christo instituta, aliam prorsus instituerent, qua ipsi aliquam in Ecclesia Ejus potestatem usurparent quam Ipse Christus iis denegaverat? Hæc sane inter sese haudquaquam consistunt: ut necesse sit alterutrum asserere, vel episcopalem istam auctoritatem ab Ipso Christo et Apostolis Ejus illis conceditam esse, vel eos omnes scele-

ratissimos fuisse hypocritas, qui Christi fidem professi, leges ab Eo conditas tam projecta audacia violarunt. Quod cum nefas sit de iis vel animo cogitare qui primi fuerunt religionis nostræ assertores, eos omnem, quam supra presbyteros tenuerunt, eminentiam ac auctoritatem, ipsis Christi Apostolis acceptam retulisse, non solum confiteamur, sed et profiteamur, oportet. Quod clarius adhuc ex eo elucescit, quod iis etiam Apostolicis temporibus, non uno tantum alterove in loco, sed ubicunque disseminata est religio Christiana, episcopalis ibidem ordo a presbyteratu distinctus eique prælatus est. In omnibus enim quæ tunc temporis patebant orbis terrarum partibus, Asia scilicet Africa et Europa, Ecclesiam Christianam per Episcopos a presbyteris distinctos, secundo saltem currente seculo, administratam fuisse, antiquissima quæ exstant Ecclesiæ monumenta indubium faciunt, nec ipsi infensissimi episcopalis dignitatis adversarii inficiari unquam potuerunt. Quonam autem pacto evenire potuit, ut omnes usquequaque Ecclesiæ, Hierosolymitana, Romana, Antiochena, Alexandrina, Smyrnensis, Ephesina, et quæcunque demum ullibi constitutæ sunt, tanto a se invicem locorum intervallo disjunctæ, in unam eandemque disciplinam tam cito conspirarent, nisi eam una cum fide ab ipsis Apostolis traditam accepissent? Nemo equidem rei tam incredibile rite perpensæ fidem habeat, nisi ad Dei omnipotentiam confugiat, Cui nihil est impossibile. Qui ad eam autem se confert, eo ipso nomine episcopalem istam auctoritatem divinitus institutam esse confitetur. Quod si quis mentis errore laborans, omnes istos religiosissimos Ecclesiæ præsules, qui eam proximo post Apostolos seculo administrabant, disciplinam ab ipsis in Ecclesia relictam funditus evertisse, aliamque ejus loco, inita factione, ex proprio ingenio instituisse arbitratus fuerit, is uno ictu universam condemnabit Ecclesiam, ab eo usque tempore ad hæc nostra secula propagatam, tanquam vitiatam, corruptam, et a disciplina per Christum stabilita perpetuo degenerantem; imo vero per plusquam tredecim annorum centurias, nullam prorsus in mundo talem fuisse Ecclesiam, qualis a Christo fundata est, non minus impie quam palam et aperte affirmabit. Quod quam absurdum sit, et a fide pariter atque a pietate Christiana alienum, isti viderint, qui melius sese Ec-

clesiam Christi administrare posse jactitant, quam unquam antehac ab ipsis ejus incunabilis administrata fuit. Nobis non licet esse tanta prudentia, vel tanta potius insolentia, præditi. Cum autem in confesso habeamus, secundo saltem post Christum incarnatum seculo, eoque nondum adulto, hoc est ante quinquagesimum post ultimum Apostolorum annum, Episcopus ubique presbyteris præfuisse, nec unquam demonstrari potuerit, quando, quomodo, vel cujus tandem ope atque auctoritate, præterquam Apostolica, sacram istam præfecturam primo adepti sunt, eam non fastuosæ primorum Ecclesiæ præsulum martyrumque arrogantiæ et ambitioni, sed Apostolicæ potius institutioni, meritissimo jure adjudicandam esse censemus; præsertim cum haud obscura ejusdem vestigia in ipsis Apostolorum scriptis etiamnum existent, ut posthæc, Deo volente, demonstraturi sumus.

VI. Quamobrem non opus est, ut vereamur, *ne prostrata jaceret Episcoporum supra presbyteros eminentia ac auctoritas*, si Epistolæ ab eo conscriptæ, Sancto Ignatio abjudicentur: multo minus, si debita Apostolicis Canonibus antiq̄uitas a nobis asserta iis denegetur. Et istis enim *omnem Episcoporum ὑπεροχὴν præcipue inniti*, satis mirari nequeo, qua tandem fronte Observator asseruerit. Ipse enim bene novit Blondellum suum aliosque strenuissimos episcopalis auctoritatis oppugnatores, etiam atque etiam confessos esse, episcopatum caput extulisse ante An. Dom. CXL. Imo quidem D. Blondellus de tempore, quo Episcopi supra presbyteros elati sunt, verba faciens, diserte ait, *Nullum momentum illustrius occurrit, in quod insignis illa mutatio commode conferri posse videatur, quam An. Christi CXXXV.*⁷ Quinetiam nec ipse eruditus Observator *distinctionem inter Episcopos et presbyteros natam esse secundo seculo inclinatio et ad finem vergente diffitetur.*⁸ Nostra autem

Blondel.
Præf. ad Apo-
log. [pro.
Sent. Hier.]

Observat. in
poster. Vind.
part. [cap.
xxxi.] p. 307.

⁷ ["Restat nunc ut quo potissimum . . . anno insignis illa mutatio facta fuerit curatius indagemus . . . Nul- lum certe momentum illustrius occurrit, in quod commode, &c. quam anno Olympiadis 228 tertio, Christi 135, Hadriani 19."—Apologia pro Sententia Hieronymi de Episcopis et Presbyteris, autore Davide Blondel. Præfatio ad

Ecclesiarum Rectores, p. 11, 4to. Amstelodami, 1646.]

⁸ ["Dallæus enim non diserte negat quosdam secundi seculi Scriptores post natam graduum distinctionem, et postquam ex uno duo facti sunt (quod secundo seculo inclinatio et ad finem vergente contigisse est verisimile), non negat, inquam, aliquod quosdam dis-

opinio, quam ille tantopere invadit et impugnat, Canones Apostolicos exeunte tantum eodem secundo seculo, vel ineunte tertio, conditos fuisse statuit. Unde palam conficitur Episcoporum supra presbyteros eminentiam, juxta suam ipsius Observatoris aliorumque ejus gregalium confessionem prius exortam fuisse, quam Canones Apostolici juxta nostram sententiam constituti essent: ac propterea hos nihil prorsus conferre ad eam stabiliendam, utpote quæ ante eos stabilita fuisse utrinque agnoscitur. Quanam itaque ratione affirmare potuit eruditus Observator, omnem Episcoporum ὑπεροχὴν Apostolicis etiam Canonibus præcipue inniti? Vel suspicari nos veritos esse, ne illa una cum horum antiquitate concideret? Si ipse quidem cum Turriano asseruissem, hosce Canones ab ipsis Apostolis sancitos esse, legitimam hoc suspicandi materiam ei præbuissem. Cum autem verbis conceptis e contra affirmassem, eos non ab ipsis Apostolis, sed a primitiva Ecclesia, labente secundo vel tertio surgente seculo, hoc est, post introductam, ut inter omnes convenit, episcopalem auctoritatem, constitutos fuisse, quis, præter unicum hunc nostrum Observatorem, aperto ore asseverare potuit, me veritum esse, ne prostrata jaceret Episcoporum supra presbyteros eminentia atque auctoritas, si Apostolicis Canonibus larva detraheretur? Quis potius ex hac censoria eruditi viri observatione non eliceret, eum isto solum nomine in hosce Canones tanto conatu invehì, quod Episcopi tanquam a presbyteris distincti in iis toties commemorentur? Licet enim non nobis, illi tamen, omnis Episcoporum ὑπεροχὴ iis etiam præcipue inniti videtur; ac propterea veritus, ut presbyterana paritas cum primitiva Ecclesiæ disciplina consistat, si qua veteri huic monumento fides habeatur, summis eam viribus labefactare enixus est. Quam male autem hoc in negotio operam locavit, nullus dubito, quin clarissime evincatur.

VII. Hoc autem ut effectum detur, alia hoc in loco procedendum est methodo quam qua in Annotationibus usi sumus. In iis enim elaborandis, cum nihil minus quam peculiarem integrumve de hoc subjecto tractatum edere, nobis consti-

crimen observasse inter Episcopatus et Presbyteratus vocabula." — Obs. in

Post. Vindic. Partem, cap. xxxi. pp. 306, 307.]

tutum fuerit, singula Dallæi argumenta discutere, haud operæ pretium duximus. Neque enim loci propositique ratio id postulabat. Quinetiam multo maxima eorum pars quæ Dallæus contra Canonum Apostolicorum antiquitatem scripsit, non nostram sed Turrianicam solam de iis sententiam perstringunt: Quibus proinde non opus erat nos responderemus. Cum eruditus autem Observator aliquoties affirmet clarissimum Dallæum, Turrianicis occurrendo objectionibus, pleraque etiam nostra argumenta refellisse,⁹ ejusque responsiones etiamnum valere, nisi a nobis diluantur, hinc necessarium nobis visum est, hanc de Canonum horum antiquitate quæstionem a capite usque ad calcem pertractare, ut nullus in posterum cavillandi locus supersit.

VIII. Quapropter nostram imprimis de hisce Canonibus sententiam fusius aperiemus, una cum argumentis quibus innititur. Deinde, quicquid doctissimi viri, Joannes Dallæus, et Anonymus Observator, contra ista exceperunt argumenta, ad examen revocabimus, et dissolvemus. Secundum hæc omnia discutiemus argumenta, quibus Dallæus contra horum Canonum antiquitatem militavit, eaque nostram de iis sententiam non attingere, nedum evertere, demonstrabimus: et quæcunque præterea Observator vel pro Dallæana vel contra nostram de hac re opinionem scripsit, ea, suo quodque in loco, prout occurrunt, Deo adsistente, diluemus.

⁹ [“ Ut ut est, quoniam clarissimus Dallæus pleraque Beveregii argumenta refellit Turrianicis occurrendo objec-

tionibus.”—Obs. in Annot. Bever. cap. ii. p. 7.]

CAPUT II.

Synopsis.

- I. *Nostra de Canonibus Apost. sententia, eos a Catholicis secundi tertiique seculi Synodis sancitos statuens.*
- II. *Hæc sententia duabus observationibus explicatur, quarum prima est, frequentes istis etiam seculis, æque ac postea, habitas fuisse Synodos, quibus altiora quæque tractata sunt: quod probatur.*
- III. *Altera observatio est, nihil in Can. Apost. haberi, quod ecclesiasticæ istorum temporum disciplinæ non exacte respondet.*
- IV. *Hinc ergo hi Canones nihil aliud nobis videntur, quam primitivarum Synodorum decreta. Quod de nonnullis eorum certe constat.*
- V. *Non ab uno sed a pluribus Conciliis conditi fuerunt. Et a diversis etiam viris collecti. Unde orta est in numero eorum diversitas. Ecclesiastici etiam a nonnullis vocantur, ab aliis Apostolici et Apostolorum. Utriusque nomenclaturæ ratio.*
- VI. *Synodi primitivæ ex Apostolorum traditionibus controversias determinare, legesque ferre solebant. Hinc Canonibus hisce ab iis sancitis Apostolorum nomen inscriptum.*
- VII. *Nostra de horum Canonum antiquitate, quæ sola controvertitur, sententia. Hincmarus Remensis eandem olim tenuit. Sed Joannes Dallæus aliter sensit: cujus opinio hic discutitur.*

I. PRIMO itaque quod ad nostram spectat sententiam in Annotationibus assertam, paucis hic expediatur. Omnes enim octoginta quinque Canones Apostolorum vulgo dictos, quos Franciscus Turrianus ab ipsis Apostolis ante annum Dom. L. sancitos, Joannes autem Dallæus ab Hæretico aliquo impostore post annum Dom. CCCCL. confictos esse

affirmavit, nos, media insistentes via, eos nec ab ipsis Apostolis, nec a quovis Hæretico, nec ante annum L. nec post CCCCL. sed ab Apostolicis Catholicisque viris secundo tertioque a Christi nativitate seculo constitutos publicatosque fuisse contendimus. Non quod singula quæ nunc dierum in iis habentur verba adeo antiqua fuisse censeamus. Nihil enim dubii esse potest, quin hoc, æque ac alia quæcunque Ecclesiæ primitivæ monumenta, nonnullis in locis interpolatum fuerit, et mendis quibusdam, de quibus postea agemus, vitiatum. Verum res ipsas in dictis Canonibus comprehensas, a variis Apostolicorum virorum Synodis definitas, et ante tertium finitum seculum in istud, quod sub Canonum S. Apostolorum titulo hodie circumfertur, corpus collectas fuisse arbitramur. Usque adeo ut hæc Canonum antiquissimorum Sylloge nihil aliud nobis videatur, quam *Codex Canonum Ecclesiæ primitivæ*, per quem scilicet ecclesiastica disciplina, plurimis saltem in locis, ante consessum Nicænum administrata fuit.

II. Ad hanc nostram de Canonibus Apostolicis opinionem dilucidandam, imprimis observetur velim, complures ab ipsa etiam Apostolorum ætate Synodos passim celebratas fuisse, tribus nimirum primis Christianismi seculis, æque ac sequentibus. Cum ipsis enim Apostolis ad determinandam istam, quæ in Ecclesia recens nata exorta erat, de circumcissione et lege Mosaica Gentilibus imponenda, controversiam, in Synodo una convenire, et in ea Canonem sive ecclesiasticam de ista re legem sancire visum fuisset, hac iis premonstrata via itum est ab omnibus ipsorum successoribus, sive Episcopis, quibus Ecclesiæ ulterius propagandæ regendæque cura commissa fuit. Si qua enim quæstio de fide Christiana, vel de externa Ecclesiæ politia rite instituenda emerit, eam Episcopi, Apostolorum more, in Synodis congregati protinus determinare solebant. Ut videre est in gravi ista de Paschalis celebritatis tempore controversia, qua Ecclesia primitiva diu multumque sollicitata fuit. Ad eam enim dijudicandam, plurima passim ab Episcopis celebrata sunt Concilia, Romanum, Palæstinum, Ponticum, Gallicanum, Osroenum, aliaque ab Eusebio commemorata.¹ Et cum multæ istiusmodi

Hist. Eccles.
lib. v. capp.
23, 24.

¹ [Σύνοδοι δὴ καὶ συγκροτήσεις ἐπι- μιᾷ γνώμῃ δι' ἐπιστολῶν ἐκκλησιαστικῶν σκόπων ἐπὶ ταῦτόν ἐγένοντο· πάντες τε δόγμα τῶν πανταχόσε διατυποῦντο, ὡς

Tertull. de
Jejun. adv.
Psych. cap.
xiii. [p. 552,
A.]

quæstiones istis diebus exortæ essent, frequentes etiam iisdem dirimendis habitas fuisse Synodos, plusquam verisimile est. Ex Tertulliano enim certissime constat, dicente, *Aguntur præcepta [præterea, Pr.] per Græcias illas [illa, Pr.] certis in locis Concilia ex universis Ecclesiis, per quæ et altiora quæque in commune tractantur, et ipsa representatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur.* E quibus etiam verbis liquet altiora quæque in istis Synodis tractata fuisse. In earum scilicet potestate situm erat, omnia, quæ in Ecclesia orta sunt, dubia solvere, contentiones componere, hæreticos et schismaticos contumaces Ecclesia ejicere, particulares ritus ac cæremonias in externo Dei cultu observandas e generalibus Sacræ Scripturæ axiomatis elicere ac imperare, et Canones denique sive leges ecclesiasticas condere, juxta quas Episcopi, suam quisque provinciam, administrarent. Hæc erant altiora illa quæ in primitivis Synodis tractata sunt.

III. Ad hæc observatum etiam velim, nihil in Canonibus, qui Apostolorum vulgo appellantur, decerni, quod moribus ac institutis Ecclesiæ primitivæ non ad amussim quadrat. Quicquid enim in iis constituitur secundo tertiove æræ Christianæ seculo observatum fuisse, ex Origene, Clemente Alexandrino, Tertulliano, Cypriano, aliisque istorum temporum scriptoribus, necnon ex ecclesiasticis historiis abunde constat, ut postea fusius ostensuri sumus. Omnia vero quæ in dictis Canonibus continentur, in Sacris Scripturis nusquam præscripta leguntur. Quanam itaque ratione in Apostolicam sive primitivam Ecclesiam primo inducta sunt? Furtim et fortuito ea omnia irrepsisse, nemo, ut opinor, affirmabit. Neque enim credibile est primos Ecclesiæ præsules adeo socordes fuisse et curæ sibi concreditæ negligentes, ut ritus quosvis solennes in publicum Dei cultum aut Ecclesiæ regi-

ἂν μὴ ἐν ἄλλῃ πρὸς τῆς κυριακῆς ἡμέρας τὸ τῆς ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως ἐπιστιλοῦτο τοῦ Κυρίου μυστήριον· καὶ ὅπως ἐν ταύτῃ μόνῃ τῶν κατὰ τὸ Πάσχα ἡσυχῶν φυλακτώμεθα τὰς ἐπιλύσεις. Φίρεται δ' εἰσὶν τῶν κατὰ Παλαιστίνην σηρικᾶδι συγκειροσθημένων γραφῆ, ὡς προὔτίτακτο Θεόφιλος τῆς ἐν Καισαρίᾳ παροικίας ἐπίσεως, καὶ Νάρκισσος τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις

καὶ τῶν ἐπὶ Ῥώμῃς δι' ὁμοίως ἄλλη περι τοῦ αὐτοῦ ζητήματος, ἐπίσκοπον Βίκτορα δηλοῦσα· τῶν τε κατὰ Πόντον ἐπισκόπων, ὡς Πάλμας ὡς ἀρχαιότατος προὔτίτακτο· καὶ τῶν κατὰ Γαλλίαν δι' παροικιῶν, ἔς Εἰρηναῖος ἐπισκόπου· ἴτι τε τῶν κατὰ τὴν Ὀσροηνὴν καὶ τὰς ἐκείσε πόλεις.—Eus. Hist. Eccl. lib. v. cap. 23, pp. 242, 243.]

men induci permetterent, priusquam ipsi consilium de iis iniissent: ac propterea persuasissimum habemus, nihil non diserte in Sacris Scripturis præceptum, aut ab Apostolis traditum, in Ecclesia primitiva obtinuisse, quod non prius a Synodis Episcoporum approbatum fuit ac institutum. Et quandoquidem plurima hujusmodi Concilia istis temporibus passim celebrata essent, plures haud dubie Canones sive regulæ ecclesiasticæ ab iis constitutæ sunt, haud pauciores scilicet quam ritus, mores, ac cæremoniæ istis diebus observatæ, et nec divina nec Apostolica auctoritate prius sancitæ.

IV. Quæ cum ita sint, Apostolicos quos vocamus Canones, nihil aliud fuisse existimamus, quam statuta quædam sive decreta Synodorum, quæ per tria priora æræ Christianæ secula diversis temporibus locisque habitæ fuerunt. Quæ sententia eo probabilior redditur, quod pro comperto habeamus, nonnulla eorum, quæ in dictis Canonibus continentur, a primitivis istis Synodis constituta fuisse. Verbi gratia; Canone Apostolorum septimo cautum est, ne quis sanctum Paschæ diem ante vernal æquinoctium cum Judæis celebret:² quod idem a plurimis Episcoporum Synodis secundo exeunte seculo celebratis decretum fuisse, Eusebius memoriaræ tradidit.³ Præterea Canones Apostolici VI. et LXXXI. præcipiunt, ne quis Episcopus, presbyter, aut diaconus secularis curas, aut publicas administrationes suscipiat:⁴ hoc autem in Concilio Episcoporum ab antecessoribus suis sta-

Hist. Eccles.
lib. v. cap. 23.

² [Ἐἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, τὴν ἁγίαν τοῦ Πάσχα ἡμέραν πρὸ τῆς ἱερῆς ἰσημερινῆς μετὰ Ἰουδαίων νηστῆσαι, καθαιρήσθω.—Can. Ap. vii. Pandectæ Canonum, tom. i. p. 4, F.]

³ [Ζητήσεις δὴτα κατὰ τοῦτον οὐ μικρὰς ἀνανηθίσης, ὅτι δὴ τῆς Ἀσίας ἀπάσης αἱ παραικίαι ὡς ἐκ παραδόσεως ἀρχαιοτέρης σιλήνης τὴν τισσαρισκαδικάτην ὄνοντο διὲν ἐπὶ τῆς τοῦ σωτηρίου Πάσχα ἱερῆς παραφυλάττειν, ἐν ᾗ οὖν τὸ πρὸβατον Ἰουδαίους προηγύριτο ὡς δὲ ἰσπαντὸς κατὰ ταύτην, ὁποῖα δ' ἂν ἡμέρα τῆς ἰβδομάδος περιτυγχάνοι, τὰς τῶν ἀσπιτῶν ἐπιλήσεις ποιήσθαι οὐκ ἔθους ὄντες τοῦτον ἐπιτελεῖν τὸν τρόπον ταῖς ἀνὰ τὴν λοιπὴν ἄτασαν οἰκουμένην ἐκκλησίαις, ἐξ

Ἀποστολικῆς παραδόσεως τὸ καὶ εἰς διῶρο κρατῆσαν ἔθος φυλαττούσας ὡς μὴ δ' ἰτέρα προσήκειν παρὰ τὴν τῆς ἀναστάσεως τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν ἡμέραν τὰς νηστίας ἐπιλήσθαι ὁμοῦ δὴ, κ. τ. λ., ut supra, p. 13. Eus. Hist. Eccl. lib. v. cap. 23, pp. 241, 242.]

⁴ [Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος κοσμικὰς φροντίδας μὴ ἀλαμβαίνειτω, εἰ δὲ μὴ, καθαιρήσθω.—Can. Ap. vi. Pan. Can. tom. i. p. 4, C.]

Εἴπομεν, ὅτι οὐ χρὴ ἐπίσκοπον ἢ πρεσβύτερον καθίνασι ἑαυτὸν εἰς δημοσίας διοικήσεις, ἀλλὰ προσευκαίρειν ταῖς ἐκκλησιαστικαῖς χρεῖαις. ἢ πιθίσθω οὖν ταῦτο μὴ ποιεῖν, ἢ καθαιρήσθω.—Can. Ap. lxxxi. Pan. Can. tom. i. p. 53, D.]

Epist. lxvi. tutum fuisse D. Cyprianus attestatur.⁵ Idem dicendum est de Canone Apost. LII. quo lapsos resipiscentes ab Ecclesia recipiendos esse decernitur,⁶ hoc enim a *copioso Episcoporum numero* in unum conveniente decretum esse, ab eodem asseritur.⁷ Quinetiam Synodus Romana iisdem diebus habita idem decrevit, ut ex Eusebio discimus.⁸ Ut de aliis sileam, quod in Canonibus Apostolorum XLVI. et XLVII. decernitur de hæreticorum Baptismo non recipiendo,⁹ id *multis annis et longa ætate* ante D. Cypriani tempora, a Synodo sub Agrippino habita statutum fuisse, ex septuagesima tertia ejusdem Cypriani Epistola, quæ est ad Jubaianum, abunde constat.¹ Unde clarissime conficitur aliquam saltem horum Canonum partem a primitivis, ut ita loquar, Synodis constitutam esse. Quod autem de parte constat, idem de toto hoc Codice merito statuatur: omnes nimirum hosce Canones, nec S. Apostolorum præcepta, nec hæretici cujuscumque figmenta, sed decreta esse Synodorum, quæ a viris Apostolicis, primis Ecclesiæ seculis celebratæ sunt. Quod nullus dubito, quin extra contro-

Epist. lii. ad Antonian.
Hist. Eccles. lib. vi. cap. 43.

⁵ ["Cum jam pridem in Concilio Episcoporum statutum sit, ne quis de clericis et Dei ministris tutorem vel curatorem testamento suo constituat, quanto singuli divino sacerdotio honorati, et in clerico constituti, non nisi altari et sacrificiis deservire, et precibus atque orationibus vacare debeant."—Cypr. Ep. lxvi. Pamel. i. Fell. Presbyt. et Diacon. et plebi Furnis consistentibus, p. 1. "Quod Episcopi, antecessores nostri religiose considerantes."—Ib. p. 2.]

⁶ [Ἐἴ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος τὸν ἀποστρέφοντα ἀπὸ ἁμαρτίας οὐ προσδέχεται, ἀλλ' ἀποβάλλεται, καθαιρίζεται.—Can. Ap. lii. Pan. Can. t. i. p. 34, E.]

⁷ ["Persecutione sopita, cum data esset facultas in unum conveniendi, copiosus Episcoporum numerus . . . in unum convenimus, et, Scripturis diu ex utraque parte prolatis, temperamentum salubri moderatione libravimus, ut nec in totum spes communicationis et pacis lapsis denegaretur; . . . sed traheretur diu poenitentia," &c.—Cypr. Ep. lii. Pamel. lv. Fell. pp. 102, 103.]

⁸ [Ἐφ' ᾧ (de lapsis restituendis) συνέδου μεγίστης ἐπὶ Ράμης συγκληθείσης.—Eus. Hist. Eccles. lib. vi. cap. 43, p. 310.]

⁹ [Ἐπίσκοπον ἢ πρεσβύτερον αἰρετικῶν διζήμενους βάπτισμα ἢ θυσίαν καθαιρίζεται προστάσσομεν.—Can. Ap. xlvi. Pan. Can. tom. i. p. 30, E.]

Ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος τὸν κατὰ ἀλήθειαν ἔχοντα βάπτισμα ἰὰν ἄνοθον βαπτίση, ἢ τὸν μεμολυσμένον παρὰ τῶν ἀσιβῶν ἰὰν μὴ βαπτίση, καθαιρίζεται.—Can. Ap. xlvii. Pan. Can. tom. i. p. 31, B.]

¹ ["Apud nos autem non nova aut repentina res est, ut baptizandos censeamus eos, qui ab hæreticis ad Ecclesiam veniunt, quando multi jam anni sint, et longa ætas ex quo sub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes in unum Episcopi plurimi hoc statuerint."—Cypr. Ep. lxxiii. ad Jubaian. p. 199, "Hanc vero longam ætatem," ut ait Rigaltius in loc. "Augustinus, libro iv. contra Don. c. 6, in paucos annos contraxit."]

versiam esset, si acta omnium exstarent Synodorum, quæ ante Nicænam habitæ fuerunt.

V. Cum omnia vero istarum Synodorum acta jampridem perierint, ut cuique notum est, nihil certi definire possumus de loco vel tempore, quo primo editi sunt hi Canones. Hoc tantum ex ipsa eorum textura constare videtur, eos scilicet, non ab una omnes, sed a multis Synodis, iisque diversis in locis habitis, constitutos fuisse, ut in Annotationibus ostendimus.² Et præterea, ut a variis Conciliis editi, sic a diversis quoque viris collecti nobis videntur, quorum hi plures, illi pauciores collegerunt, prout eos quærendo investigare poterant. Et hinc est, quod in codice, quo usus est Dionysius Exiguus, quinquaginta soli Canones inventi sunt, et ab eodem Latine redditi, cum alii codices, iisdem etiam diebus exstantes, octoginta quinque Canones numerarent. Verum priores L. prius compacti, et reliqui XXXV. istis postea additi videntur. Non secus ac in Codice Canonum Ecclesiæ universæ accidisse liquet: qui primo Ephesinis terminatus Canonibus, postea Chalcedonensibus, Trullanis, Carthaginiensibus, aliisque quamplurimis locupletatus et exactus est. Eodem modo, Codici Canonum Ecclesiæ primitivæ, ex L. tantum Canonibus primum conflato, alios XXXV. postea adjectos fuisse, vero nobis simillimum videtur. Ex quo autem primo collecti sunt, et in Codicem, quem præ manibus habemus, compacti, hi *Ἐκκλησιαστικοὺς*, illi *Ἀποστολικούς κανόνας*, eos nuncuparunt: Ecclesiastici quidem vocantur, non tantum a vetustis quibusdam Synodis Patribusque, verumetiam ad calcem Apostolicarum Constitutionum quibus subjungi solent, ubi hi Canones hunc titulum præ se ferunt, *Κανόνες Ἐκκλησιαστικοί*. Quo nomine jure merito indigitantur, eo quod ab ecclesiasticis Synodis constituti fuerant, quodque veteris

[Vide Justellii Bibl. J. Can. tom. i. pp. 112-116.]

² ["Cum pro comperto autem habemus tres hosce Canones (vii. scil. xlvii.) qui inter Apostolicos numerantur, a primitivis, ut ita loquar, Conciliis constitutos esse, idem et de reliquis statuendum censeo; nimirum quod a Synodis quæ variis et temporibus et locis convenerant, editi sunt hi Canones, et tertio demum currente seculo in unum corpus collecti." — Præf. ad Annot.

cap. xi. p. 4, b. Pan. Can. tom. ii. ad fin.

"Ut autem a variis Conciliis editi sunt hi Canones, sic et a diversis quoque viris nobis collecti videntur, quorum hi plures, illi pauciores collegerunt; unde prædicta in numero discrepantia orta est; non secus ac in Conciliorum postea Canonibus accidisse patet," &c.—Cap. xiii. p. 4, b.]

Ecclesiæ disciplinam complectuntur. Apostolici autem et S. Apostolorum Canones idcirco appellantur, quod a viris Apostolicis sanciti sunt et publicati; quod S. Apostolorum doctrinæ consentanei, et quod ab ipsis denique Apostolis traditi crederentur.

VI. Enimvero proximis post Apostolos seculis, quæcunque in Ecclesia ortæ sunt controversiæ, de ritibus saltem et externa Ecclesiæ politia, eas omnes ex Apostolorum traditionibus determinare solenne fuit. Ut e magna ista de Pascha contentione patet, utraque parte Apostolorum, hac D. Petri ac Pauli, illa Joannis et Philippi traditiones, ad opinionem suam adstruendam afferente.³ Hinc multiplices Apostolorum traditiones istis diebus collectæ sunt. Papias enim, qui mox post Apostolos vixit, ut exactam rerum ecclesiasticarum scientiam assequeretur, a senioribus, qui cum ipsis Apostolis versati fuerant, se sciscitatum fuisse dicit, quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Jacobus, quid Joannes, quid Matthæus, quid cæteri Domini discipuli dicere soliti essent. Neque enim ex librorum lectione tantam se utilitatem capere posse existimabat, quantam ex hominum adhuc superstitem viva voce.⁴ Sic etiam Clemens Alexandrinus, in libro quem de Pascha composuit, coactum se affirmavit a familiaribus suis, ut traditiones, quas ab antiquioribus presbyteris acceperat, scriptas posteris mandaret.⁵ Tanti istis diebus habitæ erant Apostolorum traditiones. Et quidem nemini dubium esse potest, quin singulæ

Eus. Eccl.
Hist. lib. v.
capp. 23, 24.

Ibid. lib. iii.
cap. 39.

Ibid. lib. vi.
cap. 13.

³ [Φίλισπον τὸν τῶν δώδικα Ἀποστόλων, ὃς κεικόμενται ἐν Ἱερραπόλει . . . ἔτι δὲ καὶ Ἰωάννης ὁ ἐπὶ τὸ στήθος τοῦ Κυρίου ἀνακισίων.—E. Polycratis Epist. ad Victor. apud Eus. Eccl. Hist. lib. v. cap. 24, p. 243.]

Ὅστι γὰρ ὁ Ἀνίκητος τὸν Πολύκαρπον πρὸς αὐτὸν ἰδύνατο μὴ τηρεῖν, ἄτε μὲτὰ Ἰωάννου τοῦ μαθητοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν καὶ τῶν λοιπῶν Ἀποστόλων, οἷς συνδιήτριψεν, αἰετισταρηκότα· οὔτε μὴν ὁ Πολύκαρπος τὸν Ἀνίκητον ἴσους τηρεῖν, λίγοντα τὴν συνήθειαν τῶν πρὸ αὐτοῦ πρεσβυτέρων ἐφίλιον κατήχων.—Ibid. p. 249.]

⁴ [Εἰ δὲ σου καὶ παρεκλογηθῆκώς τις τοῖς πρεσβυτέροις ἴλοι, τοῖς τῶν πρεσβυ-

τέρων ἀνίκερον λόγους· τί Ἀνδρέας, ἢ τί Πέτρος εἶπεν· ἢ τί Φίλισπος· ἢ τί Θωμᾶς, ἢ Ἰάκωβος· ἢ τί Ἰωάννης, ἢ Ματθαῖος· ἢ τίς ἕτερος τῶν τοῦ Κυρίου μαθητῶν· ἄτε Ἀριστίων καὶ ὁ πρεσβύτερος Ἰωάννης, οἱ τοῦ Κυρίου μαθηταὶ λίγους· οὐ γὰρ τὰ ἐκ τῶν βιβλίων τοσοῦτον με ἀφίλιον ὑπελάμβανον, ὅσον τὰ παρὰ ζώσης φωνῆς καὶ μενούσης.—Papias apud Eus. Eccl. Hist. lib. iii. cap. 39, p. 136.]

⁵ [Καὶ ἐν τῷ λόγῳ δὲ αὐτοῦ τῷ περι τοῦ Πάσχα ἐκβιασθῆναι ὁμολογεῖ πρὸς τῶν ἰταίρων, ὅς ἔτυχι παρὰ τῶν ἀρχαίων πρεσβυτέρων παραδόσεις, γραφῆ τοῖς μετα ταῦτα παραδοῦναι.—Eus. Hist. Eccl. lib. vi. cap. 13, p. 272.]

Ecclesiæ ab ipsis Apostolis fundatæ aliquas ab iis traditiones ac regulas acceperint in administrationibus ecclesiasticis perpetuo observandas. Cum progressu autem temporis diversis in locis diversæ etiam sub Apostolorum nomine traditiones producerentur, eo factum est, ut de ipsis etiam traditionibus postea disceptaretur: adeo ut Episcopi in Synodis congregati in hujusmodi traditiones diligenter inquirerent, ut veras ac genuinas a falsis et supposititiis discernent. Quicquid autem ab ipsis Apostolis diserte traditum, vel aliis eorum traditionibus consonum esse, post deliberationem in utramque partem factam, judicabant, illud sub Apostolorum, ut videtur, nomine aliis commendare ac præcipere solebant. Omnes porro ecclesiastici, de quibus hic agimus, Canones, hujusmodi nobis videntur Synodorum primitivarum decreta sive regulæ, quas vel ab ipsis Apostolis traditas, vel aliis ipsorum traditionibus consentaneas esse, a Synodis istis judicatum est. Et hinc imprimis est, quod Apostolorum nomen iis inscriptum fuit, si non ab ipsis eorum editoribus, vel ab iis qui in unum eos corpus collegerunt, ab aliis saltem exiguo post tempore, qui, nescii quo melius, Apostolorum eos traditioni, ut uni omnis primitivæ disciplinæ origini, acceptos retulerunt; utpote qui nihil a primitivis istis Synodis, nisi ex Apostolorum traditionibus vel scriptis, vel non scriptis, decretum fuisse pro certo habent.

VII. Hæc sunt quæ nostræ de Canonibus Apostolorum dilucidandæ sententiæ necessaria duximus. Nihil autem hic in controversiam vocatur, præter dictorum Canonum antiquitatem. Nostra enim sententia eos ante finitum tertium æræ Christianæ seculum et conditos fuisse et collectos asserit. Ab hac nostra de hisce Canonibus opinione haud multum abludit Hinemarus Remensis, qui octingentos ante annos observavit Apostolorum qui vocantur Canones *a primis temporibus traditione viritim Apostolicorum virorum fuisse mentibus commendatos, et partim verbis, partim sensu, ac sparsim diversis quorundam Epistolis pro qualitate causarum et personarum ac temporum inditos, atque exinde, antequam Episcopi Concilia libere inciperent celebrare, a devotis quibusque collectos.* Quibus verbis haud obscure indigitat hosce Canones ab Episcopis primitivis ex antiquis Apostolorum traditionibus conditos fuisse et commendatos: cla-

Hinemar.
Rem. Opusc.
[xxxiii. adv.
Hinemarum
Laudunensem] cap. 24.
[Op. tom. ii.
p. 473.]

rissime autem pronunciat eos collectos fuisse *antequam Episcopi Concilia libere inciperent celebrare*. Hoc est ante annum Dom. CCCVI. quo Constantinus M. imperare, et Episcopi Concilia libere celebrare cœperunt. Verum V. Cl. Joannes Dallæus huic opinioni se totum opposuit, asseruitque Canones hosce Apostolorum dictos non ante quintum seculum, illudque exiens, vel notos fuisse vel confictos. Suam enim de hac re sententiam his verbis concepit, *Denique si de tempore quæ- ratur, quo pseudapostolica illa et apocrypha Canonum collectio facta et edita primum fuerit, apparet ex iis quæ hactenus disputata sunt, eam neque ante quintum seculum adultum innotuisse, et quinto exeunte exstitisse, publicarique cæptam esse*. Hanc Dallæi sententiam nos breviter, ut loci ratio postulabat, in Annotationibus refellimus.⁶ Sed quandoquidem Anonymus Observator eandem ab argumentis nostris vindicare conatus est, eam paulo altius hoc in loco discutiemus, et nostram de Canonum horum antiquitate opinionem vero longe propiorem, imo quidem verissimam, esse demonstrabimus.

Dall. de
Pseudep.
lib. iii. cap.
21, [p. 685.]

⁶ [In Præfatione ad Annotationes in finem. Pan. Can. tom. ii., ad calcem, Canon. Apostol. a cap. xvi. usque ad pp. 5-8.]

CAPUT III.

Synopsis.

- I. Canonum Apost. *antiquitas a nobis asserta, ex quarti quintique nondum adulti seculi testimoniis satis probetur. Ea in duas classes reducuntur.*
- II. *Egregium S. Athanasii de antiquis Ecclesiæ Canonibus testimonium, Quod de aliis quam Apostolicis intelligi non posse ostenditur.*
- III. *Aliud ex ejusdem Patris operibus pro Canonibus Apostolicis petitum argumentum.*
- IV. *S. Basilius suum etiam testimonium hisce Canonibus Apost. tribuit, in Canonica sua ad Amphilochium Epistola, Canone III. XII. necnon primo.*

I. AD evertendam Dallæi, et nostram de antiquitate Canonum Apostolicorum opinionem confirmandam, aliis non opus est argumentis, quam quæ ex testimonio petuntur. Si enim e genuinis ac idoneis veterum testimoniis probatum dederimus, hos ipsos Canones visos fuisse, commemoratos, et in causis ecclesiasticis dijudicandis productos, ab antiquis istis Patribus aliisque Ecclesiæ scriptoribus, quos ante quintum seculum vel elapsum vel adultum scripsisse inter omnes convenit, nemini in posterum dubium esse potest, quin ante istud tempus iis confingendis a Dallæo assignatum, et conditi fuerint, et in usum publicum collecti. Ut illud autem demonstramus, quamvis complures loquendi formulas ab Origene, Tertulliano, Clemente Alexandrino, Cypriano, aliisque secundi tertiique seculi scriptoribus usitatas proferre liceat, quæ Canones Apostolorum istis diebus exstitisse, cognitosque fuisse, innuunt; veruntamen, iis hic omissis, utpote de quibus commodior postea occurret agendi locus, ea tantum veterum testimonia hic producemus, quæ ex quarto quintoque seculo suppeditantur, remque clarissimam et indubiam

faciunt. Ista autem in duas classes redigemus: quarum prima ea colliget testimonia, quæ hosce Canones sub generali Canonum, vel Canonum Antiquorum, aut Ecclesiasticorum nomine citatos fuisse ostendunt. Ad alteram vero classem ista veterum testimonia reducentur, quæ Canones Apostolicos, et Canones S. Apostolorum verbis conceptis laudant.

II. Primo itaque asserimus, illos qui S. Apostolorum Canones vulgo appellantur, quarto, quintoque nondum adulto, nedum elapso, seculo, nunc sub Canonum in genere, alias sub Canonum antiquorum, et Canonum ecclesiasticorum titulo citatos fuisse, idque ab iis qui in Ecclesia tunc temporis præsidebant, quos propterea latere non potuit quinam ecclesiastici Canones suis diebus obtinebant. Ut hæc autem palam fiant, imprimis dignissima sunt quæ observentur S. Athanasii Archiepiscopi Alexandrini verba, qui Ἐκκλησιαστικῶν, ut ipse vocat, Κανόνων, quibus nimirum Ecclesia tunc dierum administrabatur, mentionem faciens, eos non sua demum ætate sancitos, sed a Patribus Ecclesiæ diu ante traditos fuisse affirmat, Οὐ γὰρ νῦν, inquit, Κανόνες καὶ τύποι ταῖς ἐκκλησιαίαις ἐδόθησαν, ἀλλ' ἐκ [τῶν] πατέρων ἡμῶν καλῶς καὶ βεβαίως παρεδόθησαν οὐδὲ νῦν ἡ πίστις ἤρξατο, ἀλλ' ἐκ τοῦ Κυρίου διὰ τῶν μαθητῶν εἰς ἡμᾶς διαβέβηκεν. Ἴν' οὖν μὴ τὰ ἐξ ἀρχαίων μέγχις ἡμῶν τηρηθέντα ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἐν ταῖς νῦν ἡμέραις παραπύληται, καὶ τὰ πιστευθέντα ἡμῖν ζητηθῆ παρ' ἡμῶν, κινήθητε ἀδελφοί, κ.τ.λ. *Non enim nunc dierum Canones et typi Ecclesiis dati sunt, sed a patribus nostris pulchre firmiterque traditi fuerunt: neque nunc dierum fides cæpit, sed a Domino per discipulos ad nos transiit. Ne igitur quæ a priscis temporibus usque ad nos in Ecclesiis observata fuerunt, hisce diebus pereant, et quæ nobis concredita sunt a nobis requirantur, moveamini fratres, &c.* E quibus verbis abunde liquet, S. Athanasii, qui Synodo Nicænæ An. Dom. CCCXXV. celebratæ adfuit, ætate, priscos quosdam in Ecclesia Canones obtinuisse, qui longe ante istud seculum constituti fuerant, usque adeo ut una cum fide traditi viderentur: nisi quod fides ab Ipso Christo per Apostolos, Canones vero a viris Apostolicis sanciti fuerant. Neque enim alii quam viri Apostolici quarto ineunte seculo Patres proprie appellari poterant. Canones autem istos a S. Athanasio memoratos, eosdem esse ac quos Apostolorum hodie vocamus, ex oblata ei istos commemorandi occasione patet.

Athan. ad
ubique Or-
thodoxos,
[Encyc. ad
Epis. Epist.
cap. 1, Op.
tom. 1. p. 111,
E.]

Enimvero Georgius [Gregorius, sec. Edit. Bened.] a Cappadocia oriundus nomen episcopale a præfecto Ægypti pretio mercatus, ejus jussu per vim in Ecclesiam Alexandrinam immissus est, violenter detruso legitimo illius Ecclesiæ Episcopo Athanasio, licet a nemine, nisi forsitan ab hæreticis Arianis, accusatus esset; saltem a Synodo nondum condemnatus fuerat. Hæc istis temporibus Alexandriæ perpetrata fuisse, S. Athanasius loco superius laudatô asserit: ac propterea omnes Orthodoxos ubicunque constitutos hortatur summis viribus eniti, ne hæc facinora ulterius progredirentur, sed, quoad fieri potuit, corrigerentur, eo quod veteres Canones a Patribus Ecclesiæ traditi una cum fide Apostolica nefariis hujusmodi cœptis violati essent. Verumenimvero quicquid S. Athanasius contra veteres Ecclesiæ Canones tunc temporis admissum conqueritur, in nullis, quos scimus, antiquioribus præterquam Apostolicis Canonibus prohibitum habemus: in istis autem clarissime. Nimirum S. Athanasius throno detrusus est, priusquam vel a populo, vel a presbyteris, vel ab Episcopo quopiam Catholico accusatus, vel causa ejus in Episcoporum Synodo examinata fuerat, contra Canonem Apostolorum LXXIV. quo statutum est, ut Episcopus a viris fide dignis accusatus, ad Synodum vocetur, ibique causam dicat, priusquam pœna ei statuatur.¹ Quod si dicatur Arianos S. Athanasio crimen intulisse; id quidem verum est, sed eorum testimonium contra Episcopum non admittendum erat; nam Ariani a Synodo Œcumenica hæreseos condemnati fuerant, et hæreticum in testimonium contra Episcopum non admittendum esse, diserte cautum est Can. Apost. LXXV.² Præterea observat sanctissimus Pater, Georgium [Gregorium] istum Cappadocem thronum Alexandrinum et episcopalem istam dignitatem pecuniis mercatum et principum secularium ope consecutum esse: et

protinus addit, Τοῦτο δὲ τοὺς μὲν ἐκκλησιαστικούς κανόνας παραλύσει [παραλύει, Bened.], τὰ δὲ ἔθνη ἀναγκάζει βλασφημεῖν, καὶ ὑπονοεῖν ὅτι μὴ κατὰ θεῶν θεσμῶν, ἀλλ' ἐξ ἐμπορίας καὶ προστασίας αἰ

Athan. ad ubique Orthodoxos, [Op. tom. i. p. 112, E, F.]

¹ [Ἐπίσκοπον κατηγορηθέντα ἰσὶ τινὶ παρὰ ἀξιοπίστων ἀνθρώπων καλιῖσθαι αὐτὸν ἀναγκαῖον ὑπὸ τῶν ἱεριστῶν κῆν μὴ ἀπατήσῃ καὶ ὁμολογήσῃ, ἢ ἰλιγγηθῆναι, ἐρίσθαι τὸ ἱπνίμιον, κ. τ. λ.—Can.

Ap. lxxiv. Pan. Can. tom. i. p. 48, A.]

² [Εἰς μαρτυρίαν τὴν κατὰ ἱπισκόπου αἰρετικὸν μὴ προσδύχθαι, κ. τ. λ.—Can. Ap. lxxv. Pan. Can. tom. i. p. 49, C.]

καταστάσεις γίνονται. *Id autem et ecclesiasticos quidem Canones violat, et ethnicos ad blasphemiam cogit, et suspicionem, ut putent, non legibus rituque divino, sed nundinatione et potentia Episcopos constitui.* Ecclesiasticos vero Canones hic commemoratos frustra alibi quæsieris præterquam inter Apostolicos, quorum undetricesimo cautum est, ne quis per pecunias,³ tricesimo autem, ne quis per principes seculares dignitatem Episcopalem assequatur.⁴ Cum sanctus igitur Athanasius hujusmodi Canones a Georgio [Gregorio] violatos affirmet, quales nullibi nisi inter Apostolicos, istis saltem diebus, exstabant, haud dubitare fas est, quin istos sibi bene cognitos habuerit.

III. Iisdem temporibus S. Athanasius supradictus de Arsenii cæde ab adversariis Arianis accusabatur. Arsenius autem adhuc in Ægypto superstes schismatis simul ac facti contra Athanasium pœnitentia ductus, se postea vivum obtulit, et ad S. Athanasium epistolam conscripsit, quam S. Athanasius suæ de fuga Apologiæ inseruit. In hac epistola Arsenius iste Episcopus Hypselitarum profitetur se velle τῷ ἐκκλησιαστικῷ κανόνι κατὰ τὸν παλαιὸν νόμον [τύπον, Bened.] ὑποτάσσεσθαι, *Ecclesiastico Canoni juxta vetus institutum subjici*, et promittit se in posterum nullo modo communicaturum esse cum schismaticis, aut cum iis quibus nondum pax esset cum Ecclesia Catholica, additque, Μὴδ' αὖ δίχρα γνώμης σου τοῦ τῆς μητροπόλεως ἐπισκόπου ὄρον τινὰ ἐκφέρειν περὶ ἐπισκόπων, ἢ περὶ δόγματος ἑτέρου κοινοῦ ἐκκλησιαστικοῦ, ἀλλ' εἴκειν πᾶσι τοῖς προτετυπωμένοις κανόσι. *Neque contra tuam Metropolitanæ Episcopi sententiam, ullum de Episcopis aut alio quovis communi et ecclesiastico dogmate decretum editurum, sed cessurum omnibus ante constitutis Canonibus.* Nimirum Meletiani schisma in Ecclesia Alexandrina fecerant, se ab Archiepiscopo Alexandrino totius Ægyptiacæ dioceseos primate separantes, contra Canonem Apost. XXXIV. decernentem Episcopos uniuscujusque gentis nosse oportere eum, qui in iis primus

[Apol. cont. Arianos, sec. ed. Bened.]

[Cap. 69, Op. tom. i. p. 185, F.]

[Ibid. p. 186, A.]

³ [Εἴ τις ἐπίσκοπος διὰ χρημάτων τῆς ἀξίας ταύτης ἰγκρατὴς γίνηται, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, καθαιρείσθω, καὶ αὐτὸς, καὶ ὁ χειροτονήσας· καὶ ἰκκοστίσθω καὶ τῆς κοινωνίας παντάπασι, ὡς Σίμων ὁ μάγος ὑπ' ἰμοῦ Πέτρου.—Can. Ap. xxix. Pan. Can. tom. i. p. 18, D.]

⁴ [Εἴ τις ἐπίσκοπος κοσμηκοῖς ἀρχοῦσι χρησάμενος, δι' αὐτῶν ἰγκρατὴς ἐκκλησίας γίνηται, καθαιρείσθω καὶ ἀφοριζέσθω, καὶ οἱ κοινωοῦντες αὐτῷ ἅπαντες.—Can. Ap. xxx. Pan. Can. tom. i. p. 18, E.]

est, eumque ut caput existimare, et nihil, quod magni sit momenti, præter illius sententiam facere.⁵ Arsenius itaque civitatis Hypselitarum Episcopus, qui hucusque Meletianorum sectæ se adjunxerat, modo pœnitentiam agens, pollicetur se in posterum ecclesiastico huic Canoni antiquitus instituto pariturum, nihilque, quod magni sit momenti, juxta quod in dicto Canone præcipitur, præter Athanasii Ecclesiæ Alexandrinæ primatis sententiam aggressurum. Quod dictum Canonem longe ante constitutum, et istis diebus observatum fuisse, clarissime demonstrat.

IV. S. Athanasio nondum denato, S. Basiliius M. Cæsareæ Cappadociæ creatus est Episcopus, An. Dom. plus minus CCCLXX. Hic epistolas quasdam ad Amphilochem Iconii Episcopum conscripsit, quæ Canonice appellari meruerunt, ac proinde in Canones ab Ecclesia Græca receptos distributæ sunt. Horum Canonum tertius sic incipit, *Διάκονος μετὰ τὴν διακονίαν πορνείας, ἀπόβλητος μὲν τῆς διακονίας ἔσται· εἰς δὲ τὸν τῶν λαϊκῶν ἀποσθεὶς τόπον, τῆς κοινωνίας οὐκ εἰσχθήσεται, διότι ἀρχαῖος ἐστὶ κανὼν, τοὺς ἀπὸ βαθμοῦ πεπτωκότας, τοῦτω μόνῳ τῷ τρέπῃ τῆς κολάσεως ὑποβάλλεσθαι.* *Diaconus post diaconatum fornicatus, a diaconatu quidem ejicietur: in laicorum autem locum detrusus, a communione non arcebitur: quoniam antiquus est Canon, ut, qui a gradu exciderunt, huic soli punitionis generi subjiciantur.* Sub antiqui Canonis hic commemorati nomine Apostolicus XXV. haud dubie indigitatur, quippe quod id aperte decernitur his verbis, *Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἐπὶ πορνείᾳ ἢ ἐπιουρίᾳ ἢ ἐπὶ κλοπῇ ἀλόως καθαιρεῖσθω, καὶ μὴ ἀφοριζέσθω· λέγει γὰρ ἡ γραφή, οὐκ ἐκδικήσεις δις ἐπὶ τὸ αὐτό.* *Episcopus, vel presbyter, vel diaconus, fornicationis, vel perjurii vel furti convictus, deponatur, et non segregetur: Dicit enim scriptura, Non vindicabis bis in id ipsum.* Quin ad hunc itaque Canonem S. Basiliius in verbis ante citatis respectum habuerit, nemo dubitare potest, quandoquidem nullum alium S. Basilio antiquiorem invenire est Canonem, præter unicum hunc Apostolicum, quo hoc decretum legitur. Idem dicendum est de ejusdem doctissimi Patris Canone XII. quo ait,

[Pan. Can. tom. i. p. 53, A, et S. Bas. Ep. 188, Op. tom. iii. p. 271, B.]

[Pan. Can. tom. i. p. 16, B.]

⁵ [Τοὺς ἱπισκόπους ἑκάστου ἴθους εἰδίνας χρεὶ τὸν ἐν αὐτοῖς πρῶτον, καὶ ἠγείσθαι αὐτὸν ὡς κεφαλὴν, καὶ μηδὲν τι

πράττειν περιττὸν εἶναι τῆς ἐκείνου γνώμης. —Can. Ap. xxxiv. Pan. Can. tom. i. p. 22, D.]

[Pan. Can. tom. ii. p. 69, D, et S. Bas. Ep. 188, Op. tom. iii. p. 275, C.]

[Pan. Can. tom. i. p. 11, D.]

Tertull. ad Uxor. lib. i. cap. 7, [p. 165, C.]

[Pan. Can. tom. ii. p. 47, D, et S. Bas. Ep. 188, Op. tom. iii. p. 268, D.]

Τοὺς διγάμους παντελῶς ὁ κανὼν τῆς ὑπηρεσίας ἀπέκλεισε, *Digamos Canon omnino a ministerio exclusit.* Per Canonem hic laudatum, Apostolicum XVII. intelligendum esse, Balsamon et Zonaras consentiunt, et recte quidem.⁶ Dictus enim Canon sic habet, 'Ὁ δυοὶ γάμοις συμπλακίς μετὰ τὸ βάπτισμα, ἢ παλλακὴν κτησάμενος, οὐ δύναται εἶναι ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ἄλλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ. *Qui post baptismum duobus conjugis fuerit implicitus, vel concubinam habuerit, non potest esse Episcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel omnino ex numero sacerdotali.* Hic porro unicus est Canon, quem scimus ab Ecclesia ante S. Basilii ætatem constitutum, quo digami ab omni ministerio ecclesiastico excluduntur; ut nullis supersit dubitandi locus, quin sanctissimus ille Pater ad istum in verbis superius citatis respexerit. Quinetiam diu ante S. Basilii ætatem, tertio scilicet ineunte sæculo, hoc ab Ecclesia decretum esse, ex Tertulliano constat dicente: *Quantum detrahant fidei, quantum obstrepant sanctitati nuptiæ secundæ, disciplina Ecclesiæ et præscriptio Apostoli declarat, cum digamos non sinit præsidere.* Ubi videre est, eam istis diebus fuisse Ecclesiæ disciplinam, ut duobus conjugis implicitus ad ecclesiasticam quamlibet præsentiam non proveheretur. Quandoquidem scilicet Apostolus præscripsit, ut Episcopi, presbyteri, et diaconi unius essent uxoris viri, hinc provisum est et constitutum ab Ecclesia, ne quis digamus sacro quovis ministerio fungatur. Omnis autem Ecclesiæ disciplina in Canonibus perpetuo stabilita fuit et promulgata. Cum ista itaque Ecclesiæ primitivæ disciplina a Tertulliano memorata in dicto Canone Apostolico, eoque solo, contineatur, nemo sub quovis rationis prætextu inficias eat istum Canonem ante Tertulliani ætatem sancitum esse et publicatum. Hisce adjungi potest ejusdem sanctissimi Patris Basilii M. Canon primus, quo antiquiorum Canonum mentionem facit, hæreticorum baptismum non recipiendum esse statuentium. Ἐκεῖνο γάρ, inquit, ἔκρινον οἱ παλαιοὶ δεχέσθαι βάπτισμα, τὸ μὴδὲν τῆς πίστεως παρεκβαῖνον. Eum autem de vetustis intelligendum esse Canonibus, quibus hoc constitutum fuerat, ex istis, quæ

⁶ [Κανὼνα ἰσαυτῶν ὁ ἅγιος τὸν 17. κανὼνα τῶν ἁγίων ἀποστόλων λίγυ.—Bals.

in loc. et Zonaras iisdem fere verbis, Can. quoque Apost. verbatim citans.]

ad finem Canonis subjungit, verbis elucescit, ubi ait, *Εἰ δὲ ἐκεῖνοι φυλάσσουσι τὸ ἡμέτερον βάπτισμα, τοῦτο ἡμᾶς μὴ δυσωπείτω· οὐ γὰρ ἀντιδιδόναι αὐτοῖς ὑπεύθυνοι χάριν ἐσμὲν, ἀλλὰ δουλεύειν ἀκριβείᾳ κανόνων.* Quod Sanctus porro Basilius per totum istum Canonem de hæreticorum baptismo non admittendo ex antiquis Ecclesiæ statutis prosequitur, id ipsum in Canone Apostolico XLVI. breviter decernitur his verbis, *Ἐπίσκοπον ἢ πρεσβύτερον αἵρετικῶν δεξαμένους βάπτισμα ἢ θυσίαν, καθαιρεῖσθαι προστάσσομεν.* Quod idem et multis ante se annis a Synodo Episcoporum sub Agrippino habita constitutum fuisse, D. Cyprianus in epistola ad Jubaianum de hæreticis baptizandis attestatur.⁷ Sed non opus est in proferendis singularium Patrum verbis diutius immoremur, cum plures simul in Synodis congregati, huic a nobis assertæ opinioni fidem fecerint, ut e sequentibus fuse apparebit.

[Pan. Can. tom. ii. p. 48, D, E, et S. Bas. Ep. 188. Op. tom. iii. p. 270, C, D.]

[Pan. Can. tom. i. p. 30, E.]

⁷ [Confer supra cap. ii. sect. 4, p. 16.]

CAPUT IV.

Synopsis.

- I. *Synodus Nicæna Canones Apost. vidit, quod probatur e Can. Nic. I. II. V. Nonnullos etiam e Canonibus Apost. explicat et confirmat, ut patet e Canonibus Nicænis IX. et X. cum Apostolicis LXI. et LXII. necnon ex Apostolicis XIV. et XV. cum Nicænis XV. et XVI. collatis.*
- II. *Canones Antiocheni eadem præcipiunt quæ Apostolici. Eodem etiam ordine plerumque observato, ut ex collatione utriusque collectionis liquet.*
- III. *Canones Antioch. ex Apostolicis formatos esse probatur, primo e stylo, qui in Apostolicis simplex est, in Antiochenis copiosus et paraphrasticus.*
- IV. *Idem probatur e Can. Antioch. IX. Primus gentis cujusque Episcopus non ante quartum seculum dictus est Metropolitanus.*
- V. *Probatur etiam e Can. Antioch. XX. Mendum in dicto Canone deprehenditur, et emendatur. Quare Synodus Antioch. primam quotannis Synodum alio peragendam tempore, quam Nicæna, decrevit.*
- VI. *Idem probatur e duobus ultimis Can. Antiochenis, de bonis Ecclesiæ. Primitiva Ecclesia nullos nisi ex fidelium oblationibus redditus habuit. Latifundia ei non nisi post Constantinum M. concessa.*
- VII. *Idem denique probatur ex eo, quod Can. Apost. aliorum Canonum nunquam mentionem faciant; Antiocheni sæpe.*
- VIII. *Quo hæc omnia clarius elucescant, inquiritur in Canonum Ant. occasionem. Synodus ista ex Arianis constabat. Baronii aliorumque error ex Julii verbis male intellectis. Paulo ante hanc Synodum S. Athanasius Ecclesiæ Alexandrinæ restitutus, et Paulus C.P. Episcopus creatus est.*
- IX. *Synodus Antioch. Canones suos contra catholicos desig-*

navit. Quod ut occultius fieret, antiquos Canones renovavit, iisque novos contra S. Athanasium et Paulum C.P. interseruit, ut ejus restitutio et hujus creatio invalida redderetur.

X. *Hinc tota Canonum Antiochenorum occasio et historia eruitur.*

I. IN gravissimis Synodorum testimoniis ad astruendam Canonum Apostolicorum antiquitatem recitandis, a Nicæna prima incipiemus, ut reliquis quibuscunque Synodis multis nominibus præferenda. Prima itaque Synodus Œcumenica, Anno Dom. CCCXXV. Constantino M. imperante Nicææ celebrata, in Canonibus suis constituendis aliorum sæpe Canonum mentionem fecit, qui antea sanciti et eousque in Ecclesia observati fuerant. Quod si Canones istos a Synodo Nicæna memoratos cum iis conferamus, qui in Canonum Apostolicorum collectione hodie circumferuntur, inter hosce vel cæcus illos videat, quos Synodus ista commemoravit. Quod ut omnibus palam fiat, magnam Canonum Nicænorum partem percurremus. Primus itaque Synodi Nicænae Canon de Eunuchis agit, statuitque eos, qui a medicis in morbo excisi vel a barbaris exsecti sunt, in clero retinendos esse: eos autem, qui cum sani essent seipsos exsecuerunt, etiamsi in clero recensiti fuerant, cessare debere, et nullum deinceps talem promovendum esse, juxta quæ in Canonibus Apostolicis XXII. et XXIII. constituta sunt.¹ Et postea addit Synodus, *Quemadmodum autem et hoc manifestum est, quod de iis qui de industria hoc agunt, et seipsos audent excindere dictum est, Οὕτως εἴ τινες ὑπὸ βαρβάρων ἢ δεσποτῶν εὐνουχίσθησαν, εὐρίσκοιτο* [Pan. Can. tom. i. p. 58, F.]
δὲ ἄλλως ἄξιοι, τοὺς τοιοῦτους εἰς κλήρον προσέται ὁ κανὼν. Ita si aliqui a barbaris, vel dominis castrati sunt, inveniuntur autem alioqui digni, tales in clerum admittit Canon. Hinc clarissime patet Canonem aliquem in Ecclesia tunc temporis obtinuisse,

¹ [Εἴ τις ἐν νόσῳ ὑπὸ ἰατρῶν ἰχυρογυθῆσ, ἢ ὑπὸ βαρβάρων ἰξισμῆσ, οὗτος μείτω ἐν τῷ κλήρῳ· εἰ δὲ τις ὑγιαίνων ἑαυτὸν ἰξισμῆσ, τοῦτον καὶ ἐν τῷ κλήρῳ ἰξισμῆσ πικαῦσθαι προσήκει, καὶ ἐκ τοῦ διῆρο μῆδεια τῶν τοιοῦτων χρῆσθαι προσάγισθαι ἄσπιε δὲ τοῦτο πρὸς ἄλλον, ὅτι περὶ τῶν ἰκισμῆσ τῶν τῶν πρῶτων, καὶ τολμῶντων ἑαυτοὺς ἰκισμῆσ, ἰξισμῆσ

οὗτως, κ. τ. λ.—Can. Nic. i. Pan. Can. tom. i. p. 58, E, F.

Ὁ ἀκρωτηριάσας ἑαυτὸν, μὴ γίνισθαι κληρικὸς, ἀποφονιστῆς γάρ ἐστιν ἑαυτοῦ, καὶ τῆς τοῦ Θεοῦ δημιουργίας ἰχθῆσ.—Can. Ap. xxii. Εἴ τις κληρικὸς ἂν ἑαυτὸν ἂν ἀκρωτηριάσει, καθαιρισμῶσ φονιστῆς γάρ ἐστιν ἑαυτοῦ.—Can. Ap. xxiii. Pan. Can. tom. i. p. 15, C.]

[Pan. Can.
tom. i. p. 14,
F.]

quo tales in clerum admissi sunt : qui quidem alius non fuit quam Apostolicus XXI. sic habens : Εὐνοῦχος εἰ μὲν ἐξ ἐπηρείας ἀνθρώπων ἐγένετό τις, ἢ ἐν διωγμῶν ἀφῆρηται τὰ τῶν ἀνδρῶν, ἢ οὕτως ἔφυ, καὶ ἐστὶ ἄξιος, ἐπίσκοπος γινέσθω. *Eunuchus si quis ex hominum quidem injuria factus est, vel in persecutione virilibus privatus, vel sic natus est, et dignus est, Episcopus fiat.* Si talis autem per hunc Canonem Episcopus fiat, in clerum necessario admittatur, quod ibi decretum esse Synodus Nicæna indicat. Quæ etiam proximo sive secundo Canone affirmat, quod sit παρὰ τὸν κανόνα τὸν ἐκκλησιαστικόν, contra Canonem ecclesiasticum, ut qui a vita gentili ad fidem nuper accesserunt, et baptizati sunt, ad episcopatum protinus aut presbyteratum provehantur.² Nimirum est contra Canonem Apostolorum LXXX. id diserte prohibentem his verbis,

[Ibid. p. 52,
E.]

Τὸν ἐξ ἐθνικοῦ βίου προσελθόντα, καὶ βαπτισθέντα, ἢ ἐκ φαυλῆς διαγωγῆς, οὐ δικαίον ἐστὶ παρ' αὐτὰ προχειρίζεσθαι ἐπίσκοπον. *Eum, qui ex vita gentili accesserit, et baptizatus fuerit, vel ex improba vivendi ratione, non est æquum protinus Episcopum fieri.* Quem propterea Canonem ecclesiasticum Synodo Nicænae cognitum fuisse extra dubium est. Adhæc eadem universalis Synodus de iis, sive clericis, sive laicis, agens, qui a commu-

[Ibid. p. 64,
A.]

nione segregantur, Canone quinto dicit, Κρατεῖτω ἡ γνώμη κατὰ τὸν κανόνα τὸν διαγορευόντα τοὺς ὑφ' ἐτέρων ἀποβληθέντας ὑφ' ἐτέρων μὴ προσίεσθαι. *Valeat sententia juxta Canonem qui pronunciat, eos, qui ab aliis ejecti sunt, ab aliis non admittendos esse.* Canon, qui hoc pronunciat, est Apostolicus XII. his verbis

[Ibid. p. 7,
F.]

conceptus, Εἴ τις κληρικὸς ἢ λαϊκὸς ἀφορισμένος, ἤτοι ἄδεκτος ἀπελθὼν, ἐν ἐτέρᾳ πόλει δεχθῆν ἄνευ γραμμῶν συστατικῶν, ἀφορίζεσθω καὶ ὁ δεξάμενος καὶ ὁ δεχθεὶς. *Si quis clericus vel laicus segregatus, vel non recipiendus, discedens in altera urbe receptus fuerit absque literis commendatitiis, segregetur, et qui recepit, et qui receptus est.* Item Canon Apostolorum XXXII. sic habet, Εἴ τις πρεσβύτερος ἢ διάκονος ὑπὸ ἐπισκόπου γένηται ἀφορισμένος, τοῦτον μὴ ἐξῆναι παρ' ἐτέρου δεχθῆναι, ἀλλ' ἢ παρὰ τοῦ ἀφορισαντος αὐτὸν. *Si quis presbyter vel diaconus ab*

[Ibid. p. 21,
B.]

² [Ἐπιθετὴ πολλὰ . . . ἐγίνιστο παρὰ τὸν κανόνα τὸν ἐκκλησιαστικόν, ὥστε ἀνθρώπους ἀπὸ ἐθνικοῦ βίου ἄρτι προσελθόντας τῇ πίστει, καὶ ἐν ἐλίγῳ χρόνῳ κατηχηθέντας, εὐθὺς ἐπὶ τὸ πνευματικόν

λουτρὸν ἄγειν, καὶ ἅμα τῷ βαπτισθῆναι προάγειν εἰς ἱερωσύνην, ἢ πρεσβυτερίην, καλῶς ἴδαξεν ἔχιν τοῦ λοιποῦ μηδὲν τοιοῦτο γινέσθαι.—Can. Nic. ii. Pan. Can. tom. i. p. 60, A.]

Episcopo sit segregatus, non liceat alii eum suscipere, quam ei qui ipsum segregavit: Hunc itaque cum priori Canonem Patres Nicæni non modo citant, sed et sua, universalis nimirum Synodi, auctoritate confirmant. Quod in aliis etiam Canonibus observare est: usque adeo ut Œcumenicum hoc Concilium, in plerisque statutis a se editis, non novos produxisse, sed veteres hosce, sive Apostolicos, Canones explicuisse potius et confirmasse videatur. Quod magis adhuc manifestum apparebit, si alios Canones Apostolicos cum Nicænis comparemus. Verbi gratia, Canon Apost. LXI. definit, ut si qua adversus fidelem quempiam accusatio intendatur, vel fornicationis, vel adulterii, vel alius cujuscumque prohibitionis actionis, et convictus fuerit, is ad clerum non evehatur.³ Sed non expresse dicit eos, qui convicti fuerint, aut crimina sua confessi, in clero non recensendos esse, licet manus iis ab Episcopo, Canonis istius negligente, impositæ fuissent. Hinc Nicæni Patres Canonem istum ita intelligendum esse pronunciant, ut per eum in clerum non admittatur, qui vel per suam ipsius confessionem, vel aliorum testimonia istiusmodi criminibus convictus est, etiamsi manuum impositionem præter Canonis mentem acceperit.

Sic enim edicunt: *Εἴ τινες ἀνεξέταστος προήχθησαν πρεσβύτεροι, ἢ ἀνακρινόμενοι ὡμολόγησαν τὰ ἀμαρτήματα αὐτῶν [leg. αὐτοῖς], καὶ ὁμολογησάντων αὐτῶν, παρὰ κανόνα κινούμενοι οἱ ἄνθρωποι τοῖς τοιούτοις χεῖρα ἐπιτεθείκασιν, τοῦτους ὁ κανὼν οὐ προσέεται. Quicumque citra examinationem promoti sunt presbyteri, vel examinati sua peccata confessi sunt, eisque confessis præter Canonem moti homines manus imposuerunt, eos Canon non admittit.* Aliquis sane Canon clarissime hic explicatur simul et confirmatur. Eundem autem Apostolicum esse superius citatum apparet, primo quod alius non exstet Canon, ad quem ista Synodi Nicænae verba commode referri possunt. Dictus autem Canon Apost. eodem haud dubie sensu intelligendus est, quo Nicæni Patres eum interpretantur. Cum Canon enim præcipiat istos, qui criminibus in eo memoratis tenentur, in clerum non evehendos esse, is sane præter Canonem motus est, qui talibus manus imponit; et licet ordinati fuerint,

Can. Nic.
IX., [Pan.
Can. tom. I.
p. 70, D.]

³ [Εἴ τις κατηγορία γίνηται κατὰ θεῖν, εἰς κλῆρον μὴ προσαγίσθω.— Can. Ap. lxi. Pan. Can. tom. i. p. 40, A, B.]

Canon eos non admittit, utpote non canonicè, sive præter Canonem, ordinatos. Et præterea ut Canon Apost. LXI. a Nicæno IX. sic etiam Canon Apost. LXII. a Nicæno X. explanatur pariter ac constabillitur. Enimvero Canon Apost. LXII. sic habet, *Ἐἴ τις κληρικὸς διὰ φόβον ἀνθρώπινον Ἰουδαίου ἢ Ἑλλήνου ἢ αἰρετικοῦ ἀρνήσεται· εἰ μὲν τὸ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ, ἀποβαλλέσθω· εἰ δὲ τὸ ὄνομα τοῦ κληρικοῦ, καθαιρέσθω. *Si quis clericus propter metum humanum Judæi, vel Græci, vel hæretici negaverit, si quidem nomen Christi, ejiciatur, sin nomen clerici, deponatur.* Decernit itaque Canon ut clericus qui lapsus est deponatur; sed de iis qui post lapsum ordinati sunt, nihil expresse statuit. Patres autem Nicæni Canonem istum ita intelligendum esse consentiunt, ut ii etiam, qui prius lapsi sunt et deinde ordinati, deponantur, adeo ut pœnam ab ecclesiastico isto Canone constitutam non effugiant, etiamsi lapsus ordinationem præcesserit. Sic enim edicunt: *Ὅσοι προεχειρίσθησαν τῶν παραπειτακῶτων κατὰ ἄγνοιαν, ἢ καὶ προσιδῶτων τῶν προχειρισσαμένων, τοῦτο οὐ προκρίνει τῷ κανόνι τῷ ἐκκλησιαστικῷ, γνωσθέντες γὰρ καθαιροῦνται. *Quicumque ex iis qui lapsi sunt, vel per ignorantiam, vel scientibus iis qui promoverunt, ordinati sunt, hoc ecclesiastico Canonì non præjudicat, ii enim cogniti deponentur.* Ac si dixissent, cum ecclesiasticus Canon jubeat eos qui lapsi sunt deponi, de iis intelligendus est, qui ante ordinationem, æque ac de iis qui post, lapsi sunt: adeo ut etiamsi lapsus eorum ordinationem antecesserit, hoc nihilominus ecclesiastico isti Canonì non præjudicat. Nam cum cognitum fuerit eos unquam lapsos fuisse, ex Canonis istius præscripto deponentur. Hoc qui sine præjudicio expendit, dubitare nequit, quin supradictus Canon Apostolicus a Patribus Nicænis hoc in loco explicetur. Unde conficitur duos Canones ecclesiasticos eodem ordine hic confirmari, quo in nostra Canonum Apostolicorum sylloge occurrunt. Nimirum Canon Apost. LXI. de clericis aliorum peccatorum reis Canone Nicæno IX. et Canon Apost. LXII. de clericis qui lapsi sunt, Canone Nicæno X. Quod quidem vix fieri potuit, nisi Patres Nicæni dictos Canones eodem, quo hodie, ordine collectos habuissent. Idem observare licet in Canonibus Apost. XIV. et XV. qui, nonnullis in locis violati, a Nicænis XV. et XVI. instaurantur. Cautum est enim Canone Apost. XIV. ne Episcopus sua**

[Pan. Can.
tom. i. p. 40,
D.]

Can. Nic. X.,
[Pan. Can.
tom. i. p. 71,
B.]

relicta parochia ad aliam transiliat:⁴ et Canone XV. ut si quis presbyter, aut diaconus, vel alius quispiam clericus relicta sua ad aliam discesserit parochiam, ibique præter sui Episcopi sententiam manserit, is amplius non celebret, sive ecclesiastico suo officio amplius non fungatur.⁵ Hinc Patres Nicæni primo aiunt, Διὰ τὸν πολλὸν τάραχον καὶ τὰς στάσεις τὰς γινομένας, ἔδοξε παντάπασι περιαιρεθῆναι τὴν συνήθειαν τὴν παρὰ τὸν κανόνα εὐρεθεῖσαν ἔν τισι μέρεσιν· ὥστε ἀπὸ πτόλεως εἰς πόλιν μὴ μεταβαίνειν μήτε ἐπίσκοπον, μήτε πρεσβύτερον, μήτε διάκονον. *Propter multum tumultum et seditiones quæ fiunt, omnino visum est ut consuetudo, quæ præter Canonem nonnullis in locis invenitur, tollatur, ut a civitate ad civitatem nec Episcopus, nec presbyter, nec diaconus transeat.* Et Canone sequenti, sive XVI. iterum de presbyteris et diaconis edicunt, "Ὅσοι ῥιψοκινδύνας, μήτε τὸν φόβον Θεοῦ πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχοντες, μήτε τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα εἰδότες, ἀναχωρήσουσι τῆς ἐκκλησίας πρεσβύτεροι ἢ διάκονοι ἢ ὄλως ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενοι, οὗτοι οὐδαμῶς δεκτοὶ ὀφείλουσιν εἶναι ἐν ἐτέρα ἐκκλησίᾳ· ἀλλὰ πᾶσαν αὐτοῖς ἀνάγκην ἐπάγεσθαι χρῆ, ἀναστρέφειν εἰς τὰς ἑαυτῶν παροικίας, ἢ ἐπιμένοντας ἀκοινωνήτους εἶναι προσήκει. *Quicumque temere et inconsiderate nec Dei timorem præ oculis habentes, nec ecclesiasticum Canonem scientes, vel presbyteri, vel diaconi, vel quicumque omnino in Canone recensentur, ab Ecclesiis secesserint, ii in Ecclesia aliena nullo modo recipi debent, sed omnino cogendi sunt in suas ipsorum Ecclesias redire, vel, si perseverent, eos a communione separatos esse oportet.* Ubi ἀκοινωνήτους εἶναι idem est quod in Canone Apost. XV. dicitur *μηκέτι λειτουργεῖν*, a communione scilicet ecclesiastica sive ab ecclesiasticis quibuscunque functionibus arceri, ut in annotationibus ad præsentem Canonem Nic. XVI. observatum est.⁶ Cum eadem itaque, ut cuius patet, in duobus hisce Nicænis Canonibus renoventur, quæ in totidem Apostolicis

Can. Nic. XV. [Pan. Can. tom. i. p. 75, B.]

[Pan. Can. tom. i. p. 76, E, F.]

⁴ [Ἐπίσκοπον μὴ ἐξίτασι καταλείψαντα τὴν ἑαυτοῦ παροικίαν, ἴτερος ἐπιστηδῶν.— Can. Ap. xiv. Pan. Can. tom. i. p. 8, F.]

⁵ [Ἐἴ τις πρεσβύτερος ἢ διάκονος, ἢ ὄλως τοῦ καταλόγου τῶν κληρικῶν, ἀπολείψας τὴν ἑαυτοῦ παροικίαν, εἰς ἴτερον ἐπίλθῃ, καὶ παντιλῶς μεταστὰς διατρέβῃ ἐν ἄλλῃ παροικίᾳ παρὰ γνώμην τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου, τοῦτον κελύμεν μηκέτι λει-

τουργεῖν.—Can. Ap. xv. Pan. Can. tom. i. p. 10, B, C.]

⁶ ["Duplicem ab antiquis Patribus et Conciliis memoratam observare licet excommunicationem, eucharisticam et ecclesiasticam. Eucharisticam appello excommunicationem, qua quis ab Eucharistia percipienda arcetur; ecclesiasticam autem, qua quis ab ecclesiasticis obvendis muneribus suspenditur.

supra memoratis præscripta sunt, cumque Synodus Nicæna utrobique Canonis ante constituti mentionem fecerit, dictos exinde Canones Apostolicos Patribus Nicænis visos et memoratos fuisse jure merito concludamus.

II. Post primam illam universalem Synodum Nicææ habitam, proximum in hac controversia locum Synodus Antiochena sibi vindicat: ista nimirum quæ An. Dom. CCCXLI. sive decimo sexto post Nicænam celebrata, Canones XXV. in Codicem Canonum Ecclesiæ universæ receptos edidit. Hi enim Canones Antiocheni eadem plerumque atque Apostolici, necnon iisdem fere verbis, præcipiunt: eodem etiam ordine plurimum observato. Quod prius enim in Apostolicis, idem et in Antiochenis prius decernitur. Enimvero septimo Canone Apostolico cavetur, ne quis sanctæ Paschæ diem ante vernal æquinoctium cum Judæis celebret. Ab hoc Canone a Synodo Nicæna confirmato Patres Antiocheni suam Canonum editionem incipiunt; et quæ deinceps sanciant, cum iis propemodum conveniunt, quæ in Canonum Apostolicorum collectione consequuntur. Si quis enim Canones Antiochenos et Apostolicos inter se componit, eos sibi invicem hunc in modum respondere inveniet.

[Vide supra, cap. II. sect. 4, p. 15.]

CANONES

Antiocheni.

- I.
- II.
- III.
- IV.
- V.
- VI.

Apostolici.

- VII.
- VIII. IX. X. XI. XII. XIII.
- XV. XVI.
- XXVIII.
- XXXI.
- XXXII.

Et priore quidem laici soli, non clerici puniuntur; posteriore autem clerici, non laici. Neque enim clericus eucharistica communione unquam privatus est, nisi in laicorum prius ordinem reductus. . . . Ubique igitur in veterum Conciliorum Canonibus clericos ἀπειρωνήτους, *communione motos*, legimus, ecclesiastica illa, non eucharistica, intelligenda est excommunicatio. . . . Quod Concilium Chalcedonense

clarius explicat decernens istiusmodi clericos μηδὲ ἕως μηδαμῶς λειτουργεῖν, *nuquam ullo modo sacra peragere*. Conc. Chal. c. xiii. [Pan. Can. tom i. p. 129, A.]; et Conc. Antioch. μηκίστι λειτουργεῖν. Can. iii. [Pan. Can. tom. i. p. 432, F.] Quæ phrasis in eadem causa usurpatur etiam Ap. Can. xv. [Pan. Can. tom. i. p. 10, C.]” Annot. in Can. xvi. Conc. Nic. Annot. in Pan. Can. p. 82. Pan. Can. tom. ii. ad fin.]

Antiocheni.	Apostolici.
VII. VIII.	XXXIII.
IX.	XXXIV.
XIII. [X]XII.	XXXV.
XVII. XVIII.	XXXVI.
XX.	XXXVII.
XXI.	XIV.
XXIII.	LXXVI.
XXIV.	XL.
XXV.	XLI.

Ex hac Antiochenorum Canonum cum Apostolicis collatione patet, duodeviginti e XXV. Canonibus Antiochenis eadem et tractare et præcipere, quæ in Apostolicis constituta sunt: atque etiam eundem fere ordinem utrobique observatum esse. Demptis enim tribus Canonibus Antiochenis, nimirum XXI. qui Apostolico XIV. consonat, et XXII. qui eadem statuit atque XIII. quocum propterea ad Can. Apost. XXXV. refertur, et denique XXIII. qui Apostolico LXXVI. respondet, reliqui omnes eodem prorsus ordine, quo pares eorum geminique in Apostolicorum Canonum collectione, constituuntur. Quæ prius enim aut posterius in Antiochenis, ad eundem modum et in Apostolicis decernuntur. Verum Canones Antiocheni V. VI. VII. VIII. IX. eadem continuata serie in Apostolicis XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV. digeruntur: et proximi tres Canones Apostolici, XXXV. XXXVI. XXXVII. inter Antiochenos sequentes identidem exhibentur. Duo etiam ultimi Antiocheni XXIV. et XXV. Apostolicis XL. et XLI. ad amussim quadrant.

III. Qui hanc inter Apostolicos et Antiochenos Canones consonantiam perpendit, dubitare nequit, quin vel Apostolici ex Antiochenis, vel Antiocheni e contra ex Apostolicis traducti fuerint. Verumenimvero Antiochenos ex Apostolicis, et non e contra, formatos fuisse multa sunt quæ suadent. Primo enim Canones Apostolici stylo simpliciori et priorum seculorum genium magis redolente conscripti sunt quam Antiocheni; ac proinde hi illos fusius explicant, suisque, quarti nimirum seculi, moribus ac institutis accommodant.

Vix quempiam enim e Canonibus Apostolicis ab Antiochenis recitatum invenias, qui non planior simul atque aliquo modo emendatior ab iis editur. E plurimis quæ adduci possunt exemplis, nos unicum seligemus. Canon Apostol. IX. sic

[Pan. Can.
tom. i. p. 6,
D.]

habet, Πάντας τοὺς εἰσόντας πιστοὺς, καὶ τῶν γραφῶν ἀκούοντας, μὴ παραμένοντας δὲ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ ἁγίᾳ μεταλήψει, ὡς ἀταξίας ἐμποιοῦντας τῇ ἐκκλησίᾳ, ἀφορίζεσθαι χρῆ. *Omnes fideles qui ingrediuntur, et Scripturas audiunt, in precatatione autem et sacra communione non permanent, ut Ecclesiæ confusionem afferentes, segregari oportet. Hunc Canonem Patres Antiocheni tantum non verbatim recitant, explicantque hunc in*

Can. Ant. II.
[Pan. Can.
tom. i. p. 431,
A, B.]

modum, Πάντας τοὺς εἰσόντας εἰς τὴν ἐκκλησίαν, καὶ τῶν ἱερῶν γραφῶν ἀκούοντας, μὴ κοινωνοῦντας δὲ εὐχῆ[ς] ἅμα τῷ λαῷ, ἢ ἀποστρεφόμενους τὴν ἁγίαν μετάληψιν τῆς εὐχαριστίας κατὰ τινὰ ἀταξίαν, τούτους ἀποβλήτους γίνεσθαι τῆς ἐκκλησίας, ἕως ἂν ἐξομολογησάμενοι καὶ δεῖξαντες καρποὺς μετανοίας, καὶ παρακαλέσαντες, τυχεῖν δυνηθῶσι συγγνώμης. *Omnes qui ingrediuntur Ecclesiam, et Sacras Scripturas audiunt, orationi autem cum populo non communicant, vel sanctam Eucharistiæ participationem propter aliquam insolentiam aversantur, eos ab Ecclesia expelli, donec postquam confessi fuerint, fructusque pœnitentiæ ostenderint, et imploraverint, veniam assequi possint. Nemo non videt Canonem Apostolicum, alioquin obscurum, ita hic interpretatum esse, ut nihil in posterum controversiæ de sensu ejus oriatur. Cum in Apostolico enim Canone simpliciter dicitur, Πάντας τοὺς εἰσόντας, in Antiocheno ἐξηγητικῶς additur, εἰς τὴν ἐκκλησίαν, et ante γραφῶν præmittitur ἱερῶν, ut ab aliis scriptis distinguantur. Et verba ista in Can. Apost. μὴ παραμένοντας δὲ τῇ προσευχῇ, Patres Antiocheni explicant per μὴ κοινωνοῦντας δὲ τῆ[ς] εὐχῆ[ς] ἅμα τῷ λαῷ, quod sensum Canonis planiorem reddit. Et quod in Canone Apostolico sequitur, καὶ τῇ ἁγίᾳ μεταλήψει, cum obscurum sit et difficile intellectu, quid hic per sacram communionem intelligendum sit, et quid sit in ea non permanere, Patres Antiocheni ita interpretantur, ut per sacram communionem in genere communio sive participatio sanctæ Eucharistiæ intelligatur, et isti in ea non permanere judicentur, qui eam propter aliquam insolentiam aversantur. Quod denique ad pœnam Canonis hujus violatoribus impositam spectat, Canon Apost.*

eos segregandos esse decernit, sed quamdiu huic pœnæ sub-
jiciendi sunt, præcise non definit: quapropter Canon Antio-
chenus eos Ecclesia ejectos fore statuit, usquedum peccatum
confessi fuerint, et fructus pœnitentiæ ostenderint, et veniam
implorantes, eam ab Ecclesia assequi potuerint. Unde
constat hanc primam Canonis hujus Antiocheni partem, nihil
aliud esse quam paraphrasticam quandam Apostolici illius
Canonis explicationem. Quod fieri non potuit, nisi Patres
Antiocheni Apostolicum istum Canonem probe nossent.
Idem videre est et in aliis plerisque Canonibus Antiochenis,
utpote quibus Apostolici non recitantur modo, sed et dilu-
cide explicantur, ut cuivis eos ulterius comparanti solis luce
clarius apparebit.

IV. Adhæc Canones Antiochenos ex Apostolicis productos
fuisse Canone nono cum Apostolico XXXIV. collato fa-
cillime conficiatur. Canon enim Apostolicus hæc habet,
Τοὺς ἐπίσκοπους ἐκάστου ἔθνους εἶδέναι χρῆ τὸν ἐν αὐτοῖς πρῶτον, καὶ
ἡγεῖσθαι αὐτὸν ὡς κεφαλὴν, καὶ μηδὲν τι πράττειν περιττὸν ἄνευ τῆς
ἐκείνου γνώμης· ἐκεῖνα δὲ μόνον πράττειν ἕκαστον, ὅσα τῇ αὐτοῦ παροικίᾳ
ἐπιβάλλει, καὶ ταῖς ὑπ' αὐτὴν χώραις· ἀλλὰ μηδὲ ἐκεῖνος ἄνευ τῆς
πάντων γνώμης ποιεῖτω τι. *Episcopus uniuscujusque gentis nosse
oportet eum qui in eis primus est, et existimare eum ut caput,
et nihil facere quod magni sit momenti præter illius sententiam,
sed ea sola facere unumquemque, quæ ad suam parochiam per-
tinent, et ad pagos qui ei subsunt. Sed nec ille absque omnium
sententia aliquid agat.* Hunc Canonem Patres Antiocheni
renovant, explicantque his verbis: Τοὺς καθ' ἐκάστην ἐπαρχίαν
ἐπίσκοπους εἶδέναι χρῆ τὸν ἐν τῇ μητροπόλει προεστῶτα ἐπίσκοπον,
καὶ τὴν φροντίδα ἀναδέχεσθαι πάσης τῆς ἐπαρχίας, διὰ τὸ ἐν τῇ
μητροπόλει πανταχόθεν συντρέχειν πάντας τοὺς τὰ πράγματα ἔχοντας,
ὅθεν ἔδοξε καὶ τῇ τιμῇ προηγεῖσθαι αὐτὸν, μηδὲν τε πράττειν περιττὸν
τοὺς λοιποὺς ἐπίσκοπους ἄνευ αὐτοῦ, κατὰ τὸν ἀρχαιότερον κρατήσαντα
ἐκ τῶν πατέρων ἡμῶν κανόνα· ἢ ταῦτα μόνον ὅσα τῇ ἐκάστου ἐπιβάλλει
παροικίᾳ, καὶ ταῖς ὑπ' αὐτὴν χώραις· ἕκαστον γὰρ ἐπίσκοπον ἐξου-
σίαν ἔχειν τῆς ἑαυτοῦ παροικίας, διοικεῖν τε κατὰ τὴν ἐκάστῃ ἐπι-
βάλλουσαν εὐλάβειαν, καὶ πρόνοιαν ποιεῖσθαι πάσης τῆς χώρας τῆς
ὑπὸ τὴν ἑαυτοῦ πόλιν, ὡς καὶ χειροτονεῖν πρεσβυτέρους καὶ διακόνους,
καὶ μετὰ κρίσεως ἕκαστα διαλαμβάνειν· περαιτέρω δὲ μηδὲν πράττειν
ἐπιχειρεῖν δίχα τοῦ τῆς μητροπόλεως ἐπίσκοπου, μηδὲ αὐτὸν ἄνευ τῆς τῶν
λοιπῶν γνώμης. *Episcopus qui sunt in unaquaque provincia*

Can. Apost.
XXXIV.
[Pan. Can.
tom. i. p. 22,
D, E.]

Can. Ant. IX.
[Pan. Can.
tom. i. p. 438,
C, D.]

scire oportet Episcopum qui Metropoli præest, et curam suscipere totius provinciæ: eo quod in Metropolim undequaque concurrant omnes qui habent negotia: unde visum est eum quoque honore præcedere: reliquos autem Episcopos nihil magni momenti aggredi sine ipso, juxta antiquiorem, qui a Patribus nostris obtinuit, Canonem, vel ea sola quæ ad uniuscujusque paræciam pertinent, et ad regiones quæ ei subsunt. Unumquemque enim Episcopum habere suæ paræciæ potestatem, et administrare pro conveniente unicuique religione, et totius regionis quæ suæ urbi subest, curam gerere, ut etiam ordinet presbyteros, et diaconos, et unaquæque cum judicio tractet: et nihil ultra facere aggrediatur sine Episcopo Metropolitanano: neque ipse sine reliquorum sententia. In hoc Antiocheno Canone multa sunt, quæ istum ex Apostolico supradicto excusum esse evincunt. Primo enim quod de aliis plerisque Canonibus Antiochiæ sancitis verum est ac apertum, de hoc imprimis verissimum simul et apertissimum videtur: istum nimirum nihil aliud esse quam paraphrasin in Canonem Apostolicum. Deinde quem Canon Apostolicus simpliciter Episcopum Primum vocat, eundem Antiochenus τὸν ἐν τῇ μητροπόλει προσεστῶτα ἐπίσκοπον, Episcopum qui Metropoli præest appellat. Neque dubitare licet, quin Canon Apostolicus isto sensu intelligendus sit. Ex quo proinde constat Apostolicum istum Canonem prius constitutum fuisse quam Metropolitanorum nomen in Ecclesiam translatum fuerat: hoc est ante tertium finitum seculum. Tribus enim prioribus æræ Christianæ seculis, Metropolis in Ecclesiæ notitia Prima Cathedra, et Metropolitanus simpliciter Primi Episcopi appellabantur. Nomen autem Metropolitanus quarto demum seculo usurpari cœpit: nec in ecclesiasticis antea scriptoribus uspiam invenitur. Quarto autem inchoato seculo Primi Episcopi appellatio in desuetudinem abiit, cum Metropolitanus nomine commutata. Qui primus enim Episcopus antea dictus fuerat, in Antiochenis hisce Canonibus ὁ κατὰ τὴν μητρόπολιν, et ὁ κατὰ τὴν μητρόπολιν τῆς ἐπαρχίας ἐπίσκοπος, Can. XI. ὁ τῆς μητροπόλεως ἐπίσκοπος, Can. XIV. ὁ πιστευμένος τὴν μητρόπολιν, Can. XX. ὁ ἐν τῇ μητροπόλει, Can. XIX. et in præsentī Canone IX. ὁ ἐν τῇ μητροπόλει προσεστῶς. Et alibi ὁ μητροπολίτης vocatur, Can. XIII. et XVI. ut etiam in Canonibus Nicænis IV. et VI. ab isto demum

[Pan. Can. tom. i. p. 440, C.]
 [p. 444, A.]
 [p. 449, C.]
 [p. 448, B.]
 [p. 438, C.]
 [p. 443, D.]
 [p. 445, B.]
 [p. 63, A.]
 [p. 66, A.]

usque ad hoc præsens seculum Episcopi primarum sedium Metropolitanani perpetuo vocati sunt. Quocirca si Canones Apostolici post Antiochenos editi fuissent, Episcopus ille qui aliis præest, non Primus Episcopus, sed Metropolitanus, in iis dictus fuisset. Cum autem, e contrario, in Canone Apost. quem sub manibus habemus, non Metropolitanus, sed simpliciter Primus Episcopus, dicatur, perspicue ex eo liquet hunc Apostolicum Canonem prius sancitum fuisse, quam Episcopi aliis præsidentes Metropolitanorum nomine celebrati fuerunt. Quod magis adhuc perspicuum redditur e ratione ista quam Patres Antiocheni reddunt, quare Metropolitanus totam provinciam et universos in ea Episcopos sibi subjectos habere debet: *Διὰ τὸ ἐν τῇ μητροπόλει πανταχόθεν συντρέχειν τοὺς τὰ πράγματα ἔχοντας, Eo quod in Metropolim undequaque concurrant omnes qui negotia habent.* [Can. Ant. IX. ut supra.] Nimirum Canon Apostolicus decreverat, ut omnes Episcopi cujusque gentis eum, qui inter ipsos primus est, tanquam caput existiment, eique subsint. Patres Antiocheni, per Primum cujusque gentis Episcopum, Metropolitanum, sive Episcopum qui Metropoli provinciæ præest, intelligendum esse consentiunt; ac proinde verba Canonis Apostolici ad Metropolitanum referunt, hac ratione inducti, quod in Metropolim undequaque concurrant omnes qui civilia habent negotia, utpote ubi conventus juridici, quibus talia tractantur negotia, a provinciarum præsidibus celebrari soliti fuerunt. Hanc autem instituti sui rationem idcirco tantum reddiderunt Patres Antiocheni, ut cuivis constet, quare ipsi eadem privilegia Metropolitanano cujusque provinciæ attribuant, quæ antiquitus Primo tantum Episcopo concessa fuerant, nimirum quod Metropolitanus sit proprie Primus cujusque gentis Episcopus, eo quod ipse Metropoli præest, qua maximus haberi solet hominum concursus. Denique si hæc omnia quæ huc usque attulimus argumenta nihili habeantur, aliud adhuc restat, quo extra omnem dubitationis aleam ponitur, hunc Canonem Antiochenum post Apostolicum divulgatum esse. Id enim tantum non diserte in ipso Canonis corpore affirmatur, quippe quo decretum est reliquos omnes Episcopos nihil quod magni sit momenti aggredi sine Primo vel Metropolitanano Episcopo, *κατὰ τὸν ἀρχαιότερον κρατήσαντα ἐκ τῶν πατέρων ἡμῶν κανόνα, juxta antiquiorem qui a Patribus* [Ibid.]

nostris obtinuit Canonem. Hic enim antiquior citatur Canon, quo hæc antea constituta fuerant. Dicitur autem Canon Apostolicus XXXIV. eadem totidem fere verbis constituit. Hic enim de Primo loquens Episcopo edicit, reliquos Episcopos *μηδέν τι πράττειν περιττὴν ἄνευ τῆς ἐκείνου γνώμης· ἐκεῖνα δὲ μόνον πράττειν ἕκαστον, ὅσα τῆ αὐτοῦ παροιμία ἐπιβάλλει καὶ ταῖς ὑπ' αὐτὴν χώραις.* Quæ verba Canon Antiochenus [IX.] in hunc modum exscribit, *Μηδέν τε πράττειν περιττὸν τοὺς λοιποὺς ἐπισκόπους ἄνευ αὐτοῦ, ἢ ταῦτα μόνον ὅσα τῆ ἐκάστου ἐπιβάλλει παροιμία καὶ ταῖς ὑπ' αὐτὴν χώραις.* Quæ cum in Apostolico Canone ad verbum fere habeantur, et nullus alius Synodo Antiochena antiquior Canon exstet, quo eadem continentur, nemini dubium esse potest, quin antiquior iste Canon a Synodo memoratus, ipsissimus sit Apostolicus XXXIV.

V. Quo porro opinio hæc, quæ Canones Apostolicos Patribus Antiochenis visos fuisse statuit, firmior adhuc stabiliatur, aliud nobis suppeditat argumentum Canon Antiochenus XX. Apostolico XXXVII. respondens, quo statutum est, ut bis quotannis Concilia Episcoporum celebrentur,

[Pan. Can. tom. i. p. 25, D. E.]

Ἄπαξ μὲν, τῆ τετάρτῃ ἑβδομάδι τῆς Πεντηκοστῆς, δεύτερον δὲ, Ἰερεβερταίου δωδεκάτῃ, Semel quidem quarta septimana Pentecostes, secundo vero duodecimo die Hyperberetæi. Hunc

Can. Ant. XX. [ib. tom. i. p. 449, B.]

Apostolicum Canonem renovantes Patres Antiocheni statuunt, ut primum quidem Concilium fiat *μετὰ τὴν τρίτην ἑβδομάδα τῆς ἑορτῆς τοῦ Πάσχα, ὥστε τῆ τετάρτῃ ἑβδομάδι τῆς Πεντηκοστῆς ἐπιτελεῖσθαι τὴν σύνοδον, ὑπομιμνήσκοντος τοὺς ἐπαρχίωτας τοῦ ἐν τῆ μητροπόλει· τὴν δὲ δευτέραν σύνοδον γίνεσθαι ἴδοις [εἰδοῖς] Ὀκτωβρίαις, ἣτις ἐστὶ δεκάτῃ Ἰερεβερταίου.* Post tertiam hebdomadam festi Paschæ, ut quarta hebdomade Pentecostes perficiatur Synodus, Metropolitanò provinciales Episcopos admonente. Secundam vero Synodum Idibus Octobris fieri, qui est decimus Hyperberetæi. Ubi primo, quod in Canone Apostolico desideratur, Patres Antiocheni suppleant, provinciales videlicet Episcopos ad anniversarias hasce Synodus per Metropolitanum ejusque provinciæ convocandos esse. Deinde primum Synodo convocandæ tempus in Can. Apost. præstitutum adhuc observandum esse decernunt, hac tantum cautione, vel explicatione potius adhibita, ut Synodus proxime post tertiam Paschalis festivitatis hebdomadam incipiat, et quarta Pentecostes heb-

domade perficiatur. In secundi autem Concilii definiendo tempore, aliquantulum sane, sed perparum, a Canone Apostolico discrepantiæ admittunt. Illud enim non duodecimo Hyperberetæi, sed Idibus Octobris, qui est decimus Hyperberetæi, peragendum esse statuunt. Hic autem, quod obiter observare liceat, mendum in Canonis Antiocheni textum irrepsisse videtur. Licet enim hæc sit vulgaris hujus loci lectio, ipseque vetus interpres, Dionysio Exiguo antiquior, ita legerit, quippe qui suo more, hoc est barbare et corrupte, hunc in modum Latine vertit, *Secundum autem Synodum Idus Octobr. quæ est decima Ypirethæi*. Cum neminem tamen lateat, mensem Hyperberetæum in anno Macedonico et Antiocheno cum Octobri Juliano coincidere, non decimus, sed decimus quintus, Hyperberetæi Idibus Octobris respondet. Unde ista verior hujus loci lectio videtur, quam Christophorus Justellus in sua Codicis Canonum Ecclesiæ universæ editione exhibet, ubi sic legitur, Τὴν δὲ δευτέραν [Justelli Bib. J. Can. Vet. tom. I. p. 295.] *σύνοδον γίνεσθαι ἡδοὺς Ὀκτωβρείαις, ἣ τις ἐστὶ πεντηκαιδέκατῃ Ἰπερβερεταίου*. Sic etiam Dionysius Exiguus legit, vertit enim, *Secunda vero Synodus fiat Idus Octobris, id est quinto decimo die mensis Octobris, quem Hyperberetæon Græci cognominant*. Necnon Isidorus Mercator, qui sic Latine reddit, *Secundo autem Concilium fieri Idibus Octobris, qui dies apud Græcos Hyperberetæi mensis XV. invenitur*. Quod [Ibid. pp. 127, 128.] [Conc. tom. II. col. 586, E.] quidem verissimum est. Cum Hyperberetæus enim una cum Octobri in anno Juliano ineat, decimus quintus Hyperberetæi cum Idibus Octobris, sive die XV. istius mensis coincidat necesse est. Unde constat Patres Antiochenos eadem fere tempora indicendis anniversariis Episcoporum Synodis constituisse, quæ in Canone Apostolico prius constituta fuerant. Ut prima nimirum Synodus quarta Pentecostes hebdomade, altera decimo quinto mensis Hyperberetæi, sive Idibus Octobris, habeatur: idque non obstante quinto Concilii Nicæni Canone, quo primam ex illis Synodis ante Quadragesimam, alteram circiter Autumni tempus celebrandam esse sancitum fuerat. De secunda peragenda Synodo nulla movetur quæstio, cum Hyperberetæus in Autumnum incidat. Quænam autem reddi potest ratio, quare Patres Antiocheni in altera celebranda Synodo decreto Concilii Œcumenici se opponerent? Quare illi primam Synodum

quarta Pentecostes hebdomade convocandam esse juberent, cum Patres Nicæni eandem ante Quadragesimam peragendam esse jusserint? Nemo sane eos sine summa ratione, quæcunque demum fuerit, hoc perpetrasse opinetur. Quæ tamen nobis alia non videtur, neque major, ut opinor, reddi potest, quam quod in antiquis ipsorum Canonibus decretum noverint, ut prima quotannis Synodus quarta Pentecostes hebdomade perageretur: ac propterea licet alii qui statas has Synodos celebrare nondum soliti, nec Apostolicos hosce Canones amplexi fuerant, decreto isto Nicæno tenerentur, ipsi tamen Antiocheni Patres sibi liberum esse autumarunt antiquis suis, in hac temporis circumstantia, Canonibus adhuc insistere, præsertim cum ipsi etiam Nicæni Patres statuissent, ut in Antiochena pariter atque in aliis provinciis, τὰ ἀρχαῖα

Can. Nic. VI.
[Pan. Can.
tom. . . p. 66,
A.]

ἔθνη κρατεῖται. Alioqui si primam in singulis annis Synodum juxta Canonem Apost. celebrandi consuetudo in Ecclesia Antiochena antiquitus non obtinisset, Antiocheni sine dubio Patres in hoc suo condendo Canone Nicænum potius quam Apostolicum secuti fuissent: et primum anniversarium Concilium non quarta Pentecostes hebdomade, juxta Apostolicum, sed ante Quadragesimam juxta Nicænum Canonem habendum esse definiissent. Cum e contrario autem, posthabito Synodi Nicænæ decreto, Apostolicum potius Canonem hac in re observandum esse consenserint, Canones Apostolicos non visos modo, sed permagnæ apud eos auctoritatis fuisse liquet.

VI. Secundum hæc inter duos ultimos Antiochenos, et Apostolicos Canones XL. et XLI. optime convenit: utrobique enim de rebus sive bonis Ecclesiæ, et iisdem plerumque verbis, agitur. Quæcunque autem ad Ecclesiam pertinent in Apostolicis Canonibus, τὰ τῆς ἐκκλησίας πράγματα, et nonnunquam χρήματα vocantur.⁷ Nullam vero redditum vel agrorum ad Ecclesiam pertinentium mentionem faciunt. At Canon Antiochenus XXV. Τοὺς πόρους τῆς ἐκκλησίας, καὶ τοὺς τῶν ἀγρῶν καρποὺς, Ecclesiæ redditus et agrorum fructus commemorat. Hinc conficitur Canones Apostolicos istis diebus conditos fuisse, quibus Ecclesia nullis adhuc latifundiis locupletata, Episcopus, clerum, pauperesque suos e

[Ib. p. 451,
D.]

⁷ [Ἔστω φανερὰ τὰ ἴδια τοῦ ἐπισκόπου Κυριακά.—Can. Ap. xl. Pan. Can. πράγματα, (εἶσα ἴδια ἔχει) καὶ φανερὰ τὰ tom. i. p. 27, E.]

solis fidelium oblationibus primitiisque alebat. Quando, ut ait Tertullianus, *modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit, apponebat.*⁸ Quæ autem tunc dierum erat Christianorum caritas, hujusmodi eorum ad Ecclesiæ usus oblationes decimas lege debitas excedebant. Ut ex Irenæo constat dicente, *Et propter hoc illi quidem, viz. Judæi, decimas suorum habebant consecratas; qui autem perceperunt libertatem, viz. Christiani, omnia quæ sunt suorum ad Dominicos decernunt usus, hilariter et libere dantes ea, non quæ sunt minora, ut [pote] majorem spem habentes.* Quæ itaque ex liberalibus hisce fidelium oblationibus collecta sunt, ea omnia Canon Apost. XLI. Episcopo cujusque parœciæ concedenda statuit, ut in ejus sit potestate indigentibus, prout ipsi visum fuerit, per presbyteros et diaconos ea dispensare.⁹ Postquam autem Constantinus M. aliquam suorum bonorum partem clero relinquendi Christianis potestatem fecerat, Ecclesiæ protinus, per magnificam Christianorum liberalitatem, agris quamplurimis, et latifundiis, eorumque redditibus locupletata sunt. Hinc Synodus Episcoporum, Antiochiæ postea congregata, Canone suo XXV. Apostolicum istum XLI. renovans, non modo Ecclesiæ bona ex oblationibus congesta, verumetiam redditus, agrorumque, quibus modo ditata est, fructus, Episcoporum potestati subjicit, sub ea tamen conditione, ut in proprios non convertant usus, sed ex presbyterorum et diaconorum sententia ea omnia administrent.¹ Quod illustre quidem est argumentum, hunc Antiochenum post Apostolicum Canonem publicatum fuisse. Alias enim agrorum Ecclesiæ datorum mentio in hoc æque ac in isto procul omni dubio inducta fuisset. Et hæc quidem unica nobis videtur ratio, quare Patres Antiocheni

Tertul. Apol. c. xxxix. [p. 31, B.]

Iren. [con. Hæres.] lib. iv. cap. 34, [18, Massuet. sec. 2, p. 250, col. 1.]

⁸ [“Vel cum velit, et si modo velit, et si modo possit, apponit.”—Tertul. Ap. c. xxxix. p. 31, B.]

⁹ [Προστάσσομεν τὸν ἐπίσκοπον ἕξουσίαν ἔχειν τῶν τῆς ἐκκλησίας πραγμάτων. . . . ὅσως κατὰ τὴν ἑαυτοῦ ἕξουσίαν πάντα διοικῆσαι, καὶ τοῖς διομένοις διὰ πρεσβυτέρων καὶ διακόνων ἐπιχορηγῆσαι.—Can. Ap. xli. Pan. Can. tom. i. p. 28, E.]

¹ [Ἐπίσκοπον ἔχειν τῶν τῆς ἐκκλησίας

πραγμάτων ἕξουσίαν, ὅσως αὐτὰ διοικῆναι εἰς πάντας τοὺς διομένους, μιστὰ πάσης ὑπαβίας καὶ φόβου Θεοῦ. . . . Εἰ δὲ μὴ τοῦτοις ἀρκῶσι, μεταβάλλοι δὲ τὰ πράγματα εἰς οἰκιστικὰ αὐτοῦ χεῖρας, καὶ τοὺς πόρους τῆς ἐκκλησίας, ἢ τοὺς τῶν ἀγγλῶν καρποὺς, μὴ μιστὰ γνώμης τῶν πρεσβυτέρων ἢ τῶν διακόνων χεῖριζοι. . . . τοῦτον ὑθύναι παρήκειν τῇ συνόδῳ τῆς ἰσαρχίας.—Can. Ant. xxv. Pan. Can. tom. i. p. 451, D, E.]

Apostolicum istum Canonem repararint, et de novo ediderint, quod nimirum bona tantum Ecclesiæ, non item reditus agrorumque fructus, in eo commemorentur. De quibus tamen, non minus quam de reliquis Ecclesiæ bonis, necesse erat ut Canon ederetur.

VII. Ex iis quæ hactenus commentati sumus, satis superque, ut nobis saltem videtur, patet Canones Antiochenos non modo Apostolicis posteriores, verumetiam ex iis cusos formatosque fuisse. Sed nihilo secius, ut extra omnem, quoad fieri potest, controversiam in posterum ponatur, ultimo observetur velim Canones Apostolicos nullius præcedentis Canonis nec legis cujuslibet ecclesiasticæ ante constitutæ mentionem uspiam inferre, sed omnia nude et sincere proponere, ut tunc temporis primo ecclesiastica auctoritate definita. At Canones Antiocheni, qui in ordine, sensu, et in ipsis plerumque verbis, cum Apostolicis summe conveniunt, alios ecclesiasticos Canones ut ante editos, et istis diebus observatos, passim commemorant; iis præsertim in locis quibus eadem decernunt, quæ in Canonibus Apostolicis decreta sunt. Verbi gratia, secundus Synodi Antiochenæ Canon clericum cum excommunicatis communicantem communionem privat, *ὡς συγγέοντα τὸν κανόνα τῆς ἐκκλησίας, ut Canonem Ecclesiæ confundentem.* Talis autem confundit violatque Can. Apost. X. istud diserte prohibentem.² Tertius Antiochenus Canon Episcopum, qui clericum ab alio Episcopo depositum suscipit, a communi Synodo puniendum esse definit, *ὡς παραλύοντα τοὺς θεσμοὺς τοὺς ἐκκλησιαστικούς, ut ecclesiastica constituta dissolventem.* Dissolvit autem Canonem Apost. XVI. quo talis segregatur, non *ὡς παραλύων τοὺς θεσμοὺς τοὺς ἐκκλησιαστικούς*, quippe qui nulli antea erant, sed *ὡς διδάσκαλος ἀταξίας.* Canone Antiocheno XXIII. cautum est, ne Episcopus successorem sibi constituat, *φυλάττεσθαι δὲ τὸν θεσμόν τὸν ἐκκλησιαστικόν, sed servari statutum ecclesiasticum*, quo id nimirum prohibetur. Prohibetur autem illud a Canone Apost. LXXVI.³ Quin nono etiam Canone, ut ante observatum est, Patres Antiocheni decernunt, reli-

[Pan. Can. tom. i. p. 431, B.]

[Ibid. p. 433, A.]

[Ibid. p. 10, F.]

[Ibid. p. 450, F.]

[Sect. 4, p. 37.]

² [Ἐἴ τις ἀποιανήσῃ πᾶν ἐν οἴκῳ συνέζηται, οὗτος ἀφορίζεσθω.—Can. Ap. x. Pan. Can. tom. i. p. 6, F.]

³ [Ὅτι οὐ χρὴ ἐπισκοπῶν ἀδελφῶν,

ἢ τῶν υἱῶν, ἢ ἰτέρων συγγενῶν χαρίζεσθαι, εἰς τὸ ἀξίωμα τῆς ἐπισκοπῆς χειροτονεῖν ἢ βούλειται· κληρονομοῦν γὰρ τῆς ἐπισκοπῆς ποιεῖσθαι οὐ δίκαιον. . . . εἰ δὲ τις

quos cujusque provinciæ Episcopus nihil magni momenti sine Metropolitano suo agere, κατὰ τὸν ἀρχαιότερον κρατήσαντα ἐκ πατέρων ἡμῶν κανόνα, *juxta antiquiorem, qui a patribus nostris obtinuit Canonem*, quo non tantum antiquior, sed et ipse Canon Apostolorum XXXIV. apertissime indigitatur. Ad eundem denique modum Canone Antiocheno XXI. statutum est, ut Episcopus in ea maneat, in quam ab initio vocatus est, Ecclesia, et ab ea non recedat, κατὰ τὸν ἤδη πρό- [Pan. Can. tom. i. p. 450, A.]
 τερον περὶ τούτου ἐξενεχθέντα ὄρον, *juxta decretum antea de ea re editum*, hoc est *juxta Canonem Apostolicum XIV.* quo idem prorsus decernitur.⁴ Neque enim modo dubitare fas est, quin Canones Apostolici ante Antiochenos, hique ex iis, constituti fuerint, cum antiquiores isti Canones, ab Antiochenis toties commemorati, cum Apostolicis polite adeo in omnibus conveniant, præsertim cum, ut antea probavimus, vel Apostolicos ex Antiochenis, vel Antiochenos ex Apostolicis transcriptos fuisse certissimum sit. Omnimodo autem verisimilius est, Canones istos, qui de Canonibus ante editis passim meminerunt, ex aliis formatos fuisse, quam eos qui nullam omnino aliorum Canonum mentionem faciunt. Apostolici vero, ut cuivis perlegenti patebit, nullos alios ante se constitutos agnoscunt. Patres autem Antiocheni se suos ex aliis ante sancitis Canonibus divulgare sæpe innuunt, quosque ipsi indignant Canones inter Apostolicos etiamnum inveniuntur. Ac propterea Canones Apostolicos Antiochenis antiquiores, adeoque ante An. Dom. CCCXLI. editos fuisse, nemo inficias ire potest, quin simul se nimio partium studio occæcatum prodat.

VII. Ne mirum autem cuiquam videatur, qua ratione inducti Patres Antiocheni veteres hosce renovarint Canones, novosque iis subinde inseruerint, paucula hic in transcurso de Synodo Antiochena observare visum est, e quibus totius hujusce Canonum Antiochenorum sylloges occasio patefiat. Primo inter omnes convenit, Episcopus in hac Synodo congregatos Ariana hæresi infectos fuisse, licet palam et aperte eam haud professi fuerint. Cum enim Constantius Augustus

τοῦτο ποιήσῃ, ἄκυρος μὲν ἴστω ἢ χριστονομία· αὐτὸς δὲ πιστιμώσθη ἀφορισμῷ.—
 Can. Ap. lxxvi. Pan. Can. tom. i. p. 50, A.]

⁴ [Ἐπίσκοπον μὴ ἐξίνα καταλείψαντα τὴν ἑαυτοῦ παροικίαν ἰστέφ ἰπιστηδῶν, κ. τ. λ.—Can. Ap. xiv. Pan. Can. tom. i. p. 8, F.]

celeberrimam illam Ecclesiam, Dominicam auream dictam, a Patre suo Constantino M. ædificari cœptam Antiochiæ ab-
solvisset, Eusebiani, qui se quidem Catholicos profitebantur,
sed occulte Arianis favebant, numero plus minus nonaginta
Antiochiam se conferebant, prætextu quidem dedicandæ
ejusdem Ecclesiæ, revera autem ut fidem a Concilio Nicæno

Socrat. Hist.
Eccl. lib. ii.
cap. 8, [p. 84.]
Sozom. lib. iii.
cap. 5, [p. 97.]

stabilitam everterent. Hoc ecclesiastici historici diserte
affirmant.⁵ Non me fugit communem inter doctos opi-
nionem prævaluisse, sex et triginta solos e Patribus Antio-
chenis Arianæ hæresi emancipatos fuisse. Hæc autem
opinio e perperam intellectis Julii Papæ verbis in Epistola
ad Orientales Episcopos, originem traxit, ubi nimirum ait,

[Apud. Ath.
Apol. cont.
Arian. Op.
tom. i. cap. 29,
pp. 148, E, F,
149, A.]

Σκοπεῖτε οὖν [Bened. τοίνυν] τίνες εἰσὶν οἱ παρὰ κανόνας πρᾶξαντες,
ἡμῖς οἱ μετὰ τούτων ἀποδείξωμεν τὸν ἄνδρα δεξάμενοι, ἢ οἱ ἀπὸ τριά-
κοντα καὶ ἕξ μόνων ἐν Ἀντιοχείᾳ ὀνομάσαντες τινὰ ὡς ἐπίσκοπον ξένον,
καὶ ἀποστείλαντες εἰς Ἀλεξάνδρειαν μετὰ στρατιωτικῆς ἐξουσίας; Ex
his verbis Baronius alique post eum collegerunt, triginta
sex solos Episcopos in Synodo Antiochena Gregorium in
sedem Alexandrinam ad Athanasium jure pertinentem ordi-
nasse, atque ideo totidem in ista Synodo solos Arianos
fuisse, nimirum ac si legeretur οἱ ἀπὸ τριάκοντα καὶ ἕξ μόνων,
viz. ἐπισκόπων. Præterquam autem quod sensus isthoc modo
summe esset perturbatus, non μόνων ibi legitur, sed μόνων, ut
verba Latine sic sonent, *Videte igitur quinam sunt qui contra
Canones agunt? nosne qui tantis rerum documentis virum re-
cepimus, an qui a triginta sex mansionibus Antiochiæ quendam
velut Episcopum, externum hominem salutarunt, istumque
militari manu stipatum Alexandriam miserunt?* Nimirum
Julius Gregorii ordinationem reprehendit, eumque contra
Canones ecclesiasticos creatum esse Alexandriæ Episcopum

⁵ Κατασκευάζει οὖν (Εὐσέβιος) σύνοδον
ἐν Ἀντιοχείᾳ τῆς Συρίας γενέσθαι, προ-
φάσει μὲν τῶν ἰγκανίων τῆς ἐκκλησίας, ἢ
ὁ πατὴρ μὲν τῶν Αὐγουσταν κατασκευάζειν
ἤρξατο. μετὰ τελευτῆν δὲ αὐτοῦ, ὁ υἱὸς
Κωνσταντίου δικάτω ἔτι ἀπὸ τῆς θμι-
λιώσεως συντίλισιν· τὸ δὲ ἀληθές, ἐπὶ τῇ
ἀνατροπῇ καὶ καθαιρέσει τῆς Ὁμοουσίου
πίστεως· ἐν ταύτῃ δὲ τῇ συνόδῳ συνῆλθον
ἐκ διαφόρων πόλιων ἐπίσκοποι ἑνήκοντα.

—Soc. Hist. Eccl. lib. ii. c. 8, p. 84.

Εἰς καιρὸν ἰδοῦσι τοῖς ἀμφὶ τὸν Εὐ-
σέβιον, πάλοι τοῦτο σπουδάζουσι, σύνοδον
γενέσθαι. οἱ δὲ τότε, καὶ ἴτεροι τῶν τὰ
αὐτὰ φρονούντων αὐτοῖς εἰς ἑνήκοντα καὶ
ἑπτὰ τελοῦντες ἐπίσκοπους, πολλαχόθεν
εἰς Ἀντιοχείαν συνῆλθον· προφάσει μὲν ὡς
ἐπὶ ἀφιέρωσι τῆς νουργουῦ ἐκκλησίας· ὡς
δὲ τὸ ἀποβαθὴν ἰδιεῖν, ἐπὶ μεταποίησι τῶν
ἐν Νικαίᾳ δοξάντων.—Soz. Hist. Eccl.
lib. iii. c. 5, p. 97.]

affirmat, quippe qui non in ipsa urbe Alexandrina ordinatus esset, sed in urbe Antiochia ἀπὸ τριάκοντα καὶ ἕξ μονῶν, hoc est quæ triginta sex mansionibus, sive triginta sex dierum itinere ab urbe Alexandria distat.⁶ Ista igitur merito explosa opinione, fides ecclesiasticis potius historicis habenda est, omnes, vel saltem multo maximam eorum partem qui hanc Synodum celebrabant, Eusebianos fuisse asserentibus. Sic enim Sozomenus de Eusebianis loquens, Οἱ δὲ τότε καὶ ἕτεροι τῶν τὰ αὐτὰ φρονοῦντων αὐτοῖς, εἰς ἐνεήκοντα καὶ ἑπτὰ τελοῦντες ἐπισκόπους, πολλαχόθεν εἰς Ἀντιόχειαν συνῆλθον, *Isti igitur cum aliis ejusdem opinionis fautoribus, simul omnes septem et nonaginta Episcopi, variis e locis Antiochiam tunc temporis conveniebant.* Hinc cum unus ex hujus Concilii Canonibus adversus D. Chrysostomum objectus esset, ille constanter respondebat istum esse ἑτεροδόξων νόμον.⁷ Quo etiam nomine Innocentius papa Canones ab hac Synodo promulgatos repudiavit.⁸ Secundum hæc observetur etiam S. Athanasium, quem a Concilio Tyrio condemnatum, et sede Alexandrina depositum Constantinus M. in urbem Galliæ Treveros dictam relegaverat, paulo ante convocatum hoc Concilium, solius Imperatoris Constantini junioris literis, citra majoris Concilii sententiam ac decretum, ab exilio revocatum fuisse, et pristinae suæ sedi Alexandrinæ restitutum. Hoc Eusebiani, aliique omnes Arianicæ factionis sectatores ægerrime fere-

Soz. lib. iii. cap. 5. [p. 97.]

Ibid. lib. viii. cap. 20. [p. 352.]
Ibid. cap. 26 [p. 351.]

⁶ [“ Hunc locum ita verterat Nonnius, *An qui solum ad triginta sex suffragia eorum, qui Antiochiæ fuere, externum hominem Episcopum salutarunt?* Non adverterat enim μονῶν cum accentu circumflexo, hujus vocis *μονῆ, mansio*, non autem illius *μονος, solus*, casum esse. Hæc prava interpretatio, quæ in postremis editionibus correctæ fuit, in errorem deduxerat Baronium aliosque, qui a triginta sex solis Episcopis Gregorium Alexandriam missum fuisse ex hoc loco prave intellecto autumarunt. Et vero non est jam questio quot Episcopi Gregorium Alexandriam miserint, quod alibi commodius disquirendum veniet. Mansiones autem illæ quæ Antiochia Alexandriam intercedunt in Itinerario An-

tonini totidem, num. xxxvi. nempe, memorantur.”—Editor Bened. in locum. Ath. Op. tom. i. p. 148, not. d.]

⁷ [Ἀλλὰ καθίλον αὐτὸν, ἑτεροδόξων ἱεσταμένοι [ἱεσταμένοι in notis] τοῦτον ἵνα νόμον· ἐπεὶ γὰρ οἱ ἀπὸ τῆς Ἀρείου αἰρέσεως συκοφαντήσαντες Ἀθανάσιον ἀφίλοντο τὴν Ἀλεξανδρίαν ἐκκλησίαν, διὰ τῆς τῶν πραγμάτων μεταβολῆς, τὰδι ἐνομοθέτησαν.—Soz. Hist. Eccl. lib. viii. cap. 20, p. 352.]

⁸ [Εἰ δὲ ἕτεροι ὑπὸ τινων προφέρονται, αἵτινες ἀπὸ κανόνων τῶν ἐκ Νικαίας διαφανοῦσι, καὶ ὑπὸ αἰρετικῶν ἠλιγχοῦνται συντετάχθαι, οὗτοι παρὰ τῶν καθολικῶν πισκόπων ἀποβάλλονται.—Innoc. Epist. Presb. et Diac. C.P. Soz. Hist. Eccl. lib. viii. cap. 26, p. 361.]

Soz. lib. iii.
cap. 2, [p. 95.]

Ibid. cap. 3,
4, [p. 97.]

bant, et nullum non movebant lapidem, quo Athanasius acerrimus pestiferæ istius hæreseos oppugnator, sede sua iterum expelleretur.⁹ Quin istis etiam diebus Paulus, Catholicus Nicænae fidei assertor, Episcopus Ecclesiæ Constantinopolitanæ in Alexandri denati locum creatus est, rejecto Macedonio, quem Ariani ad istam promovere sedem obnixè contendebant.¹

IX. Hisce præcognitis, vera Canonum Antiochenorum historia facillime eruatur. Cum Episcopi enim in isto Concilio congregati Arianam hæresim intus complexi sint, et tamen Catholicam præ se doctrinam ferre studuerint, necessarium iis visum est decreta quædam ecclesiastica tanto artificio edere, ut Athanasium quidem aliosque Catholicos ferirent, et ipsi nihilominus, eorum fabricatores, Nicænae Synodo adhærere viderentur. Quamobrem Canones suos a Concilii Nicæni decreto de Paschali festivitate auspicantur. Cum idem autem et in septimo Apostolorum Canone de ista celebritate decretum fuisset, ab eo demum Patres Antiocheni incipientes, octo sequentibus a se editis Canonibus totidem circiter ex Apostolicis ordine redintegrarunt, ac si nihil de novo in Ecclesiam introducere, sed veteres tantum et ab Ecclesia receptos Canones renovare et explicare sibi propositum fuisset. Post decimum autem Canonem de Chorepiscopis, quem tanquam appendicem nono de Metropolitanis et Episcopis agenti subjunxerunt, duos protinus contra Athanasium subdole fabricati sunt, eosque antiquis a se renovatis Canonibus ita interseruerunt, ut ipsi etiam inter antiquos haberentur. Hi sunt Canones undecimus et duodecimus: quorum prior Episcopus sine Metropolitanis et comprovincialium Episcoporum literis ad Imperatorem adire vetans, viam posteriori condendo stravit, quo decretum est, ut presbyter vel diaconus a proprio Episcopo, aut Episcopus a Synodo depositus, non ad Imperatorem sed ad majus

⁹ ["Ὅσοι δὲ τὰ Ἀρείου ἰφρόνου, διὸν τοῦτο ἰποιούνητο, καὶ ἡμεῖς οὐκ ἠνείκοντο· ἰπεῦθὲν τε συνεχεῖς ἀνικνούνητο στάσεις· ὃ δὲ πρόφασιν πάλιν κατὰ Ἀθανασίον παρῆσιν ἰτίρων ἰπιβουλῶν· οἱ γὰρ ἄμφι τὸν Εὐσέβιον σπουδῆ πρὸς βασιλία δῖβαλον

αὐτὸν, ὡς στασιῶδη.—Soz. Hist. Eccl. lib. iii. cap. 2, p. 95.]

¹ [Σπουδῆ δὲ ἰγένιστο, τοῖς μὲν τὰ Ἀρείου ζηλοῦσι, Μακεδόνιον χιροτονίσθαι· τοῖς δὲ Ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ τὸν Τῶν δοξάζουσι, Παῦλον ἰπισκοπεῖν· καὶ τοῦτο ἰπράσει.—Ibid. cap. 4, p. 97.]

Episcoporum Concilium se convertat, ejusdemque judicio subjiciatur. Quod si quis ad Imperatorem confugerit, is nulla venia dignus habeatur. Verba Canonis sic habent:

Εἴ τις ὑπὸ τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου καθαιρεθεὶς πρεσβύτερος ἢ διάκονος, ἢ καὶ ἐπίσκοπος ὑπὸ συνόδου, ὀχλήσαι τολμήσῃε τὰς βασιλικὰς ἀκοὰς, δέον ἐπὶ μείζονα ἐπισκόπων σύνοδον τρέπεσθαι, καὶ ἃ νομίζει δίκαια ἔχειν προσαναφέρειν πλείοσιν ἐπισκόποις, καὶ τὴν παρ' αὐτῶν ἐξέτασίν τε καὶ ἐπίκρισιν ἐκδέχεσθαι· εἰ δὲ τούτων ὀλιγωρήσας ἐνοχλήσῃεν τῷ βασιλεῖ, καὶ τοῦτον μὴδὲ μῖαδ' συγγνώμης ἀξιῶσθαι, μὴδὲ χώραν ἀπολογίας ἔχειν, μὴδὲ ἐλπίδα μελλούσης ἀποκαταστάσεως προσδοκᾶν. Nihil dubii esse potest, quin hic Canon contra S. Athanasium, per literas imperatorias sine synodali decreto sedi suæ Alexandrinæ restitutum, conditus fuerit. Eusebiani enim in hac Synodo congregati eum calumniabantur, Ὡς παρὰ κανόνα πράξαντα, ὃν αὐτοὶ ὤρισαν τότε, ὅτι μὴ γνῶμη κοινῷ συνεδρίου τῶν ἐπισκόπων τὴν τάξιν τῆς ἱερωσύνης ἀνέλαβεν, Quod contra Canonem, quem ipsi primum constituerunt, episcopatus sui locum absque decreto communis Episcoporum Concilii recuperasset, ut ait Socrates, consentiente Sozomeno.² Quinetiam ex hoc Canone a se constituto Episcopi Antiocheni, non modo S. Athanasii restitutionem pronunciabant irritam, verum et alium ejus loco Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopum designabant, primo quidem Eusebium Emisennum, qui cum Alexandriam ire detractaret, Gregorium istius Ecclesiæ Episcopum crearent.³ Hinc, cum D. Chrysostomo vitio verteretur, quod post depositionem, absque majoris Synodi auctoritate, suo ipsius arbitrio in episcopalem sedem invasisset, contra ac Antiocheno hoc Canone statutum fuerat, respondit ille, istum non Ecclesiæ Catholicæ sed Arianorum esse Canonem, Οἱ γὰρ, inquit, ἐν τῇ Ἀντιοχείᾳ συνελθόντες ἐπὶ τῇ καθαιρέσει τῆς Ὁμοουσίου πίστεως, ἀπεχθείμ' τῇ πρὸς Ἀθανάσιον τὸν κανόνα ἐξέδωκαν, Episcopi enim Antiochiæ congregati ad evertendam Consubstantialis fidem, præ odio quo adversus Athanasium flagrabant, istum Canonem condiderunt. Nec

Can. Ant. XII. [Pan. Can. tom. 1. p. 441, B, C.]

[Socr. H. E.] lib. II. cap. 8, [p. 85.]

Lib. III. cap. 5, [p. 97.]

Socr. lib. II. cap. 10, [pp. 86, 87.]

Ibid. lib. VI. cap. 18, [p. 336.]

² [Ὡς ἱερατικὸν ὑπεριδόντα θισμὸν, ὃν αὐτοὶ ὄρισαν, καὶ πρὸς ἰσχυροτάτην παρὰ συνόδου, τὴν Ἀλεξανδρινὴν ἐκκλησίαν ἀπολαβόντα.—Soz. Hist. Eccl. lib. III. cap. 5, p. 97.]

³ [Τοῦ δὲ τοῦ Εὐσεβίου ἐν τῇ Ἀντιο-

χείᾳ προβληθέντος, καὶ διδοικότες τὴν εἰς Ἀλεξανδρινὰν ἀφίξιν, προχωρίζονται Γρηγόριον εἰς τὴν Ἀλεξανδρινὰν ἐπισκοπὴν.— Soc. Hist. Eccl. lib. II. cap. 10, pp. 86, 87.]

duodecimus solus cum undecimo, e Canonibus Antiochenis, verumetiam XIV. et XV. contra S. Athanasium constituti sunt. Et hi enim ambo de Episcopis judicandis agunt: et illo quidem sive XIV. cautum est, ut, si Episcopi provinciales de iudicio contra Episcopum quempiam proferendo dissenserint, Metropolitanus Episcopus e vicina provincia iudices alios convocet, qui controversiam tollent.⁴ Quod Episcopi Antiocheni idcirco tunc temporis decernebant, ut sententia a se, vicinæ provinciæ Episcopis, contra Athanasium prolata valida haberetur. Altero autem, nempe XV. Canone statutum est, ut, si Episcopus ab omnibus ejusdem provinciæ Episcopis condemnatus fuerit, is apud alios nullo modo iudicetur, sed firma concordantium provinciæ Episcoporum sententia maneat.⁵ Quod haud dubie idcirco ab iis constitutum est, ut omnis ad aliam Synodum appellatio S. Athanasio adimeretur: et præsertim ut invalida, quantum fieri potuit, censerentur Romanæ aliarumque Synodorum decreta, quibus S. Athanasius a calumniis in eum confictis vindicatus est, et justus innocensque pronunciatus.

Quod denique ad reliquos duos in sylloge Antiochena Canones de novo conditos, et Apostolicis in ea confirmatis superadditis spectat, decimum sextum scilicet atque undevicesimum, isto decernitur Episcopum, qui Ecclesiam vacantem, absque integro, cui Metropolitanus interest, Concilio, invadit, abjiciendum esse, licet cunctus populus eum delegerit: ⁶ hoc autem sive XIX. cautum est, ut Episcopus sine Synodo et præsentia Metropolitanæ non ordinetur: utque

⁴ [Ἐἰ τις ἐπίσκοπος ἐπί τισιν ἐγκλήμασι κρινέται, ἴσχυται συμβαίη παρὰ αὐτοῦ διαφωνῆν τοὺς ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ ἐπισκόπους, τῶν μὲν ἀθῶν τὸν κρινόμενον ἀποραινόντων, τῶν δὲ ἰσχυρῶν ὑπὲρ ἀπαλλαγῆς πάσης ἀμφισβητήσεως, ἰδοὺς τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ, τὸν τῆς μητροπόλεως ἐπίσκοπον ἀπὸ τῆς πλησιοχώρου ἐπαρχίας μετακαλιῦσθαι ἰτίρους τινὰς τοὺς ἐπικρινούντας, καὶ τὴν ἀμφισβήτησιν διαλύσοντας, τοῦ βιβαιῶσαι σὺν τοῖς τῆς ἐπαρχίας τὸ παριστάμενον.— Can. Ant. xiv. Pan. Can. tom. i. p. 444, A, B.]

⁶ [Ἐἰ τις ἐπίσκοπος ἐπί τισιν ἐγκλήμασιν καταγορηθῆναι, κριθεὶς ὑπὸ πάν-

των τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ ἐπισκόπων, πάντες τε σύμφωνοι μίαν κατ' αὐτοῦ ἐξήγουσιν ψῆφον· τοῦτον μηκέτι παρ' ἰτίρους δικάζεσθαι, ἀλλὰ μῆνιν βιβαίαν τὴν σύμφωνον τῶν τῆς ἐπαρχίας ἐπισκόπων ἀπόφασιν.— Can. Ant. xv. Pan. Can. tom. i. p. 444, F.]

⁶ [Ἐἰ τις ἐπίσκοπος σχολάζων, ἐπὶ σχολάζουσαν ἐκκλησίαν ἑαυτὸν ἐπαρτίψας, ὑφαρσάζει τὸν θρόνον δίχα συνόδου τιλίας, τοῦτον ἀπόβλητον εἶναι, καὶ εἰ πᾶς ὁ λαὸς, ὃν ὑφῆρσαν, ἴλωτο αὐτόν. τιλίαν δὲ ἐκλήνην εἶναι σύνοδον, ἧ συμπαύρωσι καὶ ὁ μητροπολίτης.— Can. Ant. xvi. Pan. Can. tom. i. p. 445, B.]

ordinatio aliter celebrata nullas habeat vires.⁷ Palam est, ambos hosce Canones contra Paulum designatos esse, qui ad thronum Constantinopolitanum, refragantibus Arianis, promotus fuerat. Ariani enim et Macedoniani asserebant eam sedem istam sibi comparasse præter sententiam Eusebii Nicomediensis et Theodori Heracleæ, quæ in Thracia est, Episcopi, ad quos, utpote finitimos, ordinatio pertinebat. Sic enim Sozomenus de eodem loquens ait, Ὡς μὲν λέγουσιν Soz. lib. iii. cap. 3, [p. 95.] οἱ τὰ Ἀρείου καὶ Μακεδονίου φρονοῦντες, ἐαυτῷ ταύτην πραγματευσάμενος παρὰ γνώμην Εὐσεβίου τοῦ Νικομηδείας ἐπισκόπου καὶ Θεοδώρου τοῦ ἐν Θράκῃ Ἡρακλείας, οἷς ὡς γείτοσιν ἡ χειροτονία διέφερον. Quæ ratione Eusebius Nicomediensis cum Theodoro Heracleensi hoc in loco jungatur, non video, nisi forsitan quod ille etiam vicinus esset Episcopus. Heracleensi autem Episcopo, ut Metropolitano suo, thronus Constantinopolitanus istis temporibus subjectus erat, et postea etiam usque dum ad patriarchalem dignitatem evecus esset. Cum Paulus igitur ad istam sedem sine Metropolitano Heracleensi et Synodo ab eo convocata promotus fuisset, ut Ariani et Macedoniani asserebant, hinc iidem in Synodo Antiochena congregati, duos istos supradictos Canones edebant, quibus ordinatio ejus irrita judicaretur, ipseque throno C.P. dejiceretur. Et quidem eum isto sæpe throno ab iis expulsum fuisse, historiæ ecclesiasticæ fidem faciunt. Adeo ut istos Canones contra ipsum definitos fuisse, pro certo et explorato habeamus.

[Socr. H. E. lib. ii. cap. 7, p. 84; cap. 13, p. 91. Soz. H. E. lib. iii. cap. 4, p. 97; cap. 7, p. 101.]

X. E præmissis videre est, quid Synodus Antiochena in nonnullis renovandis, aliisque de novo constituendis Canonibus sibi proposuerit. Cum hoc enim ante omnia in animo habuerint Episcopi ibi congregati, ut Athanasium Alexandrinum et Paulum Constantinopolitanum Episcopum, acer-

⁷ [Ἐπίσκοπον μὴ χειροτονῆσθαι διχα συνόδου καὶ παρουσίας τοῦ ἐν τῇ μητροπόλει τῆς ἰσαρχίας, τοῦτου διὰ παρόντος, ἐξάπαντος βίβλιον μὲν συνίναι αὐτῶν πάντας τοὺς ἐν τῇ ἰσαρχίᾳ συλλειτουργοὺς, καὶ προσῆκει δι' ἰσιστολῆς τὸν ἐν τῇ μητροπόλει συγκαλεῖν, καὶ εἰ μὲν ἀπαντοῖν οἱ πάντες, βίβλιον εἰ δὲ δυσχερεῖς τοῦτο εἴη, τοὺς ἐκ πλείους ἐξάπαντος παρῆναι δὲ, ἢ διὰ γραμμάτων ὁμοψήφους γίνεσθαι,

καὶ οὕτως, μετὰ τῆς τῶν πλείονων παρουσίας ἢ ψήφου, γίνεσθαι τὴν κατάστασιν εἰ δὲ ἄλλως παρὰ τὰ ἄριστά γίνοντο, μηδὲν ἰσχύειν τὴν χειροτονίαν εἰ δὲ κατὰ τὸν ἄριστόν κατὰ γίνοντο ἢ κατάστασις, ἀντιλίγοιεν δὲ τινες δι' οἰκίαν φιλονικίαν, κρατεῖν τὴν τῶν πλείονων ψῆφον.—Can. Ant. xix. Pan. Can. tom. i. p. 448, B, C.]

rimos Catholicæ fidei assertores, sedibus suis propulsarent, et propulsatos detinerent, siquidem Canones ante constituti rem haudquaquam effectam darent, novos excogitare coacti sunt, qui Constantii Imperatoris, Synodo præsentis, favore et auctoritate muniti omnia perficerent, quæ ipsi adversus suos, ut visi sunt, adversarios tantopere exoptabant. Verum, ne in novis hujusmodi fingendis Canonibus Arianorum hæresi pariter et factioni patrocinari viderentur, eos non seorsim, sed antiquis Ecclesiæ Canonibus a se explicatis interjectos ediderunt. Quo pacto incautis facillime persuaderent, se nihil novi machinatos esse, sed antiqua tantummodo Patrum decreta explicuisse et confirmasse. Et quidem certe suos Apostolicis Canonibus scite adeo interseruerunt, ut omnes ab ipsis editi Canones in Codicem Canonum Ecclesiæ universæ postea recepti fuerint. Verum, quod ad rem nostram spectat, cum, (exceptis iis qui contra Catholicæ doctrinæ propugnatores fabricati sunt,) reliqui omnes Canones ab hoc Concilio divulgati, e Canonum Apostolicorum sylloge selecti sint, ut ante ostendimus, non est quod suspensi dubiique ulterius pendeamus, quin tota ista Canonum, qui Apostolicorum vulgo appellantur, collectio diu ante Concilium istud Antiochiæ celebratum obtinuerit.

CAPUT V.

Synopsis.

- I. *Synodus Gangrena Ecclesiasticos Canones ab Eustathianis violatos asserit: quos eosdem esse atque Apostolicos probatur.*
- II. *Synodum C.P. An. Dom. CCCLXXXII., habitam Canones Apost. vidisse, et citasse ostenditur.*
- III. *Eosdem a Synodo Carthaginiensi iisdem fere diebus celebrata laudatos esse probatur.*
- IV. *Canones Apostolici præcipiunt Episcopum tertio citandum esse, priusquam a Synodo judicetur. Hinc probatur dictos Canones tertio generali Concilio cognitos fuisse, utpote a quo Nestorius tertio citatus est: et Canones ecclesiastici id præcepisse ab eodem perhibentur.*
- V. *Eodem argumento probatur hosce Canones notos fuisse Synodo C.P. Eutychem, et quartæ generali Dioscorum tertio citanti.*
- VI. *Aliis argumentis hos Canones Synodo Chalcedonensi visos et confirmatos esse demonstratur.*

I. **IISDEM** circiter temporibus, quibus Antiochena, Gangrena etiam Synodus celebrata fuit, et luculentum pariter Apostolicis Canonibus testimonium perhibuit. Patres enim in urbe Gangra, Metropoli in Paphlagonia, congregati, postquam viginti contra Eustathium et gregales ejus Canones edidissent, vicesimo demum primo, quo mentem suam in aliis Canonibus constituendis explicant, hæc habent: Ταῦτα δὲ γράφομεν, οὐκ ἐκκόπτοντες τοὺς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ κατὰ τὰς γραφὰς ἀσκειῖσθαι βουλομένους, ἀλλὰ τοὺς λαμβάνοντας τὴν ὑπόθεσιν τῆς ἀσκήσεως εἰς ὑπερφημίαν, κατὰ τῶν ἀφελίστερον βιούντων ἐπαυρομένους τε, καὶ παρὰ τὰς γραφὰς, καὶ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς κανόνας καινισμοὺς εἰσάγοντας. *Hæc autem scribimus, non eos abscindentes, qui in Dei Ecclesia volunt secundum Scripturas in pietate*

[Can. Gan.
xvi. Pan.
Can. tom. i.
p. 426, C.]

exerceri, sed eos, qui prætextum exercitationis ad arrogantiam assumunt, adversus eos, qui simplicius vivunt, se efferentes, et præter Scripturas et ecclesiasticos Canones novitates inducunt. Hic primo observare licet, ecclesiasticos quosdam a Patribus Gangrenis commemorari Canones ut ab Eustathianis violatos. Quod si Eustathianorum mores et dogmata in Gangrenis Canonibus et in præfatione ad eosdem recensita et condemnata perlustremus, eos Canonibus Apostolicis, iisque, quos scimus, solis ante hanc Synodum divulgatis adversari patebit. Adeo, ut alia quidem ab Eustathianis præter Scripturas, alia autem præter Canones Apostolicos introducta fuisse constet. Ex. gr. Eustathiani a nuptiis et carnibus tanquam illicitis ab omnibus, qui cœlorum regnum ingredi cupiunt, necessario abstinendum esse docuerant,¹ contra ac decretum est Canone Apostolico LI. quo deponitur clericus, et excommunicatur laicus, qui a nuptiis carnibus et vino, non propter exercitationem, sed propter abominationem abstinet.² Eustathiani conciones privatim habere, et separata celebrare conventicula soliti fuerunt, ut e præfatione ad omnes Canones Gangrenses,³ et e Can. VI.⁴ liquet; hoc autem in Canone Apost. XXXI. diserte prohibitum est.⁵ Adhæc Canones Apostolici præcipiunt, ut Episcopus primitias fructuum et omnes oblationes accipiat,

Can. Gang.
I. II.

¹ [Ἐἴ τις τὸν γάμον μίμφοιτο, καὶ τὴν καθιδουσαν μετὰ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς, οὖσαν πιστὴν καὶ ἐπιβῆ, βδιδύσσοιτο ἢ μίμφοιτο, ὡς ἂν μὴ δυναίμην εἰς βασιλίαν εἰσελθεῖν, ἀνάθημα ἴστω.—Can. Gang. i. Pan. Can. tom. i. p. 417, A.]

Ἐἴ τις ἰσθιόντα κρέα, χωρὶς αἵματος καὶ ἰδαλοθύτου καὶ σπικτοῦ, μετὰ ἐνλαβρίας καὶ πίστιως, κατακρίνοι, ὡς ἂν διὰ τὸ μεταλαμβάνειν ἰλπίδα μὴ ἔχοντα, ἀνάθημα ἴστω.—Can. Gang. ii. Pan. Can. tom. i. p. 417, D, E.]

² [Ἐἴ τις ἐπισκόπος ἢ πρεσβύτερος ἢ διάκονος, ἢ ὄλων τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ, γάμου καὶ κρέων καὶ οἴνου, οὐ δι' ἄσκησιν, ἀλλὰ διὰ βδιδυρίαν, ἀπίχεται . . . ἢ διορθούσθω, ἢ καθαιρίσθω, καὶ τῆς ἐκκλησίας ἀποβαλλίσθω, ὡσαύτως καὶ ὁ λαϊκός.—Can. Ap. li. Pan. Can. tom. i. p. 34, A.]

³ [Εὐρίσκοντο δὲ καὶ ἀναχωρήσεις ἐκ

τῶν οἴκων τοῦ Θεοῦ καὶ τῆς ἐκκλησίας ποιούμενοι, καταφρονητικῶς διακείμενοι κατὰ τῆς ἐκκλησίας, καὶ τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, καὶ ἰδίᾳ συναΐεις ποιούμενοι.—Præf. Conc. Gang. Pan. Can. tom. i. p. 416, B.]

⁴ [Ἐἴ τις παρὰ τὴν ἐκκλησίαν κατ' ἰδίαν ἐκκλησιάζει, καὶ, καταφρονῶν τῆς ἐκκλησίας, τὰ τῆς ἐκκλησίας ἰδίᾳ πράττειν, μὴ συνόντος τοῦ πρεσβυτέρου, κατὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου, ἀνάθημα ἴστω.—Can. Gang. vi. Pan. Can. tom. i. p. 419, E.]

⁵ [Ἐἴ τις πρεσβύτερος, καταφρονησας τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου, χωρὶς συναγάγῃ . . . καθαιρίσθω ὡς φίλαρχος . . . ὡσαύτως δὲ καὶ οἱ λοιποὶ κληρικοὶ, καὶ ἔθω ἂν αὐτῷ προσθῶνται· οἱ δὲ λαϊκοὶ ἀφοριζίσθωσαν.—Can. Ap. xxxi. Pan. Can. tom. i. p. 19, E.]

et per presbyteros et diaconos indigentibus dispenset.⁶ At Eustathiani omnes fructuum primitias ac oblationes sibimet et suis præter Episcopi sententiam dispensandas esse vindicarunt.⁷ Eustathiani jejunia die Dominico peragere consueti sunt,⁸ contra Canonem Apost. LXVI.⁹ Sed jejunia Ecclesiæ antiquitus tradita, Quadragesimam nimirum, feriam quartam et parasceuen, contemptui neglectique habuerunt;¹ ac propterea Canonem Apost. LXIX.² apertissime violarunt. Cum constet itaque Eustathianos contra Apostolicos docuisse pariter atque egisse Canones, et Patres Gangreni asserant novitates quasdam præter ecclesiasticos Canones ab iis inductas esse, reliquum est, ut ecclesiastici ab illis memorati Canones iidem fuerint, quos hodie S. Apostolorum nomine indigitamus. Neque enim aliam quamlibet habemus collectionem Canonum, ad quam referantur ista Synodi Gangrenæ verba, vel etiam hæc Sozomeni, qui de eodem Eustathio loquens ait, λέγεται δὲ ὑπὸ πολλῆς ἀκριβείας εἰς παρα-

Can. Apost.
IV. XLI.

Præf. ad Syn.
Gangr. et
Can. VII.
VIII.
Præf. et Can.
XVIII.
Syn. Gang.
Præf. et Can.
XIX.

Soz. Hist.
Ecccl. lib. III.
cap. 14, [p.
115.]

⁶ [Ἡ ἄλλη πᾶσα ὑπόρα εἰς οἶκον ἀποσπείλλεσθαι, ἀπαρχὴ τῆ ἰπισκόπου, καὶ τοῖς πρεσβυτέροις.—Can. Ap. iv. Pan. Can. tom. i. p. 3, A.

Can. Ap. xli. Vide supra, cap. iv. sect. vi. p. 43.]

⁷ [Καρποφορίας τὰς ἐκκλησιαστικὰς, τὰς ἀνικατὸν διδομένας τῇ ἐκκλησίᾳ, ἰαυτοῖς καὶ τοῖς σὺν αὐτοῖς, ὡς ἁγίοις, τὰς διαδόσις ποιούμενοι.—Præf. Conc. Gang. Pan. Can. tom. i. p. 416, D.

Εἰ τις καρποφορίας ἐκκλησιαστικὰς ἰδίῳ λαμβάνει, ἢ δίδουσι ἔξω τῆς ἐκκλησίας, παρὰ γνώμην τοῦ ἰπισκόπου, ἢ τοῦ ἰγκλησιάρχου τὰ τοιαῦτα, καὶ μὴ μετὰ γνώμης αὐτοῦ ἰδίῳ πρέττειν, ἀνάθεμα ἔστω.—Can. Gang. vii. Pan. Can. tom. i. p. 420, A, B.

Εἰ τις δίδου ἢ λαμβάνου καρποφορίαν παρικτὸς τοῦ ἰπισκόπου, ἢ τοῦ ἰπιστευομένου εἰς οἰκονομίαν ὑποπίτας· καὶ ὁ δίδου, καὶ ὁ λαμβάνου, ἀνάθεμα ἔστω.—Can. Gang. viii. Pan. Can. tom. i. p. 420, C.]

⁸ [Νηστίας τι ἐν κυριακῇ ποιούμενοι, καὶ τῆς ἁγιότητος τῆς ἑλευθέρας ἡμέρας καταφρονούντες.—Præf. Conc. Gang. Pan. Can. tom. i. p. 416, D.

Εἰ τις διὰ νομιζομένην ἄσκειν ἐν τῇ κυριακῇ νηστεύσῃ, ἀνάθεμα ἔστω.—Can. Gang. xviii. Pan. Can. tom. i. p. 425, A.]

⁹ [Εἰ τις κληρικὸς εὐρεθῇ τὴν κυριακὴν ἡμέραν νηστεύων . . . καθαιρίσθω, εἰ δὲ λαϊκὸς, ἀφορίζεσθω.—Can. Ap. lxvi. Pan. Can. tom. i. p. 43, A.]

¹ [Καὶ τῶν νηστειῶν τῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τιταγμένων ὑπερφρονούντες, καὶ ἰσθόντες.—Præf. Conc. Gang. Pan. Can. tom. i. p. 416, D.

Εἰ τις τῶν ἀσκειμένων χωρὶς σωματικῆς ἀνάγκης ὑπερφανείσῃ, καὶ τὰς παραδιδόμενας νηστίας εἰς τὸ κοινὸν, καὶ φυλασσομένας ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας, παραλίω, ἀποκουρύντος ἐν αὐτῇ τιλείου λογισμοῦ, ἀνάθεμα ἔστω.—Can. Gang. xix. Pan. Can. tom. i. p. 425, C.]

² [Εἰ τις ἰπισκόπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ἀναγνώστης. ἢ ψάλτης, τὴν ἁγίαν τισσαρακοστὴν τοῦ Πάσχα οὐ νηστεύει, ἢ τισράδα, ἢ παρασκευὴν, καθαιρίσθω· ἰκτὸς, εἰ μὴ δι' ἀσθινίαν σωματικὴν ἰμπιδίζοιτο· εἰ δὲ λαϊκὸς εἴη, ἀφορίζεσθω.—Can. Ap. Ixix. Pan. Can. tom. i. p. 45, A, B.]

λόγους ἐπιτηρήσειν ἐκπεσεῖν, παντελῶς ἀπαρδούσας τῶν ἐκκλησιαστικῶν νόμων, *Præ nimia autem severitate ad absurdas quasdam observationes prolapsus esse dicitur, ab ecclesiasticis legibus plurimum discrepantes.*

II. Porro An. Dom. CCCLXXXI. secunda generalis Synodus Constantinopoli celebrata fuit, quæ, inter alia, Nectarium in Constantinopolitanum, et Flavianum in Antiochenum episcopatum ordinavit. Quas ordinationes cum Occidentales Episcopi improbarint, plerique Episcoporum, qui secundam istam universalem Synodum celebraverant, æstate sequenti Constantinopolim iterum convenientes, synodicam Epistolam ad Damasum, Ambrosium, aliosque in Synodo Romana tunc congregatos, miserunt: quæ etiamnum exstat, in Theodoro. In hac Epistola Patres C.P., postquam orthodoxam suam fidem a Concilio Nicæno stabilitam professi sunt, ad supradictas tandem ordinationes orationem suam convertunt, eamque his verbis ingrediuntur :

Hist. Eccles. lib. v. cap. 9, [pp. 203-207, et Con. tom. II. coll. 959-966.]

[Theod. p. 206, Conc. col. 963.]

Περὶ δὲ τῶν οἰκονομιῶν τῶν κατὰ μέρος ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, παλαιὸς τε, ὡς ἴστε, θεσμὸς κεκράτηκε, καὶ τῶν ἁγίων ἐν Νικαίᾳ πατέρων ὄρος, καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τοὺς τῆς ἐπαρχίας, καὶ εἴπερ ἐκεῖνοι βούλοιντο, σὺν αὐτοῖς τοὺς ὁμίλους, πρὸς τὸ συμφέρον ποιῆσθαι τὰς χειροτονίας. *De particulari autem administratione singularium Ecclesiarum, antiqua, ut probe nostis, obtinuit sanctio, et sanctorum in Nicæa Patrum regula, ut in singulis provinciis Episcopi istius provinciæ, et si illis placuerit, una cum ipsis finitimi, prout utile judicaverint, ordinationes faciant.* Hic duo aperte indignantur Canones quibus hæc decreta fuerant: unus quidem Nicænus, alter longe antiquior, quem diu antea obtinuisse Occidentales æque ac Orientales Episcopi probe norunt. Nicænus hic indicatus, alius esse nequit quam quartus istius Concilii Canon, quo statutum est, ut Episcopus ab omnibus, si fieri potest, qui sunt in provincia ejus Episcopis ordinetur; ita tamen ut confirmatio cujusque ordinationis per singulas provincias ad Metropolitanum pertineat.³ De finitimis autem Episcopis ad ordinationes episcopales ulla ratione ab alia

³ [Ἐπίσκοπον προσηύκει μάλιστα μὲν ὑπὸ πάντων τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ καθίστασθαι. εἰ δὲ δυσχερὲς εἴη τὸ ταῦτα, ἢ διὰ κατεπίγουσαν ἀνάγκην, ἢ διὰ μῆκος ὁδοῦ, ἐξ ἄπαντος τρεῖς ἰσὶ τὸ αὐτὸ συναγομένους, συμπλήρων γνησίμων καὶ τῶν ἀπόντων, καὶ

συντιθέμενον διὰ γραμμάτων, τότε τὴν χειροτονίαν ποιῆσαι: τὸ δὲ κύριον τῶν γνησίμων δίδοσθαι καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ.—Can. Nic. iv. Pan. Can. tom. i. p. 63, A.]

provincia convocandis aut admittendis hic nulla habetur mentio. Atque ideo hic Nicænus Canon eo tantum nomine laudari potuit, quod eo cautum sit, ut in singulis provinciis Episcopi illius provinciæ ordinationes faciant. Verum Patres C.P. demonstrare imprimis voluerunt, licitum sibi fuisse ex Canonibus ecclesiasticis Episcopum C.P. et Antiochenum ordinare, etiamsi nonnulli ex ipsis non istarum sed aliarum provinciarum essent. Hoc ex iis patet, quæ ipsi proxime post verba superius laudata asserunt. Asserunt enim ex legum istarum, quas citant, præscripto, tum reliquas in Oriente Ecclesias administratas fuisse, tum nobilissimarum etiam Ecclesiarum Episcopos renunciatos, ac propterea se Nectarium C.P. Episcopum in universali Concilio communi omnium consensu ordinasse: Flavianum autem Antiochensium Episcopum, tum ab illius provinciæ tum ab Orientalis diceceseos Episcopis in unum congregatis, ordinatum fuisse, ac proinde ipsum universale Concilium ordinationem istam tanquam legitimam suscepisse. Et deinde indicant Cyrillum, de cujus etiam ordinatione, ut videtur, quæstio mota erat, Hierosolymorum Episcopum ab istius provinciæ Episcopis canonicè olim constitutum fuisse.⁴ Hujus etiam ordinationem legitimam fuisse ex eo probant Patres C.P., quod a provinciæ istius Episcopis celebrata fuerat. Ut vero comprobent Nectarium et Flaviani ordinationes canonicè factas fuisse, licet a finitimis simul ac a suæ provinciæ Epi-

⁴ [Οἱ ἀκολούθως τὰς τε λοιπὰς ἐκκλησίας παρ' ἡμῖν οἰκονομεῖσθαι γινώσκουσι, καὶ τῶν πιστοποιημένων ἐκκλησιῶν ἀναδειχθαι [ἀναδειχθαι] τοὺς ἱερεῖς ὅθεν τῆς μὲν ἐν Κωνσταντινουπόλει νοσηγαυῶς, ὡς ἂν εἴπωσι, ἐκκλησίας, ἦν, ὥσπερ ἐκ στόματος λίοντος, τῆς τῶν αἰρητικῶν βλασφημίας ὑπόγυιον ἐξηπάσαμεν διὰ τῶν οἰκτιρῶν τοῦ Θεοῦ, τὸν αἰδισιμώτατον καὶ θεοφιλέτατον Νικηταρίου ἐπίσκοπον χειροτονήκαμεν ἐπὶ τῆς οἰκουμένης συνόδου, μετὰ κοινῆς ὁμοθυμίας, ὅπ' ἔψασι καὶ τοῦ θεοφιλεστάτου βασιλέως Θεοδοσίου, παντός τε τοῦ κλήρου, καὶ πάσης ἐπιψηφίζομένης τῆς πόλιος· τῆς δὲ πρεσβυτάτης καὶ ὄντως ἀποστολικῆς ἐκκλησίας τῆς ἐν Ἀντιοχείᾳ τῆς Συρίας, ἐν ἣ πρώτῃ τὸ τίμιον τῶν Χριστιανῶν ἔχρημάτισεν ὄνομα, τὸν αἰδισιμώτατον καὶ

θεοφιλέτατον ἐπίσκοπον Φλαβιανόν, οἱ τε τῆς ἰσαρχίας καὶ τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως συνδραμόντες, κανονικῶς ἔχειροτόνησαν, πάσης συμφύθου τῆς ἐκκλησίας ὥσπερ διὰ μιᾶς φωνῆς τὸν ἄνδρα τιμησάσης· ἦνπερ ἔθισμον χειροτονίαν ἰδέξατο καὶ τὸ τῆς συνόδου κοινόν· τῆς δὲ γε μητρὸς ἀπασῶν τῶν ἐκκλησιῶν τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις, τὸν αἰδισιμώτατον καὶ θεοφιλέτατον Κύριλλον ἐπίσκοπον εἶναι γνωρίζομεν, κανονικῶς τε παρὰ τῶν τῆς ἰσαρχίας χειροτονηθέντα πάλαι, καὶ σπείοντα πρὸς τοὺς Ἀρειανούς ἐν διαφόροις τόποις ἀθλήσαντα.— Epist. Patrum Constant. ad Damasum, Ambrosium aliosque; apud Theod. Hist. Eccl. lib. v. cap. 9, pp. 206, 207; et Conc. tom. ii. col. 963, E, 966, A, B.]

scopis ordinati fuissent, non modo ad Nicænum, verumetiam ad alium antiquiorem Canonem appellant, propterea scilicet quod Nicænus Canon omnes Episcoporum ordinationes a solis comprovincialibus celebrandas esse decernit, nulla finitimum vel aliorum quorumcunque mentione facta. Adeo ut ex Nicæni hujus Canonis præscripto Episcopus C.P. non ab omnibus, qui tunc temporis congregati erant, quippe qui plerique aliarum provinciarum essent, sed a solis istius provinciæ Episcopis ordinandus esset: neque Orientalis diœcesis Episcopi, sed ii soli qui Antiochenæ erant provinciæ, Flavianum ad thronum Antiochenum promovere debuerint. Restat itaque, ut antiquum istum, qui diu ante hanc Synodum obtinuerat, Canonem alibi investigemus, quo scilicet finitimis quibuscunque Episcopis in aliena provincia ordinationes facere permissum est, si ab ejusdem provinciæ Episcopis vocati fuerint. Talem autem Canonem frustra inquiremus, præterquam inter Apostolicos. Quorum XXXIV. eadem fere præcipit, quæ Nicænus supradictus, ut primus scilicet in unaquaque gente, et comprovinciales Episcopi omnia quæ magni momenti, inter quæ ordinatio Episcoporum merito recenseatur, inter se peragant. At Canon proximus sive XXXV. sic habet: Ἐπισκοπον μὴ τολμᾶν ἔξω τῶν αὐτοῦ ὄρων χειροτονίαν ποιῆσαι εἰς τὰς μὴ ὑποκειμένας αὐτῷ πόλεις καὶ χώρας· εἰ δὲ ἐλεγχθεῖη τοῦτο πεπονηκῶς παρὰ τῶν κατεχόντων τὰς πόλεις ἐκείνας ἢ τὰς χώρας γνώμην, καθαιρεῖσθω καὶ αὐτὸς, καὶ οὐς ἐχειροτόνησεν. *Episcopus ne audeat extra suos fines ordinationes facere in urbibus et pagis ei non subjectis. Sin autem hoc fecisse convictus fuerit præter eorum sententiam, qui urbes illas aut pagos tenent, deponatur et ipse, et ii, quos ornavit.* Hic, ut videre est, cavetur, ne Episcopi in alienis provinciis ordinationes faciant præter eorum sententiam, qui istas provincias tenent. Si cujusvis itaque provincia Episcopi consenserint, ut finitimi ipsis Episcopi in sua ipsorum provincia ordinationibus assistant, tales ordinationes legitimæ ac canonicæ habentur. Hoc autem idem est quod in synodica Patrum C.P. epistola de antiquo Canone ibi commemorato dicitur, sanciente nimirum, ut in singulis provinciis Episcopi illius provinciæ, καὶ ἔπερ ἐκεῖνοι βούλονται, et si ipsi voluerint, una cum iis finitimi, prout utile judicaverint, ordinationes faciant. Unde conficitur Canonum istum Apo-

[Vide supra, cap. iv. sect. 4, p. 37.]

[Pan. Can. tom. i. p. 24, A.]

stolicum a Patribus C.P. sub antiquæ sanctionis titulo hic indigitari. Cum talis enim antiquus Canon a Patribus C.P. hic citetur, quo finitimi Episcopi in aliena provincia, si Episcopi ejusdem voluerint, ordinationes celebrent, hoc autem inter omnia antiquitatis monumenta ante hanc Synodum solum ab Apostolico isto Canone permissum legatur, satis exinde constat, Patres C.P. ad hunc ipsum Canonem respectum habuisse, ubi *παλαιὸν θεσμὸν* de hac re commemorarunt.

III. Haud multis post secundam universalem Synodum annis, Concilium Carthaginiense nomine quidem tertium, sed ordine temporis inter ea quæ post Nicænum exstant, secundum, celebratum fuit: quo Honoratus et Urbanus con-questi sunt, duos Numidiæ Episcopos præsumpsisse Pontificem sive Episcopum ordinare, atque ideo postularunt, ut decerneretur Episcoporum ordinationes non nisi a duodecim in posterum Episcopis celebrandas esse. Sed Aurelius Episcopus dixit, *Forma antiqua servabitur, ut non minus quam tres sufficiant, qui fuerint destinati ad Episcopum ordinandum.*⁵ Syn. Carth. III. Can. XXXIX., qui in Codice Græco Canonum Ecclesiæ Africanæ est Canon LIII., ubi Græce sic legitur, 'Ὁ ἀρχαῖος τύπος φυλαχθήσεται, ἵνα [Pan. Can. tom. i. p. 576, D.] μὴ ἦττονες τριῶν τῶν ὑρισθέντων εἰς χειροτονίαν ἐπισκόπων ἀρκέσωσιν. Ex his verbis liquet, primum Apostolorum Canonem sub antiqui typi, sive Canonis, ut Balsamon interpretatur, [Ibid. p. 577, A.] nomine indicatum, istis diebus in Carthaginiensi Ecclesia obtinuisse, utpote quo sic statutum est, 'Ἐπίσκοπος χειροτονείσθω [Ibid. p. 1, A.] ὑπὸ ἐπισκόπων δύο ἢ τριῶν. Quod ita intelligendum est, ut Episcopi ordinatio non nisi urgente necessitate a duobus, alias a tribus perpetuo Episcopis peragatur. Unde Alexius Aristenus ad istum Canonem Apost. dicit, *Τρεῖς δὲ ἐξάπαντος* [Ibid. p. 1, E.] *ὀφείλουσι ψηφίζεσθαι ἐπίσκοπον, καὶ μὴ ἦττονες τούτων. Tres omnino debent ordinare Episcopum, et non pauciores illis.* Hinc Patres Carthaginienses, licet ratam habuerint Episcopi ordinationem a duobus Numidiæ Episcopis celebratam,

* ["Honoratus et Urbanus episcopi dixerunt: Et illud nobis mandatum est, ut, quia proxime fratres nostri Numidiæ duo Episcopi ordinare præsumperunt Pontificem, non nisi a duodecim censeatis Episcoporum celebrari

ordinationes. Aurelius Episcopus dixit: Forma antiqua servabitur, ut non minus quam tres sufficiant, qui fuerint destinati ad Episcopum ordinandum." —Conc. Carth. iii. Conc. tom. ii. coll. 1172, 1173.]

statuunt nihilominus, ut antiquus iste Canon accuratius in posterum servetur, ut non minus quam tres Episcopi ad Episcoporum ordinationem conveniant. Cum hanc autem ordinandi formam antiquam vocent, et nullum alium, hujus Concilii respectu, antiquum habeamus Canonem istud statuentem, dempto unico isto Apostolico ante citato, nihil obstat, quo minus dicta Aurelii verba a toto Concilio approbata de isto imprimis Canone intelligamus.

IV. Aliud præterea, illudque nobilissimum adstruendæ Canonum Apostolicorum antiquitati argumentum petatur e LXXIV. istius sylloges Canone sic habente: 'Επίσκοπον κατηγορηθέντα ἐπὶ τινι παρὰ ἀξιόπιστων ἀνθρώπων, καλεῖσθαι αὐτὸν ἀναγκαῖον ὑπὸ τῶν ἐπισκόπων· κἄν μὲν ἀπαντήσῃ καὶ ὁμολογήσῃ ἢ ἐλεγχθῆι, ὀρίξεσθαι τὸ ἐπιτίμιον· ἐὰν δὲ καλούμενος μὴ ὑπακούσῃ, καλεῖσθω καὶ δεύτερον, ἀποστελλομένων ἐπ' αὐτὸν δύο ἐπισκόπων· ἐὰν δὲ καὶ οὕτω μὴ ὑπακούσῃ, καλεῖσθω καὶ τρίτον, δύο ἄλλιν ἐπισκόπων ἀποστελλομένων πρὸς αὐτὸν· ἐὰν δὲ καὶ οὕτως καταφρονήσας μὴ ἀπαντήσῃ, ἢ σύνοδος ἀποφαινέσθω κατ' αὐτοῦ τὰ δοκοῦντα, ὅπως μὴ δόξῃ κερδαίνειν φυγοδικῶν. *Episcopum a viris fide dignis ob aliquod accusatum, ab Episcopis vocari necesse est: et si se quidem stiterit, et confessus vel convictus fuerit, statuatur pœna: si autem vocatus non paruerit, secundo etiam vocetur, missis ad eum Episcopis duobus: si autem etiam sic non obedierit, vocetur et tertio, missis ad eum rursus duobus Episcopis: si autem et sic aspernans contumaxque se non stiterit, Synodus ea, quæ videntur, adversus eum pronunciet, ne lucrifacere videatur, dum iudicium subterfugit.* In omnibus antiquis Ecclesiæ Primitivæ monumentis, alius, excepto hoc unico Apostolico, nusquam invenitur Canon ecclesiasticus, quo statutum est, ut Episcopus de crimine quovis accusatus non prius ab Episcoporum Synodo iudicetur, quam per Episcopos ab eadem missos, tertio vocatus aut citatus fuerit, ut se Synodo sistat, et de crimine ipsi illato purget. Verum-enimvero Acta tertii universalis Concilii sive Ephesini, Anno Dom. CCCXXXI. habiti, fidem plenissimam faciunt ecclesiasticos istos Canones, quibus hoc decretum est, istis diebus non modo cognitos fuisse, verumetiam religiosissime observatos. Ubi enim Nestorius læsæ orthodoxæ fidei coram Synodo teneretur, Synodus, juxta quod in dicto Canone Apostolico præscriptum est, eum per Episcopos ad

[Pan. Can.
tom. i. p. 48,
A.]

ipsum missos, primo, secundo, et demum tertio citabat, seque Synodo sistere admonebat, hac adhibita ratione, quod Canones ecclesiastici id imperarent. Cum enim bis eum ante citavisset, tertio eum citabat, missis iterum Episcopis qui has secum literas citatorias ferebant, Τρίτη ταύτη κλήσει τὴν εὐλαβειάν σου συγκαλεῖ ἡ ἀγιοτάτη σύνοδος, τῷ κανόνι ὑποταττομένη, καὶ νέμουσά σοι τὴν ἀνοχήν καὶ μακροθυμίαν καταξίωσον καὶ νῦν γοῦν ἀπαντήσας ἀπολογήσασθαι περὶ ὧν φασὶ σε εἰρηκέναι ἐπ' ἐκκλησίας αἰρετικῶν δογμάτων ἐπὶ τοῦ κοινοῦ τῆς ἐκκλησίας· εἰδὼς ὅτι εἰ μὴ ἀπαντήσας σὺ στῆς πρὸς τὰ ἀγρόφως, καὶ ἐγγρόφως κατὰ σου λεγόμενα, ἀνάγκην ἔξει ἡ ἀγιοτάτη σύνοδος τὰ δοκοῦντα τοῖς τῶν ἁγίων πατέρων κανόσιν ἐπὶ σοὶ ὀρίσαι. Quæ verba in veteri Actorum hujus Concilii translatione Latine sic redduntur: *Sancta Synodus Canonibus obtemperans, teque leni patientique animo hactenus ferens, en tertio ad suum consessum te invitat. Digneris itaque vel nunc tandem huic te adjungere, eorumque dogmatum, quæ hæretice pro concione disseminasse diceris, in communi Ecclesiæ conventu rationem reddere. Quod nisi coram de omnibus, sive ea scripto contra te allata fuerint, sive citra scriptum, te expurgaveris, sanctissimam Synodum necessitate compulsam juxta sanctorum Patrum sanctiones sententiam adversus te pronunciaturam esse, nihil quicquam dubites.* Cum legati autem, quos Synodus ad Nestorium cum tertia hac citatione miserat, reversi Synodum certiozem fecissent, Nestorium nec tertiæ huic citationi obtemperaturum esse, nec Synodo adfuturum, Juvenalis Episcopus Hierosolymitanus dixit, quod ecclesiasticæ sanctiones sat esse statuunt, si rei ad diluenda objecta crimina tertio citentur. Τῶν ἐκκλησιαστικῶν, inquit, θεσμῶν ἀρκεῖσθαι κελυόντων τῇ τρίτῃ κλήσει εἰς ἀπολογίαὶν τοὺς καλουμένους περὶ ὧν ἂν ἐγκαλοῦντο. Quinetiam in epistola sive relatione, quam Synodus ad Imperatores Theodosium et Valentinianum de Nestorii depositione miserunt, hæc habemus, Τῶν δὲ κανόνων παρακελευομένων τῇ τρίτῃ κλήσει παρακαλεῖσθαι τὸν ἀπειθοῦντα, ἀποστείλαντες πρὸς αὐτὸν αὐθις ἐτέρους ἐπισκόπους ἀπειθοῦντα εὖρομεν. E quibus omnibus manifestum efficitur nonnullos ecclesiasticos Canones, sive quandam Canonum collectionem, istis temporibus obtinuisse, quibus præscriptum erat, ut Episcopus de hæresi vel alio quovis crimine accusatus, ad Episcoporum Synodum, per Episcopos ad ipsum missos, ter vocetur, priusquam sententia contra

[Conc. Eph. Act. i. Conc. tom. iii. col. 458, C, D.]

Acta Conc. Ephes. par. ii. act. i.

Ibid. [Conc. tom. iii. col. 459, C.]

Ibid. [col. 569, C.]

eum canonice ferri potuit. Cum nulla autem alia detur Canonum ecclesiasticorum, quibus hoc decretum erat, collectio, præter eam cui SS. Apostolorum nomen vulgo inscribitur, summo contra eam præiudicio laboret necesse est, quicunque hanc Canonum ecclesiasticorum syllogem Patribus Ephesinis incognitam esse suspicetur.

V. Hoc argumentum fortius adhuc ac dilucidius evadet, si observemus insuper, alia, præter Ephesinum, Concilia isthoc seculo celebrata, Episcopos accusatos tertio ad se vocare solita fuisse, idque propterea quod in sacris Canonibus ubique tunc temporis receptis, hoc iis præceptum erat. Ut omittam enim Eutychem a Concilio provinciali C.P. ter citatum ut Synodo occurreret:⁶ quartum Œcumenicum Concilium Chalcedone celebratum, Dioscorum Episcopum Alexandrinum multis obnoxium criminibus, tertio ad se vocavit, missis ad eum Francione, Luciano, et Joanne, Episcopis, cum literis itidem ad ipsum directis, quibus Patres in Synodo congregati eum certiozem faciunt, quod si post tertiam hanc canonicam citationem ad veniendum distulerit, Synodus poenam a Canonibus contra contumaces præstitutam ab ipso petet.⁷ Cum Dioscorus autem tertio vocatus se sistere recusarit, Synodus protinus depositionis sententiam contra eum pronuntiabat,⁸ cui omnes Episcopi præsentés subscripserunt, et plerique eorum in subscriptionibus suis hoc inter alia ei

⁶ [Οὐκ ἀγνοεῖς τὰ τοῖς θείοις κανόσι διηγορούμενα κατὰ τῶν ἀπειθούντων, καὶ μὴ ἀνιχωμένων ἀπαντῆσαι εἰς ἀπολογία, ὅταν καὶ τρίτη κλήσις πρὸς αὐτοὺς γίνηται.—Epist. Syn. C.P. ad Eutychem Presbyter. Conc. tom. iv. col. 204, A.]

⁷ [Εἰδὼς ὡς εἰ κατὰ τὴν τρίτην ταύτην κανονικὴν κλήσιν, πανταχοῦ τὸ ἀνύσπαστον ἔχουσαν, ὑπέθετο πρὸς τὴν ἄφιξιν. ἡ παροῦσα ἀγία καὶ μεγάλη οἰκουμένη: κὴ συνέδος ἐπ' ἐκείνῳ ἐλύσει τὸν τρόπον, ὅς τις κατὰ τῶν ἀπειθούντων καὶ καταφρονούντων τῆς συνοδικῆς κλήσεως οἶδε κινεῖν τὴν ἐκ τῶν κανόνων ἐπιβίωσιν ἐπιτίμησιν' ἀπιστίλαμιν δὲ καὶ νῦν τῆς τρίτης κλήσεως πρὸς σὲ χάριν τοὺς θεοφιλιστάτους συνεισπρόκοπους ἡμῶν, Φραγκίωνα Φιλιππουπόλεως, καὶ Λουκιανὸν Βύζης, καὶ Ἰωάννην

Γερμανικίαν τῆς Ἀνατολῆς.—E Litt. a Conc. Chal. ad Diosc. Conc. Chal. Act. iii. Conc. tom. iv. col. 418, C, D.]

⁸ [Πρὸς δὲ τούτοις καὶ λιβέλλων πολλῶν παρανομῶν μιστῶν κατ' αὐτοῦ προσειχθέντων τῇ ἀγίᾳ καὶ μεγάλῃ συνόδῳ, καὶ ἄπαξ καὶ δις, καὶ τρεῖς διὰ θεοφιλιστάτων ἐπισκόπων κανονικῶς κληθεὶς οὐχ ὑπήκουσεν . . . αὐτὸς καθ' ἑαυτοῦ τὴν ψῆφον ἐξήνεγκε, διαφόρως τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ πατήσας θεσμοῦ: ὅθεν ὁ ἀγιάτατος καὶ μακαριώτατος ἀρχιεπίσκοπος τῆς μεγάλης καὶ πρὸςβυτίρας Ῥώμης Λίον, δι' ἡμῶν καὶ τῆς παρούσης ἀγιοτάτης συνόδου, μετὰ τοῦ τρισμακαριώτατου καὶ πανευφῆμου Πίστρου τοῦ ἀποστόλου, ὅς ἐστι πῖτρα καὶ κρηπίς τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, καὶ τῆς ἁρθοδόξου πίστεως ὁ θεμίλιος, ἐγγύμωνσιν αὐτὸν τῆς τοῦ ἐπισκόπου,

objecta crimina recensuerunt, quod contemptis ecclesiasticis Canonibus etiam tertio vocatus se coram Synodo exhibere noluit;⁹ ut videre est in Concilii istius actione tertia. Et in ipsa damnatione, quam Synodus Dioscoro misit, hoc imprimis ei objicitur, quod cum Synodus κατὰ τοὺς θείους, ut ait, κανόνας tertio eum vocasset, se sistere noluit.¹ Adhæc in epistolis synodicis ad Imperatores² et ad Clerum Alexandrinum,³ Dioscorum etiam post tertiam vocationem juxta divinos Canones ei concessam, non occurrisset, ac propterea eum canonicè depositum esse affirmant. Quid autem in causa fuit, quod tertiæ vocationis in sacris Canonibus constitutæ et a Dioscoro contemptæ toties mentionem fecerint, nisi ut se juxta Canones, qui tunc dierum in Ecclesia obtinebant, egisse ostenderent? Quinam autem erant hi sacri, ecclesiastici, et divini Canones, hac in re ab universali Concilio toties commemorati? Sane in Codice Canonum Ecclesiæ universæ, quem, uti mox videbimus, hæc Synodus confirmavit, nec volam nec vestigium hujusmodi Canonis sive decreti invenire est, nec ullibi occurrit talis Canon præterquam inter Apostolicos, quos proinde Synodo Chalcedonensi et cognitos fuisse et laudatos extra dubium est: præsertim cum ista universalis Synodus non solum ipsum Canonem, quo hoc constituitur, verum et totam illam Canonum seriem sive consequentiam, qua dictus Canon invenitur, memorarit.

καὶ πάσης ἱερατικῆς ἡλλοτριώσιν ἀξίας τοιγαροῦν ἢ ἀγιοπάτη αὐτῆ καὶ μεγάλη σύνοδος τὰ δόξαντα τοῖς κανόσιν ἐπὶ τῷ μνημονοῦνθέντι Διοσκόρῳ ψηφίσεται.—Conc. Chalc. Act. iii. Conc. tom. iv. col. 425, C, D.]

⁹ [Ἐπιτόμιος . . . ἴσκι . . . σύμφητος κῆρῳ γίνονται ἐπὶ τῇ καθαιρίσει Διοσκόρου . . . διὰ τὸ ἐν ἅπασιν ἀπειθήσαι τοῖς τῶν ἁγίων πατέρων κανόσιν, καὶ τρίτον κανονικῶς κληθέντα, καὶ μὴ ὑπακούσαι θελήσαντα.—Conc. Chalc. Act. iii. Conc. tom. iv. col. 425, D.]

¹ [Καὶ τρίτον κληθεὶς παρὰ τῆς ἁγίας παύτης, καὶ μεγάλης συνόδου κατὰ τοὺς θείους κανόνας, ἐπὶ τῷ ἀποκρίνεσθαι τοῖς ἐπαγομένοις σοι, οὐκ ἀπάντησας.—Damnatio missa Dioscoro a Conc. Chalc.

Conc. Chalc. Act. iii. Conc. tom. iv. col. 459, E.]

² ["Sed quoniam . . . secundo et tertio secundum sanctas regulas vocatus, despexit occurrere; decenter ab universali concilio sacerdotio est nudatus, et ab episcopali dignitate pronunciatu est alienus."—Epist. Conc. Chalc. ad Imperatores. Conc. Chalc. Act. iii. Conc. tom. iv. col. 463, E.]

³ [Ἀπὸ τοῦ κληθεῖσθαι τρίτον κατὰ τοὺς θείους κανόνας, καὶ καταφρονήσαντα μὴ ἀπαντῆσαι . . . καθαιριεῖσθαι τῆς ἐπισκοπῆς καὶ παντὸς ἐκκλησιαστικοῦ βαθμοῦ γινέσθαι ἄλλοτριον.—Ep. Conc. Chal. Clericis Alex. de Damnat. Dioscori. Conc. Chalc. Act. iii. Conc. tom. iv. col. 461, B.]

Conc. Chalcedonensis.
Act. iii.
[Conc. tom. iv. col. 419, C.]

Nam Francion, Episcopus Philippopolitanus, cum aliis Episcopis ad Dioscorum ultimo missis, eum sic alloquitur, Ἡ ἀγιωτάτη καὶ οἰκουμένη (σύνδος, ἡ) συνεδρεύουσα ἐν τῷ ἁγίῳ μαρτυρίῳ τῆς ἁγίας Εὐφημίας, ἀπέστειλε πρὸς τὴν σὴν θεοσέβειαν τὴν ἡμετέραν εὐτέλειαν, τρίτην ἤδη κλήσιν ταύτην ποιουμένη κατὰ τὴν ἀκολουθίαν τῶν ἁγίων κανόνων. *Sancta et universalis Synodus congregata in basilica S. Martyris Euphemiae nostram humilitatem ad tuam religiositatem destinavit, tertiam jam hanc citationem faciens, secundum consequentiam sanctorum Canonum.* Ubi et paulo post Dioscorus egisse dicitur κατὰ τῆς τῶν κανόνων τάξεως, καὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς καταστάσεως, *Contra Canonum ordinem et ecclesiasticam disciplinam.*⁴ Hæc autem consequentia sive ordo Canonum (quo etiam nomine Codex Canonum Ecclesiæ universæ sæpe appellatus est) alium præter Canonum Apostolicorum Codicem hic significare nequit, quippe quo solo laudatus iste de trina citatione Canon habetur.

[Pan. Can. tom. i. p. 111, D.]

VI. Cum Chalcedonensem vero Synodum præ oculis modo habeamus, de ea præterea observare licet, quod in primo hujus Synodi Canone, Canones quidam ecclesiastici, quos antegressæ ediderant Synodi, confirmati sunt his verbis, Τοὺς παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων καθ' ἐκάστην σύνοδον ἄχρι τοῦ νῦν ἐκπεθέντας κανόνας, κρατεῖν ἐδικαιώσαμεν, *Qui a sanctis Patribus in unaquaque Synodo hucusque expositi fuerunt Canones, observari æquum censuimus.* Quin inter omnes etiam constat Canones hic confirmatos esse Nicænos, Ancyranos, Neocæsarienses, Gangrenses, Antiochenos, et Laodiceos, in unum istis etiam diebus Codicem collectos, ex quo nonnulli eorum in actionibus Chalcedonensibus relecti et laudati sunt.⁵

⁴ [In sententia a Paschasino, aliisque Romanæ sedis legatis, pronunciata.— Conc. Chalcedonensis. Act. iii. Conc. tom. iv. col. 423, D.]

⁵ [“ Priusquam quarta hæc generalis Synodus Chalcedone celebrata fuerit, omnes Canones a primo generali, et a quinque localibus Conciliis, Ancyrano, Neocæsariensi, Gangrensi, Antiocheno, et Laodiceo, constituti, in unum Codicem collecti sunt, juxta seriem et consequentiam cujusque Canonis, eodem etiam Synodorum ordine observato,

quo a nobis recitantur. Hic Codex a Patribus in præsentī Synodo congregatis sæpe laudatur. Namque in quarta Actione hujus Concilii [Conc. tom. iv. col. 537, C, D], Aëtius Archidiaconus verbatim citavit relegitque ex eodem Codice Canonem octogesimum tertium et octogesimum quartum, qui quidem sunt quartus et quintus Concilii Antiocheni; et in undecima actione [Conc. tom. iv. col. 691, C, D], Leontius Episcopus Magnesiacus Canones ejusdem Codicis nonagesimum quintum et nona-

Cæterum præter synodicos hosce Canones ab ipsis confirmatos, Patres Chalcedonenses aliorum subinde Canonum mentionem faciunt, eosque firmitatem suam adhuc retinere statuunt. Quinto enim ipsorum Canone sic aiunt, *Περὶ τῶν μεταβαίνοντων ἀπὸ πόλεως εἰς πόλιν ἐπισκόπων ἢ κληρικῶν, ἔδοξε τοὺς περὶ τούτων θεθέντας κανόνας παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων ἔχειν τὴν ἰσχύν. De Episcopis vel clericis qui a civitate ad civitatem transeunt, placuit eos qui editi sunt a sanctis Patribus Canones vires obtinere.* Non quidem diffiteor quin Concilia Nicænum et Antiochenum Canones de hac re ediderint; verum, si ii soli ab istis Synodis conditi hic intelligerentur Canones, Patres hoc in loco actum agerent, eosdem Canones et in primo et in quinto ipsorum Canone confirmantes. Quod cum nefas sit de tot tantisque Patribus affirmare, Canones potius Apostolici XIV. et XV. hic intelligendi sunt, quos, æque ac synodicos de hac re editos, Synodus Œcumenica propterea confirmat, quod aliquid amplius in iis, quam in synodicis ante confirmatis, statutum sit: nimirum ut Episcopo a civitate ad civitatem, vel a parochia ad parochiam, transire liceat, si causa aliqua rationi consentanea hoc eum facere cogat, et multi Episcopi certatim eum transire exhortentur. Quod, licet rationi summe congruum, in aliis tamen Synodorum Canonibus penitus omissum est; quibus propterea Synodus Apostolicos Canones hoc continentes subjungere necessarium duxit. Et quidem Nilus Thessalonicensis Canones Apostolicos hic intelligendos esse usque adeo persuasum habuit, ut ipsam vocem ἀποστόλων corpori Canonis, si non insertam invenerit, ipse saltem inseruerit. Hunc enim Canonem Chalcedonensem his verbis exhibet,

Περὶ τῶν μεταβαίνοντων ἀπὸ πόλεως εἰς πόλιν ἐπισκόπων ἢ κληρικῶν, ἔδοξε τοὺς περὶ τούτων θεθέντας κανόνας παρὰ τῶν ἁγίων ἀποστόλων Nilus de Primat. Pap. lib. II. [pp. 47, 48.]

gesimum sextum recitat, qui sunt ejusdem Antiocheni Concilii Canones XVI. et XVII. Unde constat Canones in dicto Codice collectos vim ecclesiasticarum legum tunc temporis habuisse, aliter enim frustra prolati fuissent. — Bever. Annot. in Can. Chalc. i. — Annot. in Pan. Can. ad cal. tom. ii. p. 108.

Consule quoque Dallæum de Pseud.

lib. iii. cap. 19, pp. 646–657, de hoc universalis Ecclesiæ Codice copiosius disserentem; qui Leshasserium (*Consult. de Controvers. inter Paulum Quintum et Seren. Remp. Venet.*) præcipuum in hac re auctorem adducit, et Can. Nic. VI. ex eodem Codice, in Actione xiii. ejusdem Concilii (Conc. tom. iv. col. 713, A), citatum memorat.]

καὶ πατρῶν ἔχειν τὴν ἰσχύν. Idem de Canone Chalcedonensi XXII. dicendum est, præcipiente, non licere clericis post mortem sui Episcopi res, quæ ad ipsum pertinent, rapere, καθὼς καὶ τοῖς πάλαι κανόνισιν (sic enim legendum esse, non τοῖς παραλαμβάνουσιν in Annotat. ostendimus⁶) ἀπηγόρευται, quemadmodum et antiquis Canonibus prohibitum est. Etiam si enim idem fere præcipiatur Canone Antiocheno XXIV.⁷ cum is tamen inter synodicos ante confirmatus fuisset, per Canones antiquos hoc in loco commemoratos Apostolici potius intelligendi sunt, quorum Canone quadragesimo hoc decretum habetur:⁸ quem Patres Chalcedonenses Antiocheno prius confirmato propterea addidisse videntur, quo majores huic ecclesiasticæ sanctioni vires conciliarent, utpote quæ non modo a synodicis, verum a longe etiam antiquioribus Canonibus edita fuerit.

[Pan. Can. tom. i. p. 138, D.]

⁶ ["Hic Codices mirum in modum dissentiunt. Huic enim Bodleiani MSS. lectioni, Etonensis, Basiliensis, item quo usus est Gentianus Hervetus, necnon Balsamonis et Zonaræ Codices suffragantur. Joannes Antiochenus e contra legit, καθὼς καὶ τοῖς πάλαι κανόνισι ἀπηγόρευται, Collect. Can. tit. 4 [Just. Bibl. J. C. tom. ii. p. 515], cui Latini interpretes adstipulantur, ut in annotationibus ad Can. Apost. XL. observatum est."—Bever. Annot. ad Can. xxii. Conc. Chalc.—Annot. ad Pan. Can. ad cal. tom. ii. p. 122.

"Ex eo quod hoc Canone cautum sit, ne quæ propria sunt Episcopi, post illius mortem ullo modo intercidant, etiam nec sub rerum ecclesiasticarum obtentu, aperte satis laudari videtur idem Canon a Conc. Chalc. Can. xxii. dicente, Non licere clericis post mortem proprii Episcopi, quæ ad ipsum pertinent, rapere, καθὼς καὶ τοῖς πάλαι κανόνισι ἀπηγόρευται, etiam si non tantum Codex Bodleianus, et Gentianus Hervetus, [Conc. Chalc. Act. xv. Conc. tom. iv. col. 765, C.] sed et ipse Balsamon, in scholiis ad dictum Canonem, [Pan. Can. tom. i. p. 138, D.] legat, καθὼς καὶ τοῖς παραλαμβάνουσιν ἀπηγόρευται. In Græca tamen Balsamonis editione

[ut legitur apud Just. Bib. J. C. tom. i. p. 66], prior lectio retinetur, quam etiam veriore esse ex antiquioribus interpretibus abunde constat. Nam Dionysius Exiguus vertit, *Sicut antiquis quoque est Canonibus institutum.* [Just. Bibl. J. C. tom. i. p. 136.] Et eo longe vetustior Latinus Canonum translator a Justello editus, *Sicut et anterioribus Canonibus cautum est.* [Just. Bibl. J. C. tom. i. p. 300], et Jo. Antiochenus. Col. Can. tit. 4, [Just. Bibl. J. C. tom. ii. p. 515.]"—Bever. Annot. ad Can. Apost. xl.—Annot. ad Pan. Can. ad cal. tom. ii. p. 28.]

⁷ ["Ἴν' εἰ συμβαίῃ τὸν ἱσκόπου μιτ-αλλάττεισθαι τὸν βίον, φανερῶν ὄντων τῶν διαφερόντων τῇ ἐκκλησίᾳ πραγμάτων, μήτι αὐτὰ διαπίπτειν καὶ ἐπόλλυσθαι, μήτι τὰ ἴδια τοῦ ἱσκόπου ἰνοχλιῖσθαι, προφάσει τῶν ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων.—Can. Ant. xxiv. Pan. Can. tom. i. p. 451, C.]

⁸ ["Ἴν' ἕξουσίαν ἔχη τὰ ἴδια τελευτῶν ὁ ἱσκόπος, οἷς βούλεται, καὶ ὡς βούλεται, καταλιῖψαι, καὶ μὴ προφάσει τῶν ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων διαπίπτειν τὰ τοῦ ἱσκόπου.—Can. Ap. xl. Pan. Can. tom. i. p. 27, E, F.]

Aliud denique haud obscurum veræ Canonum Apostolicorum antiquitati confirmandæ argumentum nobis subministrat ejusdem universalis Synodi Canon XIV. sic incipiens,

Ἐπειδὴ ἔν τισιν ἐπαρχίαις συγκεχώρηται τοῖς ἀναγνώσταις καὶ ψάλταις γαμεῖν, ὧρισεν ἡ ἀγία σύνοδος μὴ ἐξεῖναι τινι αὐτῶν ἑτεροδόξον γυναῖκα λαμβάνειν, [Pan. Can. tom. i. p. 129. E.]

Quoniam in nonnullis provinciis concessum est lectoribus et cantoribus uxores ducere, decrevit sancta Synodus nulli eorum licere diversæ a recta opinionis uxorem ducere.

Hinc enim liquet hoc in nonnullis provinciis diu obtinuisse, ut e clericis lectores et cantores soli uxores ducerent. Hoc autem nullibi obtinere potuit, nisi a Synodis earum provincialiarum ecclesiastica auctoritate constitutum fuisset. Hujusmodi vero ecclesiastica Constitutio nullibi exstat, præterquam inter Apostolicos; quorum vicesimus sextus sic se habet:

Τῶν εἰς κλῆρον προσελθόντων ἀγάμων, κελεύομεν βουλομένους γαμεῖν, ἀναγνώστας καὶ ψάλτας μόνους, [Pan. Can. tom. i. p. 16. E.]

Ex iis qui non ducta uxore ad clerum promoti sunt, jubemus, si velint, uxores ducere lectores et cantores solos. Ac proinde nullus dubito, quin hic Canon Apostolicus longe prius divulgatus, quam quarta Synodus Œcumenica Chalcedone celebrata fuerit.

CAPUT VI.

Synopsis.

- I. Canones Apostolicos eosdem esse atque ecclesiasticos a Patribus citatos e summa inter eos convenientia satis constat.
- II. Canones hi nonnunquam sub ipso Apostolorum et Apostolicorum nomine laudati sunt. Quod probatur primo Alexandri Alexandrini testimonio.
- III. Constantinus M. Imp. Canonem Apostolicum ab Eusebio servatum laudat, eundemque et a mandatis Dei et a Canonibus ecclesiasticis distinguit.
- IV. Julius P.R. Canones Apostolorum in Gregorii ordinatione in sedem Alexandrinam violatos asseruit.
- V. Canones Apostolici a Concilio Constantinopoli A.D. CCCXCIV. habito, verbis conceptis laudati sunt.
- VI. *Idem in Actis Concilii Ephesini Apostolici etiam diserte vocantur.*
- VII. *Egregium Theodosii Imp. hisce Canonibus, Apostolicis ab eo dictis, redditum testimonium.*

I. HUCUSQUE ea attulimus veterum testimonia, quibus Canones Apostolici sub ecclesiasticorum vel antiquorum Canonum titulo citati sunt. Quæ quidem nostram de horum Canonum antiquitate opinionem usque adeo confirmant, ut aliis ei probandæ non opus sit argumentis. Cum enim non solum SS. Patres Athanasius et Basilius M., sed et ipsa Concilia Œcumenica quarto quintoque seculo celebrata, Nicænum dico, Ephesinum, et Chalcedonense, una cum provincialibus, Antiocheno, Gangrensi, Constantinopolitano, et Carthaginensi, Canones ecclesiasticos toties commemorarint, qui omnes, alibi frustra quæsi, inter Apostolicos solos inveniuntur, Canones Apostolorum vulgo dictos istis seculis et

passim cognitos, et in usum publicum receptos fuisse, pro certissimo habeamus necesse est. Præsertim cum Synodi Patresque supradicti non unum alterumve Canonem, sed plurimos ex iis vel citarint diserte, vel clarissime indigitarint. Quod nos quidem latet, quo demum pacto fieri potuit, nisi tota hæc Canonum collectio iis probe nota fuisset. Neque enim credibile est, ut tot Canones ecclesiastici, quot a S. Patribus Synodisque citati sunt, cum Apostolicis hodie vulgatis per omnia ita convenirent, nisi iidem prorsus atque illi essent, quos etiam ecclesiasticos æque ac Apostolicos olim dictos fuisse, et nos ante probavimus, et ipsi eorum tituli fidem faciunt. In nonnullis enim codicibus tam impressis quam MSS. *Κανόνες ἐκκλησιαστικοὶ τῶν ἀγίων Ἀποστόλων*, in aliis simpliciter *Κανόνες ἐκκλησιαστικοὶ* inscripti sunt.

II. Sed quandoquidem ab aliquot retro seculis usu venit, ut hi primitivæ Ecclesiæ Canones, non ecclesiastici, sed tantum Apostolici sive S. Apostolorum Canones vulgo nuncupati essent; nonnulli forsitan majorem fidem istiusmodi habebunt testimoniis, quibus hi Canones sub Apostolorum titulo laudati sunt. Quapropter licet quæ hactenus adduximus, sententiam nostram, nobis saltem, clare satis demonstrare videantur; eorum tamen, qui istiusmodi postulant argumenta, curiositati satisfacere non pigebit. Ecclesiastici enim, de quibus agimus, Canones ob venerandam eorum antiquitatem, etiam quarto quintoque a Christi nativitate seculo, Apostolorum nomine insigniri meruerunt. Ac proinde Patres doctique viri, qui istis claruerunt seculis, eos non modo sub Ecclesiasticorum, verumetiam sub Apostolorum titulo, conceptis verbis frequenter laudarunt. Quod si probatum dederimus, nihil ulterius confirmandæ eorum antiquitati a nobis assertæ desiderari potest. Primo itaque Alexander Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopus, in epistola ad Alexandrum C.P. ante Synodum Nicænam scripta, illum certiore facit, Arium ejusque fautores, a se Alexandriæ excommunicatos, ab aliis Episcopis in Ecclesiam receptos esse, contra ac Canone Apostolico ea de re lato statutum fuerat. Fraudulentis enim Arianorum sermonibus, fictisque literis prius commemoratis, hæc protinus addit, "Ὅθεν καὶ

συμβαίνει τινὰς τοῖς γράμμασιν αὐτῶν ὑπογράφοντας εἰς ἐκκλησίαν εἰσδέχσθαι μεγίστης, ὡς οἶμαι, διαβολῆς ἐπικειμένης τοῖς τοῦτο τολμῶσι

Apud Theodoret. Hist. Eccl. lib. 1. cap. 4, [pp. 10, 11.]

συλλειτουργοῦς, τῷ μῆτε τὸν Ἀποστολικὸν κανόνα τοῦτο συγχωρεῖν. *Unde fit ut nonnulli literis eorum subscribentes, in Ecclesiam eos recipiant, cum tamen comministris nostris, qui hoc ausi sunt, gravissima, ut opinor, reprehensionis immineat infamia, eo quod nec Apostolicus Canon id permittit.* Quibus verbis apertissime citatur Canon Apostolicus XII. sic habens, Εἴ τις κληρικὸς ἢ λαϊκὸς ἀφωρισμένος, ἤτοι ἄδεκτος, ἀπελθὼν ἐν ἑτέρᾳ πόλει δεχθῆ ἄνευ γραμμάτων συστατικῶν, ἀφοριζέσθω καὶ ὁ διζήμενος, καὶ ὁ δεχθεὶς. *Si quis clericus vel laicus segregatus vel non recipiendus, discedens in altera urbe receptus fuerit absque literis commendatiis, segregetur, et qui recepit, et qui receptus est.* Hic est Apostolicus ille Canon ab Alexandro laudatus, qui non modo non permittit, ut, qui ab aliis segregantur, ab aliis recipiantur, sed et gravissimam reprehensionis infamiam iis inurit, qui tales recipere ausi sunt; eos enim segregationis poenæ subjicit. Adeo ut me prorsus fugiat, qua ratione quivis uspiam Canon disertius citari possit, quam Apostolicus ille hoc in loco citari deprehenditur.

III. Iisdem diebus, sede Antiochena vacante, Eusebius Ecclesiae Cæsariensis Episcopus, communibus cleri populique Antiocheni suffragiis in eam electus est. Is autem Ecclesiam sibi prius concreditam relinquere et ad aliam transilire constanter recusavit. Quamobrem Constantinus M. Imperator literas ad eum misit, quibus prudentiam ejus ac pietatem summopere commendavit, inter alia hæc habens: Ἄλλ' ἡ σὴ σύνεσις, ἣ γουν τὰς τε ἐντολάς τοῦ Θεοῦ, καὶ τὸν Ἀποστολικὸν κανόνα, καὶ τῆς ἐκκλησίας φυλάττειν ἔγνωκεν, ὑπέρευγε πεποιήκε, παραιτουμένη [τὴν] ἐπισκοπίαν τῆς κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν ἐκκλησίας, ἐν ταύτῃ δὲ διαμείναι σπουδάζουσα, εἰς ἣν ἐκ πρώτης Θεοῦ βουλήσει τὴν ἐπισκοπίαν ὑπεδέξατο. *Verum rectissime fecit prudentia tua, quæ et mandata Dei, et Apostolicum Canonem, et ecclesiasticum custodire statuit, episcopatum Antiochensis Ecclesiae repudians, et in eo potius permanere desiderans, quem Dei voluntate ab initio suscepisset.* Hic primo videre est Canonem Apostolicum, quem Eusebius observarat, diserte commemoratum, et deinde eundem non tantum a mandatis Dei, verum et ab ecclesiastico quovis Canone distinctum. Per κανόνα τῆς ἐκκλησίας Synodi Nicænæ Canon XV. paucis ante annis editus indicari videtur. Apostolicum autem Canonem [XIV.] ab eo aperte discernit, et ab alio quovis ecclesiastico Canone nuper

[Pan. Can.
tom. i. p. 7,
F.]

Euseb. de
vita Constan.
lib. iii. cap.
61, [p. 618.]

[Supra, cap.
iv. sect. 1,
p. 33.]

constituto, ac propterea indigno qui Apostolorum nomine decoretur, quod istis solis competit Canonibus, qui a viris Apostolicis multis ante annis divulgati fuerant. Qua etiam de causa licet omnes Apostolici Canones et sint, et sæpe dicti fuerint, ecclesiastici, ut ab Ecclesia constituti; omnes tamen ecclesiastici Canones nec sunt, nec dicti unquam fuerunt, Apostolici, sed ii soli, qui ab Apostolicis temporibus in Ecclesia obtinuerunt, quique omnes in ista, quam sub manibus habemus, Canonum collectione comprehenduntur. Hinc forsitan est, quod Canon Apostolicus ab Augustissimo Imperatore hic laudatus medio inter Dei mandata in SS. Scripturis promulgata, et leges ecclesiasticas postea sancitas, collocetur, propterea nimirum, quod post illa et ante hasce constitutus fuerat. Primo enim ponit τὰς ἐντολάς τοῦ Θεοῦ, deinde τὸν Ἀποστολικὸν κανόνα, et postremo τῆς ἐκκλησίας, viz. κανόνα. Canon autem Apostolicus imperiali auctoritate hic munitus, in nostra Canonum Apostolicorum sylloge est decimus quartus, statuens, Ἐπίσκοπον μὴ ἐξεῖναι καταλείψαντα τὴν ἰαυτοῦ [Pan. Can. tom. i. p. 8, F.] παροικίαν ἐτέρᾳ ἐπιτηδῶν, κἄν ὑπὸ πλείονων ἀναγκάζηται, *Episcopo non licere, sua relicta parochia, ad aliam transilire, etiamsi a pluribus cogatur.* Et hic quidem unicus est Canon de hac re editus qui Apostolicus unquam appellatus fuit: ac proinde cum Constantinus M. Eusebium commendet, quod Apostolico Canone religiose insistens, a sede Cæsariensi, qua prima constitutus est, ad Antiochenam transilire renuit, de alio intelligi nequit quam de præsentī Canone, cum alius nusquam detur Canon, cui nomen istud impositum fuit. Inter omnes autem constat hunc ex eorum esse numero, qui Apostolici et Apostolorum Canones multis retro seculis nuncupati fuerunt.

IV. Porro Constantio Constantini M. filio Orientale sceptrum tenente, S. Athanasius ab Ariana factione in Concilio congregata depositus est, et Gregorius quidam ejus loco in sedem Alexandrinam præter Canones ordinatus. Sed Julius, Papa Romanus, re cognita, in Synodo sub se habita, S. Athanasium injuste depositum esse judicavit, [Conc. tom. ii. col. 599, A.] eumque propterea Romæ in communionem recepit, et Orientales Episcopos, qui eum deposuerant, ad Synodum Romæ celebrandam vocavit. Quod isti ægre ferentes, literas multis querelis plenas ex urbe Antiochia, ubi con-

veniebant, ad Julium miserunt. Hic autem aliam in causa Athanasii Epistolam ad eos rescripsit, quæ inter Epistolas ejus in Conciliorum tomis, alibique Latine, et in secunda S. Athanasii Apologia Græce, etiamnum exstat. In hac Epistola Julius Canonum Apostolicorum expresse meminit, dicens, *In rebus enim ecclesiasticis non specimen eloquentiæ, sed Canones Apostolici requiruntur.* Qua autem occasione illorum hic meminerit, ex iis quæ sequuntur, clarius elucescet. Cum injurias enim S. Athanasio oblatas enarraverat, omniaque refellerat, quæ contra eum objecta erant, hæc tandem habet, ut in Latina ejusdem Epistolæ editione leguntur: *Si enim post Synodum in culpa fuisset deprehensus Athanasius, non tamen oportuit creationem novi Episcopi ita illegaliter et præter Canonem ecclesiasticum fieri, sed in ipsa Ecclesia, et ex ipso sacerdotali ordine, et ex ipso clero ejus provinciæ Episcopos constitui, et nequaquam ex illis qui nunc Apostolorum Canones violant.* In secunda, fateor, S. Athanasii Apologia, ubi tota Epistola recitatur, hæc verba Græce paulo aliter leguntur, in hunc modum: *Εἰ γὰρ καὶ μετὰ τὴν σύνοδον ὑπεύθυνος ἦν εὐρεθεὶς ὁ Ἀθανάσιος, οὐκ ἔδει τὴν κατάστασιν οὕτως παρανόμως, καὶ παρὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα γενέσθαι, ἀλλ' ἐπ' αὐτῆς τῆς ἐκκλησίας, ἀπ' αὐτοῦ τοῦ ἱερατείου, ἀπ' αὐτοῦ τοῦ κλήρου, τοὺς ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ ἐπισκόπους [ἔδει] καταστήσαι, καὶ μὴ νῦν τοὺς ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων κανόνας παραλύεσθαι.* Illic oportere ait, ut Episcopi nequaquam ex iis constituentur, qui Canones Apostolorum violant: hic, ut in Episcopi creatione Canones Apostolorum violantur. Sed quod ad rem nostram spectat, eodem redit: utrobique enim Canones Apostolorum memorantur, utrobique Gregorium, qui in S. Athanasii locum suffectus est, eos violasse, ejusque ordinationem contra eos factam fuisse asseritur. Quo quidem nihil verius esse potuit. Multi enim e Canonibus Apostolorum a Gregorio in ipsius ordinatione violati sunt. Primo enim, is principum secularium ope nomen et dignitatem episcopalem adeptus est. Unde S. Athanasius eum vocat *Γρηγόριον τὸν ἀπὸ βασιλέως ἀποσταλέντα, Gregorium per Imperatorem missum, viz. Alexandriam.* Et paulo post de eodem verba faciens, eum affirmat neque secundum ecclesiasticum Canonem creatum fuisse, neque pro Apostolica traditione nomen Episcopi obtinuisse, sed ex palatio cum

[Conc. tom. ii. col. 496, A.]

[Ibid. col. 507, A.]

[Ap. cont. Arian. cap. xxxvi. Op. tom. i. p. 149, C. D.]

Athan. Ep. a. J. solit. vit. agentes. [Hist. Arian. ad Monach. sect. 10. Op. tom. i. p. 350, B.]

militari manu, et magnifica pompa missum esse, non aliter quam si secularis magistratus ei demandatus fuisset.¹ Hac autem ratione Canones Apostolorum pessime violati sunt; ut quorum tricesimus aperte vetat, ne quis Episcopus *κοσμικοῖς ἀρχουσι χρησάμενος δι' αὐτῶν ἐγκρατῆς ἐκκλησίας γένηται*, *secularibus principibus usus per eos Ecclesiam adipiscatur*: eumque qui tali modo factus est Episcopus, una cum omnibus, qui illi communicant, depositioni pariter atque excommunicationi subjicit. Præterea Canones Apostolorum præcipiunt, ne Episcopi suos extra fines, aut in locis sibi non subjectis ordinationes faciant; ideoque ut omnes ordinationes eo loci, vel istos intra fines celebrentur, ubi ordinati munera sua obire debent. At Gregorius non in urbe Alexandria, cujus episcopatum invasit, sed in urbe Antiochena triginta sex mansionibus ab Alexandria distante, et in aliena constituta dicecesi creatus est, ut ipse Julius in Epistola superius laudata sæpe affirmat. Ac proinde ordinatio ejus contra Canones Apostolorum facta est. Quinetiam Julius verbis supra allatis Gregorium non e sacerdotali ordine electum esse, sed priusquam in quovis sacerdotii gradu specimen sui ediderat, ad episcopalem dignitatem evectum queritur. Quod diserte prohibetur Canone Apost. LXXX. hac etiam adhibita ratione, quod *ἀδίκον ἐστὶ τὸν μηδέπω πείραν ἐνδειξάμενον ἐτέρων εἶναι διδάσκαλον*, *Iniquum est, ut, qui sui nondum experimentum ostenderit, aliorum magister fiat*. Unde patet Julium non sine causa conquestum esse, Canones Apostolorum in Gregorii ordinatione violatos fuisse. Ubi etiam observetur velim, hos Canones non modo Apostolicos, sed et Apostolorum hic a Julio vocatos esse, quo quidem nomine nulli unquam Canones dignati sunt, præter eos solos de quibus modo agimus.

V. Adhæc, quarto æræ Christianæ seculo nondum elapso, anno scilicet Dom. CCCXCIV. Concilium provinciale Constantinopoli celebratum est, ad dijudicandam causam inter Bagadium et Agapium controversam, utroque episcopatum

¹ [Ταῦτα δὲ διὰ τοῦθ' οὕτως ἱερατικῶν, ἰαὶ μῆτι ἐκκλησιαστικῶ καὶ τὴν κατάστασιν ἰχτι, μῆτι ἀποστολικῆ παραδόσει κληθῆς ἢ ἰπίσκοπος· ἀλλ' ἐκ Παλατίου μετὰ στρατιωτικῆς ἰξουσίας καὶ φαντασίας

ἀπίσταλο, ὅσπερ ἀρχὴν κοσμικὴν ἰχυρισμίνος.—S. Athan. Hist. Ar. ad Monachos, sect. 14, Op. tom. i. p. 351, D.]

[Pan. Can. tom. i. p. 18, E. Vide sup. cap. iii. sect. 2, p. 24.]

[Can. Apost. XXXV. Pan. Can. tom. i. p. 24, A. Vide sup. cap. v. sect. 2, p. 58.]

[Cap. iv. sect. 7, p. 46.]

[Pan. Can. tom. i. p. 52, E. Vide supra, cap. iv. sect. 1, p. 30.]

Bostræ sibi vindicante. Nimirum Bagadius Bostrensis Episcopus, ob nescio quas causas, a duobus Episcopis paulo ante depositus fuerat, et Agapius in episcopatum ejus ordinatus. Bagadius itaque causam suam ad Concilium Constantinopolitanum refert: ubi quæsitum est ab Arabiano Ancyræ Episcopo, utrum Episcopus de criminibus quibusvis accusatus a duobus Episcopis jure deponatur; hac quæstione paucis agitata, a Nectario Episcopo C.P. et a Synodo tunc temporis sub eo habita decretum est, *Μὴ χεῖναι πρὸς τὸ ἐξῆς, μηδὲ παρὰ τριῶν, μήτοιγε παρὰ δύο τὸν ὑπεύθυνον δοκιμαζόμενον καθαιρεῖσθαι, ἀλλὰ γὰρ πλείονος συνόδου ψήφῳ, καὶ τῶν τῆς ἐπαρχίας, καθὼς καὶ οἱ Ἀποστολικοὶ κανόνες διαγίσαντο.* *Non licere in posterum nec a tribus, nedum a duobus, eum qui reus examinatur deponi, sed majoris Synodi et provinciæ Episcoporum sententia, sicut etiam Apostolici Canones definierunt.* Exstant acta hujus Concilii in Pandectis Canonum, ad calcem tomi primi, statim post Canones Concilii Carthaginensis. Ubi etiam observandum est, Arabianum Ancyræ Episcopum primo proposuisse, ut a Synodo ediceretur, non licere Episcopum a duobus vel ordinari vel deponi ἀκολούθως τῇ ἐν Νικαίᾳ συνόδῳ, *juxta Nicænam Synodum.* Sed Theophilus Alexandrinus in ea potius fuit sententia, ut Episcopus non nisi ab omnibus comprovincialibus deponatur. Huic itaque opinioni suffragatus est Nectarius C.P. eamque Canonum Apostolicorum auctoritate confirmat, καθὼς, inquit, καὶ οἱ Ἀποστολικοὶ κανόνες διαγίσαντο. Ac tota deinde Synodus in hanc sententiam consensus, ut Episcopus scilicet non nisi a provincialium Episcoporum Synodo deponatur, juxta quod in Canonibus Apostolicis definitum est. Unde consequitur et Nectario et toti Synodo sub eo habitæ cognitam fuisse istam Canonum Apostolicorum syllogen, qua hoc definitum fuit. Neque enim unum aliquem citant Canonem, sed Canones Apostolicos in genere, ac proinde totam illam collectionem, qua Canones ita vocati continentur. Quod autem in Canonibus Apostolicis hic definitum dicitur, in septuagesimo quarto nostrorum Canonum habeatur, quo cautum est, ut Episcopus a viris fide dignis ob aliquid accusatus, ab Episcopis, provinciæ scilicet, vocetur: et si vocatus non paruerit, secundo atque etiam tertio citetur, missis ad eum duobus Episcopis: si autem et post tertiam citationem se contumax non stite-

[Pan. Can.
tom. i. p. 679,
D. et Conc.
tom. ii. col.
1154, B.]

[Ibid. col.
1154, A.]

rit, Synodus ea quæ ipsi videntur, adversus eum pronunciet, Ἐάν δὲ καὶ οὕτως, inquit Canon, καταφρονήσας μὴ ἀπαντήσῃ, ἡ ^[Pan. Can. tom. 1, p. 48, A. Vide supra, cap. v, sect. 4, p. 60.] σύνοδος ἀποφανείσθω κατ' αὐτοῦ τὰ δοκοῦντα. Cum hoc itaque Apostolico Canone aperte adeo decernatur, Episcopum a viris fide dignis accusatum a Synodo Episcoporum iudicandum esse, et, si ipsis ita visum fuerit, deponendum, nihil dubii esse potest, quin Synodus Constantinopolitana ad ipsummet respexerit, ubi, idem decernens, addit, Καθὼς καὶ οἱ Ἀποστολικοὶ κανόνες διαγρίσαντο. Unde etiam satis superque constat, totam hanc Canonum Apostolicorum syllogen, cuius ad calcem pene hic citatus collocatur, omnibus tunc temporis in Synodo ista congregatis Episcopis innotuisse. Quanti etiam quamque celebres doctique viri Synodum istam celebrabant? Nectarius C.P., Theophilus Alexandrinus, Flavianus Antiochenus, Palladius Cæsareæ Cappadociæ, Gelasius Cæsareæ Palestinæ, Gregorius Nyssenus, Amphilocheus Iconii, aliique complures celeberrimique Episcopi ex toto Oriente in Synodo ista conveniebant. Ut nullum unquam provinciale Concilium a pluribus illustrioribusve viris celebratum videatur. His tamen omnibus Canones Apostolici non modo noti, verumetiam tantæ apud eos auctoritatis fuerunt, ut decretum a se editum ex ipsis confirmarint, ipsique Episcopum non nisi a Synodo Episcoporum deponendum esse statuerint, eo quod in Canonibus Apostolicis ita definitum esset. Quod quidem summam horum Canonum antiquitatem pariter atque auctoritatem egregie evincit.

VI. Verum ne hic Codex Canonum Ecclesiæ primitivæ Œcumenici Concilii auctoritate destitutus videatur, Concilium Ephesinum, ex Œcumenicis tertium, An. Dom. CCCXXXI. habitum, suum illi testimonium tribuit. Septima enim actione istius Concilii Rheginus Episcopus Ecclesiæ apud Constantiam Cypri, reliquorum istius insulæ Episcoporum nomine, libellum Patribus in Synodo congregatis obtulit, quo conquestus est, Episcopum clerumque Antiochenum voluisse *vi cogere et subjicere sibi Episcopos insulæ* (Cypri), *contra Apostolicos Canones, et definitiones sanctissimæ Nicænæ Synodi.* Enimvero Insula Cyprus Ecclesiæ Antiochenæ nunquam antea subjecta fuerat: istis autem diebus Episcopus Antiochenus Episcopos in ista insula ordinandi ^[Conc. tom. iii. col. 788.]

potestatem sibi vindicabat. Hoc Rheginus, reliquique cum eo Cypri Episcopi, et contra Canones Apostolicos, et contra definitiones Synodi Nicænæ, esse affirmabant: Canonibus Apostolicis, ut videre est, ante Nicænos memoratis: quod quidem haud fecissent, nisi eos, ante hosce, conditos editosque fuisse persuasum habuissent. Hanc porro rationem ab iis adhibitam Synodus non tantum approbavit, sed et singulare eorum gratia decretum edidit, sic incipiens, Πρᾶγμα παρὰ τοῦς ἐκκλησιαστικούς θεσμούς και κανόνας τῶν ἁγίων πατέρων καινοτομούμενον, και τῆς πάντων ἐλευθερίας ἀπτόμενον, προσήγγειλεν ὁ θεοφιλέστατος συνεπίσκοπος Ῥηγίνος, *Rem præter ecclesiasticas Constitutiones, et sanctorum Patrum Canones innovatam, et omnium libertatem attingentem, annuntiavit piissimus Coepiscopus Rheginus.* Sic in vulgato decreti hujus textu legitur. Sed ad marginem Græcæ cujusque editionis pro πατέρων notatur ἀποστόλων legendum esse, ad hunc modum, Πρᾶγμα παρὰ τοῦς ἐκκλησιαστικούς θεσμούς και κανόνας τῶν ἁγίων Ἀποστόλων. Sic etiam in omnibus tam Zonaræ quam Balsamonis Codicibus seorsim editis legitur, necnon in editione Canonum ab Elia Ehingero Augustano elaborata.² Ut nihil dubii esse possit, quin nonnulli Codices MSS. ita legerint. Sed communior, et, ut mihi quidem videtur, verior hujus loci lectio est illa, quam primam exhibuimus. Hoc enim decretum libello ab Episcopis Cypriis oblato, qui ei condendo materiam dedit, haud dubie accommodatum est. Quod autem in decreto contra ecclesiasticas Constitutiones et Canones S. Patrum innovatum dicitur, idem in libello contra Apostolicos Canones, et definitiones Synodi Nicænæ fuisse asseritur. Quocirca ut per Canones S. Patrum definitiones Synodi Nicænæ, sic per ecclesiasticas Constitutiones Canones Apostolici intelligendi sunt, quos ecclesiasticos æque ac Apostolicos vocitari ante observatum est. Quorsum etiam ecclesiasticæ Constitutiones Canonibus S. Patrum, Nicænorum videlicet, hic præponerentur, nisi iidem essent atque Apostolici Canones longe ante Nicænos constituti? Quod autem hoc in loco contra Apostolicos Canones, sive ecclesiasticas Constitutiones innovari dicitur, idem diserte prohibetur

[Conc. tom. iii. col. 802, A.]

[Zon. p. 84, Paris. 1618. Balsam. p. 319, Paris. 1620.]

² [Κανόνες τῶν Ἀποστόλων, και τῶν ἁγίων συνόδων.—App. et SS. Conc. Decreta Græce et Latine edita, a M. Elia Ehingero Augustano. Witebergæ, anno 1614.]

Canone Apost. XXXV. cavente, ne Episcopus extra suos fines, in urbibus aut pagis sibi non subjectis ordinationes celebrare audeat. Verba Canonis sunt, Ἐπίσκοπον μὴ τολμᾶν ἔξω τῶν αὐτοῦ ὄρων χειροτονίας ποιῆσθαι εἰς τὰς μὴ ἀποκειμένους αὐτῷ πόλεις καὶ χώρας. Eos insuper qui hanc Constitutionem violant, deponi jubet. Quapropter cum Episcopus Antiochenus episcopales in insula Cypro sibi non subjecta ordinationes facere attentarat, hoc Episcopi illius insulæ Synodusque universalis contra Canonem istum Apostolicum esse rectissime judicarunt, atque ita luculentissimum hisce Canonibus testimonium perhibuerunt.

VII. His denique e Patribus Conciliisque petitis pro Canonum Apostolicorum vetustate testimoniis, aliud adhuc advocare licet, omni, reliquorum ad instar, exceptione majus: Theodosii nimirum Imperatoris, qui, quinto nondum adulto seculo, legem adversus Nestorianos aliosque tulit, cujus meminit partimque recitat Evagrius³ totaque a Justiniano in primum Codicis titulum referri meruit. In hac autem lege Imperator hæc habet, *Ut autem omnes re ipsa discant, quantum nostra divinitas aversetur eos, qui impiam Nestorii fidem adfectant, præcipimus Irenæum dudum ob hancce causam nostræ indignationi suppositum, et postea (nescimus quomodo), post binas nuptias, ut didicimus, præter Apostolicos Canones, Tyrionum civitatis Episcopum factum, ex Tyrionum quidem Ecclesia dejici.* In hisce verbis nemo non videt, primo Canones Apostolicos verbis conceptis memoratos, deinde Imperatorem asseverantem Irenæum præter istos Canones creatum fuisse Episcopum, eo quod binis nuptiis implicitus fuisset, et postremo eum propterea episcopatu dejectum esse: ac proinde hos Canones tantæ istis diebus auctoritatis fuisse, ut Ecclesia per eos administrata, et ipsi Episcopi iis subjecti essent. Imperator autem singularem aliquem Canonem nequaquam citat, sed generatim Canones Apostolicos sive

[Pan. Can. tom. 1. p. 24. A. Vide sup. cap. v. sect. 2. p. 58.]

[xlii. Cal. Mart. A.D. 449.]

[Hist. Eccles. lib. 1. cap. 12. p. 265.]

[Cod. lib. 1. tit. 1. De summa Trinitate. Leges tertia, s. 4. Corp. J. C. tom. II. p. 23. col. 1.]

³ [Γίγρασται δ' οὖν αὐτῷ πανισεβῆς διάταξις, ἀνὰ τὸ πρῶτον βιβλίον κειμένη, Ἰουστινιανοῦ κωδικοῦ ἀνάσασται, τρίτη τὸν ἀριθμὸν τοῦ πρώτου τίτλου τυγχάνουσα· ἐν ἧ τὸν πάλαι ποθεύμενον παρ' αὐτοῦ, ὡς αὐτῷ Νιστορίῳ γίγρασται, θεῶν κινήσεις, ἀπάσαι, τὸ δὲ λεγόμενον, ψήφοις κατίκρινεν ἀναθίμασι περιβαλὼν, καὶ γίγραφιν

ἐπὶ λίξις ὧδε· ἵτι θισπίζομεν τοὺς ζηλοῦντας τὴν ἀσεβῆ Νιστορίου πίστιν, ἢ τῇ ἀθιμίτῳ αὐτοῦ διδασκαλίᾳ ἀπολουθούντας, εἰ μὴν ἰπίσκοποι εἴνῃ ἢ κληρικοί, τῶν ἁγίων ἐκκλησιῶν ἐκβάλλεσθαι· εἰ δὲ λαϊκοί, ἀναθιματίζεσθαι.—Evag. Hist. Eccl. lib. 1. cap. 12, p. 265.]

totam istorum, qui Apostolici antiquitus dicti fuerunt, Canonum collectionem. Quorum scilicet decimus septimus hæc totidem verbis habet, 'Ο δυοῖ γάμοις συμπλακείς μετὰ τὸ βάπτισμα, ἢ παλλακὴν κτησάμενος, οὐ δύναται εἶναι ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ. *Qui duobus post baptismum conjugii implicatus fuerit, vel habuerit concubinam, non potest esse Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, vel omnino ex numero sacerdotali.* Ad hunc itaque Canonem Imperator in ista lege procul omni dubio respexit, cum Irenæum post binas nuptias præter Canones Apostolicos factum fuisse Episcopum affirmavit, quemadmodum et Dionysius Gothofredus J. C. in notis ad hanc legem Theodosianam in Codicem relatam recte observavit. Neque enim alii, præter eos, quos hodie sub eo nomine vulgatos habemus, Apostolici unquam dicti fuerunt Canones. Et idcirco quicumque hosce Canones Imperatori Theodosio et Ecclesiæ tunc temporis in Oriente militanti incognitos esse opinatus fuerit, is legem istam e Codice prius expungat necesse est, quam nos vel alium quemlibet ad suam opinionem trahat. Quamdiu enim hæc lex a Theodosio lata, in Codice Justiniani lecta fuerit, nemini dubium erit, quin Canones Apostolici diserte adeo in ea laudati, istis diebus, hoc est ante quintum adultum seculum, in Ecclesia, Orientali saltem, obtinuerint.

[Pan. Can.
tom. i. p. 11,
D.]

[Cod. J. C.
tom. II. p. 28,
col. 1.]

CAPUT VII.

Synopsis.

- I. *Testimonia hactenus allata Canonum Apost. antiquitatem satis probant: utpote quibus nihil desideratur. Etiamsi unus et alter sufficerent, nos multos testes adduximus.*
- II. *Testes a nobis adducti non obscuri fuerunt viri, sed celeberrimi ex Imperatoribus, Patribus, et Conciliis.*
- III. *Omnia ex iis recitata de antiquis Canonibus testimonia Apostolicis una perspicue inveniuntur.*
- IV. *Nonnulli ex antiquis a nobis adductis testibus Canones hosce Apostolicos et Apostolorum diserte vocarunt. Quod summam eorum antiquitatem evincit.*

I. QUI ea quæ hactenus de Canonum Apostolicorum antiquitate adduximus veterum testimonia, ea, qua par est, animi libertate expendit, nullus dubitare potest, quin Canones isti longe ante An. Dom. CCCCLI. et sanciti fuerint et publicata, contra ac Cl. V. Joannes Dallæus opinatus est. Hoc enim e testimoniis a nobis allatis luculente constat, utpote quibus nihil desideratur, quod in quibusvis exigi potest testimoniis, ut fidem plenissimam faciant: sive numerum sive auctoritatem testium, sive ipsorum denique testimoniorum perspicuitatem, spectemus. Primo enim, etiamsi juxta leges tam sacras quam civiles, rei cuiuslibet comprobandæ duo testes sufficiant, nos tamen quam plurimos adhibuimus, qui quarto, quintoque nondum adulto, seculo suum dictis Canonibus testimonium tribuerunt, eos nunc sub ecclesiasticorum, alias sub Apostolicorum nomine laudantes, et in definienda veteris Ecclesiæ disciplina constanter usitantes, et aliarum subinde Synodorum auctoritate confirmantes. Usque adeo ut nullus unquam tam brevis curtusque libellus tot testes habuerit, ac laudatores; parum enim abest, quin dimidia pars Canonum in istum collectorum, ab anti-

quis istis Patribus, quorum verba a nobis recitata sunt, vel expresse laudata fuerit, vel dilucide indicata. Quod si omnia, quæ istis scripta sunt seculis, commentaria hodie exstarent, nosque, qui veremur ne, ex iis etiam quæ exstant, multa omiserimus, ex iis omnibus omnia colligere possemus testimonia, quæ Canonum horum antiquitati lucem ferrent, numero eorum a nobis hic congesto longe major haud dubie accessio fieret. Sed ipse sane non video quid pluribus opus sit, cum nostræ hac in controversia opinionis veritas abunde satis compareat, si vel unum e plurimis istis, quæ citavimus, testimonium admittatur. Si Canones enim Apostolici ante quintum adultum seculum vel semel citati sint, hoc eos, ante tempus sanctioni eorum a Dallæo assignatum, sancitos fuisse perspicue satis demonstraret. E præmissis autem patet eos non semel, sed sæpissime, nec a singularibus modo Patribus, verumetiam a numerosis eorum cohortibus in unum congregatis, ante istud tempus laudatos fuisse, adeo ut infinitus pene sit eorum numerus, qui vel seorsim, vel in Conciliis, Canonibus hisce attestati sunt.

II. Verum quantus quantus sit eorum numerus, quos testes hac in re adduximus, singulorum auctoritas haud minor censenda est. Neque enim tenebrionis cujuslibet, vel nullius aut obscuræ famæ scriptoris testimonia collegimus, sed eorum duntaxat, qui summi nominis ac dignitatis in Ecclesia semper fuerunt. Quinam enim celebriores unquam præседerunt Patres, quam Alexander Alexandrinus, Athanasius, Basilius M. et Julius P. R.? Quinam augustiores unquam rerum potiti sunt Imperatores, quam Constantinus Magnus et Theodosius Secundus? Quænam Concilia Œcumenica illustrioribus unquam celebrata fuerunt laudibus, quam Nicænum primum, Ephesinum et Chalcedonense? Quod si de provincialibus loquamur Conciliis, Gangrense, Antiochenum, Carthaginiense et Constantinopolitanum, a nobis laudata, cum quibusvis aliis alibi celebratis de auctoritate contendent. Verum illi, tam Patres, quam Imperatores, una cum Conciliis Œcumenicis pariter atque provincialibus a nobis memoratis, ubi occasio id postulabat, omnes de hisce Canonibus meminerunt. Atqui nec eos omnes, nec quempiam eorum latere potuit, quinam in Ecclesia Canones, suis cujusque diebus, obtinerent. Per eos enim Ecclesias sibi

commissas administrarunt. Proinde, quos illi ecclesiasticos citarunt Canones, eo ipso nomine et exstitisse, et ab Ecclesia tunc temporis receptos fuisse, certum est. Adeo ut in controversiæ cujusvis naturam nequaquam cadat, ut per magis idoneos, aut fide digniores, testes determinetur, quam quales a nobis in hac disputatione ad partes nostras vocati sunt.

III. Quod denique ad ipsa spectat testimonia a nobis allata, ea etiam adeo perspicua sunt, et causæ, quam agimus, probandæ apposita, ut ampliora neutiquam desiderari possint. Hoc in singulis recitandis satis manifestum fecimus, ut non opus sit iis sigillatim hic immoremur. De omnibus autem observare licet, Canones quam plurimos in iis commemoratos esse, qui ad nullum omnino præterquam ad Apostolicorum Codicem referri possunt, ac propterea ex eo istos omnes laudatos fuisse pro certissimo habeamus. Omnem enim excedit fidem, ut tot Canones ecclesiastici ab antiquis istis Patribus, Imperatoribus, Synodisque citati in uno illo Codice etiamnum invenirentur, nisi ex eodem prius citati fuissent. Et præterea, testimonia a nobis allata Canones tantum in genere, vel Canones ecclesiasticos, aut Apostolicos ubique laudant, nulla Synodi cujusvis aut Patris, a quo conditi fuerunt, inducta mentione, quæ quidem haud ommissa fuisset, si constitisset unde Canones isti originem traxerint. Ut si a Concilio quovis post hominum memoriam celebrato sanciti fuissent, istud haud dubie Concilium alicubi saltem nominatum esset, quemadmodum in Nicænis aliarumque Synodorum Canonibus citandis, ut cuique notum est, usu venit. Hic autem contrarium prorsus videre est. Nullo enim indicato Concilio, Canones tantum antiqui, ecclesiastici, aut Apostolici laudantur: non secus ac in Codice Canonum Ecclesiæ universæ a Synodo Chalcedonensi recitando. Cum omnes enim diversarum Synodorum Canones in unum istum Codicem compacti fuissent, tum demum non particularis cujusvis Synodi, sed Codicis duntaxat illius Canones a dicto universali Concilio generatim citatos legimus. Ad eundem modum cum hic Codex Canonum Ecclesiæ primitivæ ex multis anteactarum Synodorum Canonibus compositus, editusque esset, (prætermisissis, vel potius oblivione obrutis, antiquis istis, a quibus constituti fuerant, Conciliis,) qui postea vixerunt, Canones hosce sub generalibus tantum nominibus citare consueti sunt. Hoc autem ex eo tantum

usu venire potuit, quod hi Canones multis ante annis non modo conditi, sed et in unum corpus collecti fuerant: quod quidem totum intelligendum est, ubi non singularis aliquis Canon, sed numero plurali Canones commemorantur. Ista enim loquendi formula corpus aliquod vel collectionem Canonum ubique significat: ac istis propterea veterum testimoniis ad hanc a nobis dirimendam controversiam adductis, quibus plurimi citantur Canones, qui omnes in Apostolicorum Codice, eoque solo una inveniuntur, totus hic Codex Canonum Ecclesiæ primitivæ clarissime demonstratur.

IV. Quin hisce etiam addi potest, quod in testimoniis superius recitatis Canones isti, quorum partes hic sustinemus, non modo ecclesiastici, quo nomine eos antiquitus nuncupatos fuisse ante ostendimus, verum et disertis verbis Apostolici et Apostolorum Canones vocitentur. Isto autem nomine nullos unquam Canones notatos legimus, præter eos, qui hodie istud præ se ferunt. Quos propterea solos intelligamus necesse est, ubicunque Canones Apostolorum laudati sunt. Quosdam autem Canones ab antiquis, qui ante An. Dom. CCCCLI. claruerunt, Patribus sub isto nomine laudatos esse, eosdemque cum nostris ad amussim convenire, fusius a nobis ante demonstratum est. Unde validissimum exsurgit argumentum, hos Canones non modo istis cognitos fuisse Patribus, sed et multis ante annis constitutos, eo quod istis etiam diebus vetusti adeo habiti essent, ut S. Apostolorum nomen sibi inscriptum habere mererentur. Nihil enim magis incredibile esse potest, quam ut Canones ecclesiastici eodem seculo et constituti essent, et a tot eruditissimis viris S. Apostolorum titulo simul insigniti. Quin potius ex eo quod hi Canones quarto quintoque post Christi nativitate seculo Apostolici et Apostolorum dicti fuerunt, summa quispiam ratione inferat, eos aliquot retro seculis conditos fuisse, et Apostolorum nomine propterea donatos, quod a viris Apostolicis traditi crederentur. Quæ cum ita sint, jure meritissimo concludamus, nullum Ecclesiæ primitivæ monumentum gravioribus inniti testimoniis quam hunc Canonum Apostolicorum Codicem: adeo, ut qui istos quarti quintive seculi Patribus cognitos fuisse neget, idem eodem halitu, nec minori affirmet ratione, nihil ab istorum seculorum Patribus, Synodisve laudatum, ipsis cognitum fuisse, a quibus diserte laudatum est.

CAPUT VIII.

Synopsis.

- I. *Canones Apost. sexto ineunte seculo vulgo noti erant.*
- II. *Dionysius Exiguus initio istius seculi L. priores Apost. Canones Latine reddidit, suumque de iis testimonium dedit.*
- III. *Iisdem diebus Jo. Antiochenus hos Canones et suæ Canonum collectioni et Nomocanoni inseruit, eosque reliquis anteposuit. Hinc probatur hos Canones Codici Canonum Ecclesiæ Orientalis tunc temporis præfixos fuisse, et quidem sub Apostolorum nomine.*
- IV. *Codex Canonum Ecclesiæ Orientalis Canonibus Apost. longe ante Jo. Antiochenum præmunitus fuit: quod ex ipsius verbis ostenditur.*
- V. *Eodem tempore ipse Justinianus Imperator horum, ut ab Apostolis traditorum, Canonum meminit, eosque confirmavit.*
- VI. *Ex ejusdem Imperatoris verbis hos Canones longe ante istud seculum conditos fuisse evincitur.*
- VII. *Ab istis demum temporibus Canones Apost. unum cum synodalibus Codicem constituerunt, a Synodo Trullana confirmatum, et ab eo usque in Oriente obtinentem.*
- VIII. *Secunda Nicæna Synodus, et Ecclesia Orientalis, Synodum istam Trullanam, a qua confirmati sunt hi Canones, universalem esse judicavit.*

I. UT probatum omnibus daremus, Canones Apostolorum sancitos, divulgatos, vulgoque cognitos fuisse ante quintum adultum seculum, eorum tantum testimonia hucusque adhibuimus, qui ante An. Dom. CCCCLI. in Ecclesia claruerunt: e quibus, ut ostendimus, dictos Canones istis etiam diebus sæpe laudatos fuisse, ac proinde plurimis in notitiam venisse, satis superque constat. Quod si demonstremus insuper hosce Canones proximo post seculo, sexto videlicet ineunte, eodem ordine ac numero quo hodie circumferuntur, editos fuisse et divulgatos, nihil prorsus ad plenissimam opinioni nostræ

fidem faciendam superesse potest. Si ipse enim Canonum Apostolicorum Codex, quem hic tuemur, mox post quinti seculi exitum doctorum manibus passim tritus fuerit, quis in posterum dubitabit, quin quinto currente seculo exstiterit, Canonesque a Patribus laudati, ex eodem, quo solo inveniuntur, Codice citati fuerint?

II. Ut hoc autem probatum eamus, in mentem primo revocemus oportet, Dionysium cognomento Exiguum, re vera autem magnum doctissimumque virum, æræ Christianæ conditorem, Codicem Canonum Ecclesiæ universæ de Græco in Latinum sermonem eleganter transtulisse anno æræ a se excogitatæ plus minus quingentesimo. Hic autem Codici isti majorem etiam Canonum Apost. partem, quinquaginta scilicet, Latine itidem a se redditos, ac eodem ordine, quo hodie, digestos præfixit. Et in epistola ad Stephanum Episcopum Salonitanum, omnibus a se translatis Canonibus præmissa, hæc de Apostolicis præfatus est: *In principio itaque Canones, qui dicuntur Apostolorum, de Græco transtulimus, quibus quia plurimi consensum non præbuere facilem, hoc ipsum vestram nolimus ignorare sanctitatem. Quamvis postea quædam constituta Pontificum ex ipsis Canonibus adsumpta esse videantur.* E quibus verbis multa opinioni nostræ dilucidandæ observare licet. Primo enim hinc patet hos Canones Græcæ exstitisse, et S. Apostolorum nomine decoratos esse ante Dionysii ætatem, sive ante An. Dom. D., et tantæ insuper apud ipsum Dionysium auctoritatis fuisse, ut eosdem non modo in Latium una cum Synodorum Canonibus transferret, verum et aliis omnibus anteponeret. Quod quidem haud fecisset, nisi eos ante Nicænos, reliquosque Ecclesiæ universæ, Canones constitutos judicasset. Sed *plurimi, inquit, consensum iis non præbuere facilem, hoc est non facile crediderunt, eos ab ipsis Apostolis, quorum nomen præferrebant, sancitos esse.* Nonnulli itaque tantæ eos istis etiam diebus antiquitatis fuisse opinati sunt, ut Apostolicæ institutioni adscribendos esse censerent. Quibus quidem alii consensum non præbuere facilem, quoniam idonea non suppetere argumenta, quibus in istam opinionem ducerentur. Nulli autem eos nudiustertius editos credebant. Si qui tales enim exstitissent, hoc etiam Dionysius Stephanum haud dubie admonuisset. Is autem neminem indigitat, qui hos

[Just. Bibl.
Jur. Can.
tom. I. p. 101;
et Conc. tom.
I. col. 1.]

Canones ab ipsis Apostolis conditos fuisse diserte negabat, nedum qui eos (cum Dallæo) ante An. Dom. CCCCLI., hoc est ante hominum tunc viventium memoriam, non exstitisse affirmare audebat. A qua quidem opinione ipse Dionysius usque adeo abhorruit, ut in eorum potius numero esse videatur, qui facilem iis consensum præbuerunt. Ipsi enim quædam Pontificum Romanorum constituta ex iis adsumpta fuisse videntur. Quod clarissime saltem evincit Dionysium in ea fuisse sententia, quod Canones Apostolici tantæ vetustatis pariter atque auctoritatis in Ecclesia fuerant, ut Romani superiorum seculorum Pontifices sua ex ipsis decreta adsumere potuissent. Quod quidem fieri non potuit, si nondum exstarent, nec licuit, si nullius in Ecclesia momenti essent. Quantum itaque ad L. priores e Canonibus Apostolorum spectat, ipsum Dionysium Exiguum nobis habemus suffragantem, eos longe ante ipsius ætatem, ideoque ante An. Dom. CCCCLI., conditos fuisse et collectos. Neque enim credibile est tantum, tamque eruditum, virum in istis Latine vertendis laborare voluisse, nisi eosdem multis ante annis constitutos fuisse, et passim in Ecclesia obtinuisse pro certissimo habuisset. Quare autem solos L. priores, et non item reliquos, Latine reddiderit, incertum est. Nobis sane mutilum eorum exemplar nactus videtur. Omnes enim LXXXV. ejus ætate Græce exstitisse æque certum est ac L. ab illo Latine translatos fuisse, ut modo ostensuri sumus.

III. Justiniano enim, sub quo Dionysius Exiguus claruit, et cyclum Paschalem composuit, imperante, Joannes, cognomento Scholasticus, ad thronum C.P., Eutychio expulso, promotus est: qui Antiochia oriundus, Antiochenus propterea dictus fuit, ut Scholasticus, quod in foro causarum advocatus esset, cujus meminit Evagrius. Hic itaque in causis ecclesiasticis pariter ac civilibus agendis exercitatus, ut suæ aliorumque memoriæ subsidium pararet, omnes Canones ecclesiasticos, qui tunc temporis in Ecclesia Orientali obtinebant, in quinquaginta titulos distribuit, cuique titulo eos assignans Canones, qui de eadem vel simili re sanciti fuerant. Priusquam autem opus aggressus est, numerum recenset Canonum, quos isthoc modo distribuere susceperat. Primo autem loco Canones Apostolorum LXXXV. ponit, his

verbis, *Οἱ μὲν ἄγιοι τοῦ Κυρίου μαθηταὶ καὶ Ἀπόστολοι ὀγδοήκοντα*

Hist. Eccl.
lib. iv. cap.
88, [p. 421.]

[Just. Bibl.
Jur. Can.
tom. ii. p.
501.]

πέντε διὰ Κλήμεντος κανόνας ἐξέθεντο, *Sancti quidem Domini discipuli et Apostoli octoginta quinque Canones per Clementem ediderunt.* Deinde numerat Synodi Nicænæ Canones XX., Antiochenæ XXV., Laodicensis LIX., Sardicensis XXI., Gangrensis XX., Ancyranæ XXV., Neocæsariensis XIV., Constantinopolitanæ VI., Ephesinæ VII., Chalcedonensis XXVII., et S. Basilii LXVIII. Ex his itaque Canonibus Codex Canonum Ecclesiæ Orientalis istis temporibus procul omni dubio constabat. Alioquin enim frustra collecti fuissent. Tantum autem causarum patronum latere non potuit, quinam Canones in desuetudinem abiissent, et quinam vim suam ac vigorem adhuc retinerent, utpote qui in iis recitandis quotidie occupatus esset. Ac proinde, quos ille collegit Canones ecclesiasticos, in Ecclesia tunc dierum obtinuisse, extra dubium est. Verumenimvero in ordine Canonum, quos ille collegit, Apostolici non modo recensentur, sed et primum locum tenent. Quid ita, nisi quod hi ante Nicænæ reliquarumque Synodorum Canones editi crederentur? Quinetiam in ipsa Canonum collectione omnes Canones Apostolici, usque ad ipsum LXXXV., una cum synodalibus commiscentur, indicato insuper ordine ac numero, quem singuli in Codice horum Ecclesiæ primitivæ Canonum etiamnum obtinent. Unde firmissimum exstruitur argumentum, quo opinio nostra de hisce Canonibus omni exceptione superior stabiliatur. Hinc enim constat omnes hosce LXXXV. Canones, qui S. Apostolorum nomen hodie sibi inscriptum habent, eodem plusquam mille abhinc annis titulo insignitos fuisse, et tanti præterea sexto currente seculo in Ecclesia Orientali habitos, ut ipsi Codici Canonum Ecclesiæ universæ non annecti solummodo, sed præponi etiam mererentur: adeo ut novus iste Codex Canonum istis diebus hoc veteri auctus fuerit et præmunitus. Hoc enim ex eo conficitur, quod Joannes, cum adhuc Antiochenus et Scholasticus dicebatur, adeoque priusquam Patriarcha Constantinopolitanus a Justiniano renunciatus est, cum omnes Canones, qui tunc dierum in foro ecclesiastico obtinebant, ad L. titulos reducere suscepisset, omnes hosce S. Apostolorum Canones in collectione sua, inter alios a Synodis recentioribus sancitos, interseruit, atque etiam in præfatione, ubi totum Codicem Canonum tunc obtinentem describit, hosce Apostolicos aliis

quibuscunque anteposuit. Eo nimirum quod in istis, quibus ille usus est, codicibus ita dispositos invenit. Neque enim ille Codicem, cujus Canones distribuit, primus composuisse, vel quosvis ei Canones addidisse censeatur. Hoc nec singulari cuilibet iudici, nedum Scholastico, sive advocato, licuit. Proinde, quos ille in L. titulos distribuit Canones, in Codice longe antea compactos fuisse, eodemque, quem ille describit, ordine digestos, extra controversiam est. Is autem, ut ante observatum est, Justiniano imperante ad sedem C.P. evectus est, longo post tempore quam Canonum Collectionem composuerat. Justinianus imperare cœpit anno æræ Christianæ DXXVI. Ergo istis circiter temporibus hanc Canonum Collectionem in lucem prodiisse certum est. Codex autem Canonum multis ante annis proculdubio constitutus fuit, quam a Joanne Antiocheno in isthanc formam distributus. Nihil autem veri dissimilius esse potest, quam ut Canones quivis, et quidem sub S. Apostolorum nomine, in Codicem Canonum Ecclesiæ universæ reciperentur, nisi inter omnes constitisset eos ab Ecclesia sub isthoc nomine per diu receptos fuisse. Quapropter cum hi Canones, ut patet, diu ante An. Dom. DXXVI., ipsi etiam Codici Canonum ab Ecclesia receptorum non tantum inserti sed prætexti fuerint, nihil dubii superesse potest, quin aliquot ante seculis vulgo cogniti, et ab omnibus approbati fuissent. Eos autem adhuc censere, non ante An. Dom. CCCCLI. publicatos fuisse, usque adeo absurdum est, ut qui illud credat, non ratione, sed præsumpta sui opinione, ducatur necesse est.

IV. Verum Joannes Antiochenus aliud adhuc, illudque invictissimum nobis suppeditat argumentum, quo Canones Apostolicos longe ante ipsius ætatem ab Ecclesia celebratos, et Codici Canonum Ecclesiæ universæ connexos fuisse demonstramus. Enimvero is in præfatione ad suam Canonum collectionem, postquam lectorem certiore fecit quidnam in isto concinnando opere sibi proposuerat, addit subinde se nec solum fuisse nec primum hujusmodi operis conditorem, sed alios invenisse, qui Canonibus ecclesiasticis eandem fere in formam colligendis operam impenderant. Verba ejus dignissima sunt quæ observentur. Sic ergo habent: Οὐκ αὐτοὶ τοῦτο μόνοι καὶ πρῶτοι τῶν ἄλλων ποιῆσαι ὀρμήσαντες, ἀλλ' ἐτέρους εὐρόντες ταῦτα διελόντας εἰς τίτλους ἐξήκοντα, καὶ μήτε τοὺς τοῦ

[Just. Bibl.
Jur. Can.
tom. ii. pp.
500, 501.]

ἀγίου Βασιλείου κανόνας τοῖς ἄλλοις ἐπισυνάψαντας, μήτε δὲ ὁμοία τοῖς ὁμοίοις, ὡς ἔδει, πράγματα συναρμύσαντας. *Cum non ipsi soli et primi inter cæteros ad hoc faciendum incitati fuerimus, sed alios comperiremus ea in titulos sexaginta distribuisse, ac neque S. Basilii Canones cum aliis conjunxisse, neque res similes cum similibus, ut oportebat, composuisse.* Hinc liquet alias Canonum in varios titulos distributorum collectiones, ante eam quam Joannes Antiochenus concinnavit, editas fuisse, et omnes etiam Canones, quos Jo. Antiochenus collegit, in easdem adsumptos esse, præter eos quos S. Basilius sanxerat: ut quos solos hic exceptos habemus. Et in prioribus igitur Canonum collectionibus ante Jo. Antiocheni ætatem elaboratis, Canones Apostolici inter alios collecti sunt. Alioquin enim et illos, æque ac S. Basilii Canones, in iis omissos esse lectorem adinonisset. Quantum temporis inter eas condendas Canonum collectiones, quas Jo. Antiochenus hic commemorat, et eam quam ipse elucubravat, interfuerit, certe determinari nequit. Ex eo autem, quod S. Basilii Canones in iis prætermisos esse notetur, summa ratione colligere est, haud exiguum inter eas temporis spatium interjectum fuisse. Etenim si S. Basilii Canones in Codicem recepti fuissent, cum istæ collectiones edebantur, illi cum aliis haud dubie in iis compacti essent. Doctissimi autem Patris illius Canones in Codicem longe prius, quam in Jo. Antiocheni collectionem, admissos fuisse nemo dubitare potest. Ipsi enim alios colligere Canones, quam qui in Codicem Canonum Ecclesiæ universæ ante recepti fuerant, et nefas esset, et absurdum. Quinetiam de iis hic Canonibus, non ut nuper in Codicem receptis, meminit, sed pro concessio sumit, Codicem jamdudum iis adauctum fuisse, ac proinde priores collectiones mancas et imperfectas esse, eo quod S. Basilii Canones in eis desiderarentur. Nemini ergo dubium esse potest, quin sanctissimi illius viri Canones cum Apostolicis et synodalibus in unum Codicem diu ante conjuncti fuerint, quam a Jo. Antiocheno inter eos collecti sunt. Sed priores istæ collectiones ab eo memoratæ etiam ante S. Basilii Canones in Codicem receptos editæ fuerunt, ac propterea multo ante collectionem a Jo. Antiocheno publicatam. Veruntamen non hic modo, sed et majores ejus, qui Canones in LX. titulos distribuerunt, Apostolicos inter alios Synodorum

Canones collegerunt. Sed nec illi etiam, qui si non longe ante, quinto saltem labente sæculo, vixisse videntur, Apostolicos hosce Canones in collectiones suas inter alios distribuere voluerunt, vel debuerunt, nisi in corpus Canonum ab Ecclesia prius recepti fuissent. Quibus omnibus diligenter pensiculatis, nos in eam potius inclinamus sententiam, quæ omnes hosce S. Apostolorum Canones non modo non incognitos fuisse ante An. Dom. CCCCL., sed et iis circiter diebus Codici Canonum Ecclesiæ universæ annexos esse iudicat. Adeo ut ambo Codices Canonum Ecclesiæ, hic primitivæ, et alter universæ, in uno quasi volumine istis temporibus compingi solerent, ea tamen lege, ut non confunderentur, sed uterque Canones sibi peculiare numeris suis adhuc distinctos haberet. Hoc saltem extra dubium est, Canones hosce Apostolicos, ob venerandam eorum antiquitatem et memorabilem institutionem, tanti istis diebus æstimatos fuisse, ut cum Canones Ecclesiæ in titulos, aut certa quædam capita, distribui cœperint, hi sub ipsorum Apostolorum nomine inter alios collecti fuerint, et familiam duxerint. Quod quidem Patres istius seculi nequicquam admisissent, nisi hosce Canones aliquot ante seculis constitutos, et a maioribus sibi sub isthoc nomine traditos fuisse persuasissimum habuissent, nedum si eos cum Dallæo non ante An. Dom. CCCCLI. a nescio quo tenebrione confictos opinati essent.

V. E præmissis patet, Canones Apostolicos Nomocanoni (quo nomine Codicem Canonum Ecclesiæ universæ appellari usu venit) annexos, vel præfixos potius fuisse ante An. Dom. DXXVI., quo Justinianus imperare cœpit: qui propterea honorificam eorum mentionem fecit, ubi ad Epiphanium Patriarcham Constantinopolitanum, de concordia inter Ecclesiam et imperium constituenda et prosperitate utriusque concilianda, scribens ait, Τοῦτο δὲ ἔσεσθαι πιστεύομεν, εἴπερ ἡ τῶν ἱερῶν κανόνων παρατήρησις φυλάττοιο, ἦν οἱ τε δικαίως ὑμνούμενοι, καὶ προσκυνητοί, καὶ αὐτόπται τοῦ Θεοῦ Λόγου, παραδεδώκασιν Ἀπόστολοι, καὶ ἅγιοι πατέρες ἐφύλαξαν τε καὶ ὑφηγήσαντο. *Hoc autem futurum esse credimus, si sacrorum Canonum observatio custodiatur, quam juste laudati, et adorandi, et ipsius Dei Verbi inspectores, tradiderunt Apostoli, et sancti Patres custodierunt, et expla-*

Justin.
Novel. VI.
[In Præf. J.
Antioch. ad
Nomoc. apud
Just. Bibl.
Jur. Can.
tom. ii. p.
604.]

hic intelligendos, ac propterea eosdem prolixè hic commendatos esse, tanquam ab ipsis Christi Apostolis traditos, ipsum Dallæum habemus confitentem.¹ Quoniam nimirum diffiteri non potuit. Ut missum enim in præsentī faciamus Arabicum istum Nomocanonem in Bibliotheca Oxoniensi reservatum, qui ab ipso Justiniano confirmatus, et Epiphanio Patriarchæ C.P. commendatus dicitur, quo omnes Apostolorum LXXXV. inter alios colliguntur Canones: Joannis Antiocheni collectio illud luculente evincit. Cum Canones enim, quos ille sub S. Apostolorum nomine collegit, iidem prorsus sint, qui sub eodem nunc dierum nomine circumferuntur, nihil dubii esse potest, quin Justinianus, qui verba superius laudata iisdem diebus scripsit, eosdem quos Jo. Antiochenus Canones Apostolorum intellexerit. Neque enim ea ætas, nec ulla omnino antiquitas, alios quam istos Apostolicæ traditioni Canones unquam acceptos retulit. Quibus ipsius Jo. Antiocheni testimonium accedit. Is enim in præfatione ad Nomocanonem hæc ipsa Justiniani verba recitat, ut Canones Apostolicos a se collectos comprobantia. In dicta enim præfatione istiusmodi civiles sanctiones recenset, quibus Canones ecclesiastici confirmati sunt.² Et primo pro Apostolicis, illa Justiniani verba ex Epistola ad Epiphanium transcribit. Pro Synodorum autem Canonibus

De Pseud-
epigr. lib. III.
cap. 2, [p.
424.]

¹ ["Hactenus Justinianus; a quo hos ipsos, quos nunc habemus, LXXXV. Canones intelligi inde constare a Rev. Usserio, [Dissert. ad Ign. cap. vi. pp. 37, 38; apud Cot. Pat. Ap. tom. ii. p. 196, col. 2,] didicimus; primo, quod totidem in Nomocanonem, ab ipso Justiniano confirmatum, et eidem illi Epiphanio commendatum, relatos fuisse fides sit ex Arabico illo Codicis interprete, qui in Oxoniensi Bibliotheca habetur, a Thoma Roe ex Oriente allatus et donatus [MS. Roe. xxvi.]; secundo, quod eosdem quoque Canones LXXXV. alter Nomocanon exhibeat iisdem temporibus, non a Theodoro Cyrensi (quod perperam præferunt nonnulla exemplaria), sed a Joanne Epiphaniensi Scholastico concinnatus; eodem, inquam, illo Joanne, qui Eu-

tychio C.P. Episcopo circa suprema Justiniani Augusti tempora suffectus est."—Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 2, pp. 424, 425.]

² [Εἰς δόξαν τοῦ μεγάλου Θεοῦ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ τὰ νῦν συντιμιμένα τοῖς ἱεροῖς κανόσι, τῶν τε ἁγίων καὶ μακαρίων Ἀποστόλων, καὶ τοῖς ἴχνησι αὐτῶν καθ' ἰκάντην σύνοδον ἀκολουθησάντων ἁγίων πατέρων, μιστήρασμα ἐκ τῶν σποράδην κειμένων ἐκφωνηθεισῶν ὑπὸ τοῦ τῆς θείας λήξεως Ἰουστινιάνου, μετὰ τὸν κώδικα τῶν θείων νιαρῶν διατάξεων, αἵτινες οὐ μόνον τοῖς τῶν ὀρθοδόξων ἡμῶν πατέρων κανόσι ἀκολουθοῦσιν, ἀλλὰ καὶ τὴν ἐκ τῆς βασιλευσῆς ἰσχύος αὐθεντικῶν χαρίζονται.—Jo. Ant. Præf. ad Tit. i. Nomocan.—Just. Bibl. Jur. Can. tom. ii. pp. 603, 604.]

Imperiali auctoritate confirmatis, notissima illa Novellæ CXXXI. verba laudat, quibus idem Imperator Canones a quatuor Œcumenicis Conciliis, Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, et Chalcedonensi, constitutos, legum vicem obtinere sancivit.³ Nemini autem in hujusmodi rebus potius quam Jo. Scholastico credendum est, quippe qui in omnibus legibus et constitutionibus, tam ecclesiasticis quam civilibus, multo magis in iis quæ ipsius ætate promulgatæ sunt, versatissimus fuit.

VI. Cum Canones igitur Apostolici, de quibus hic disputamus, in supra laudatis Justiniani verbis designati sint, ex iisdem videre licet, quanta eorum opinione augustissimus ille Imperator ductus fuit, quidque communis illius ætatis fama de iis censuerit. Imperator enim non suam privatam de iis sententiam protulit, sed eam quam a doctissimis, quos ab omnibus Imperii partibus convocaverat, jurisconsultis edoctus fuerat. Hic autem, ut primo intuitu patet, Canones hosce ab ipsis adorandis Apostolis, qui Ipsum Deum in carne viderunt, Ecclesiæ traditos fuisse, verbis disertissimis affirmavit. Unde manifestum redditur, doctos quosunque istius ætatis viros, in Oriente saltem, in ea fuisse sententia, quod hi Canones non præcedente seculo, nedum adulto, ab impostore aliquo consarcinati, sed tantæ antiquitatis essent, ut ipsis Domini Apostolis merito adscriberentur. Adhæc Imperator hos Canones a Patribus custoditos fuisse et explanatos asserit, quod tamen fieri nequaquam potuit, nisi longe ante tempus eorum editioni a Dallæo assignatum exstitissent, et vulgo noti fuissent. Cuinam autem, obsecro, major habenda est fides, ei, qui mille post annos natus, et multo majori eorum, quæ a primitiva Ecclesia scripta sunt, parte destitutus est, an illustrissimo pariter atque eruditissimo Imperatori Justiniano, qui sexto claruit post Christum incarnatum seculo, et vetustissima Ecclesiæ monumenta, quorum plurima nunc interciderunt, penes se habuit, et doctos undequaque

³ [Θισσιζοµεν τοίνυν τάξιν νόμων ἐπί-
χριν τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς κανόνας ὑπὸ
τῶν ἁγίων ὃ συνόδων ἐπιτιθέντας, ἢ βι-
βαιωθέντας· τουτίστι τοὺς ἐν Νικαίᾳ τῶν
τιῆ καὶ τοὺς ἐν Κωνσταντινουπόλει τῶν
ἐν πατέρων καὶ τῆς ἐν Ἐφίση πρώτης,
ἐν ἡ Νισσηόριος κατεκρίθη καὶ τοὺς ἐν

Καρχηδόνι ὁμοίως· τῶν γὰρ προσηρημένων
ὃ ἁγίων συνόδων τὰ δόγματα καθάπερ τὰς
θείας γραφῆς διχόµητα, καὶ τοὺς κανόνας
ὡς νόµους φυλάτταµεν. — Justin. Nov.
cxxx. cap. i. apud Jo. Ant. Præf. ad
Tit. i. Nomocan. — Just. Bibl. Jur.
Can. tom. ii. pp. 604, 605.]

viros eo tantum nomine congregavit, ut ipsum de moribus ac institutis tam Ecclesiæ quam imperii certiores facerent? Nullus dubito, quin, ipso etiam adversario iudice, palma Imperatori deferretur. Hic autem Patres, eos scilicet, qui longe ante ipsius ætatem in Ecclesia præsiderant, Apostolicos hosce Canones et custodisse et explanasse asseverat. Quod si ab ipsis Justiniani, ætatis respectu, Patribus sive majoribus observati fuerint, eos aliquot saltem ante ejus ætatem seculis constitutos fuisse necesse est. Adeo, ut quicquid hæc infima nostra, et antiquitati nimis invida, ætas de Canonibus Apostolorum sentiat, felicior illa puriorque, quæ nostram mille præcessit annis, eos a viris saltem Apostolicis sancitos, et a primitivæ Ecclesiæ Patribus laudatos fuisse et custoditos nobiscum consensit.

VII. Cum itaque Codex Canonum Ecclesiæ primitivæ cum altero Ecclesiæ universæ synodali haud dubie constitutione ita coaluerit, et cum eodem postea Imperiali auctoritate confirmatus fuerit, ab isthoc demum tempore ambo unum illum Codicem Ecclesiæ Orientalis constituerunt; quippe quem post isthæc tempora ex ambobus compositum fuisse certissimum est. A sexto enim, eoque ineunte, seculo nullum invenire est Codicem Canonum Ecclesiæ Orientalis Apostolicis non præmunitum. Quo evenit, ut proximo, sive septimo, labente seculo, Synodus Trullana dicta, ut in Trullo Palatii Constantinopolitani habita, totum Codicem Canonum ab Ecclesia Orientali receptorum confirmans, omnesque in eundem collectos Canones recensens, Apostolicos primo in loco memorat, ut aliis semper præponi solitos. Secundus etenim ab ista Synodo constitutus Canon sic incipit: "Εδοξε δὲ καὶ τοῦτο τῇ ἁγίᾳ ταύτῃ συνόδῳ κάλλιστά τε καὶ σπουδαιότατα, ὥστε μένειν καὶ ἀπὸ τοῦ νῦν βεβαίους καὶ ἀσφαλεῖς, πρὸς ψυχῶν θεραπείαν, καὶ ἰατρείαν παθῶν, τοὺς ὑπὸ τῶν πρὸ ἡμῶν ἁγίων καὶ μακαρίων πατέρων δεχθέντας, καὶ κυρωθέντας, ἀλλὰ μὴν καὶ παραδοθέντας ἡμῖν ὀνόματι τῶν ἁγίων καὶ ἐνδόξων Ἀποστόλων, ὀγδοήκοντα πέντε κανόνας. *Hoc quoque huic sanctæ Synodo pulcherrime et honestissime placuit, ut ab hoc nunc tempore deinceps ad animarum medelam, et perturbationum curationem, firmi stablesque maneant, qui a sanctis et beatis Patribus, qui nos præcesserunt, suscepti et confirmati sunt, atque adeo nobis etiam traditi sanctorum et gloriosorum Apostolorum nomine,*

[Pan. Can.
tom. i. p. 158,
B, C.]

octoginta quinque Canones. Ita enim legendum esse hunc locum, in Annotationibus ad eundem e MSS. codicibus ostendimus.⁴ Ubi primo videre est, ut hæc magna sane, si non Œcumenica, Synodus omnes hosce LXXXV. Canones a sanctis beatisque, qui præcesserant, Patribus et receptos fuisse et confirmatos, definite asseruerit: ut nemo dubius hæsitet, quin synodali auctoritate multis ante hanc Synodum annis muniti fuissent. Observetur insuper velim, hosce Canones hoc in loco nec Ἀποστολικούς, nec τῶν ἁγίων Ἀποστόλων appellari, sed tantum παραδοθέντας ἡμῖν ἰνόματι τῶν ἁγίων καὶ ἐνδόξων Ἀποστόλων. Unde constat plurimos illos, qui in hac Synodo congregati sunt, Patres eandem de his Canonibus sententiam tenuisse, quam nos amplexi sumus et defendimus, eos nimirum a primitiva Ecclesia sancitos, ab antiquis ejusdem Patribus receptos, laudatos, et confirmatos fuisse, sed nihilominus non ab ipsis Christi Apostolis constitutos editosve, sed eorum tantum nomine posteritati traditos. Adeo, ut licet S. Apostolorum nomen, hujus etiam Concilii diebus, hisce Canonibus inscriptum esset, Synodus tamen non ab iis, quorum nomen præferabant, sed ab antiquis Ecclesiæ Patribus, viris Apostolicis, conditos, et S. Apostolorum, ut quorum doctrinæ et traditionibus consentanei visi sint, nomine publicatos arbitrata sit. Quod quidem nobis verissimum videtur.

VIII. Post Synodum istam in Trullo celebratam, Ecclesia Orientalis pro horum Canonum auctoritate acerrime contendit. Etiam si enim nonnulli, quos inter Photius Patriarcha C.P. recenseatur, dubitaverint nonnumquam, an ab ipsis Apostolis sanciti fuerint, nemo tamen summam eorum

⁴ [" In prioribus, tam Zonaræ, [p. 131, Par. 1618,] quam Balsamonis, [p. 362, Par. 1620,] editionibus, hic locus sic lectus fuit, Τοὺς ὑπὸ τῶν πρὸ ἡμῶν ἁγίων καὶ ἐνδόξων Ἀποστόλων ὀγδοήκοντα πέντε κανόνας. Adeo ut nos, post πρὸ ἡμῶν ἁγίων, hæc verba καὶ μακαρίων πατέρων διχθέντας καὶ κερωθέντας, ἀλλὰ μὴν καὶ παραδοθέντας ἡμῖν ἰνόματι τῶν ἁγίων καὶ, ex MS. Bodleiano restituimus. Leguntur autem et in Etonensi et Amerbachiano MSS., nec-

non in eo quem Gentianus Hervetus Latine vertit, uti ex ipsius versione [ap. Bals. ut supra] constat; ubi etiam observare licet, Patres Trullanos hos Canones, a se confirmatos, neque Apostolicos, neque τοὺς τῶν Ἀποστόλων κανόνας appellare; sed tantum παραδοθέντας ἡμῖν ἰνόματι τῶν ἁγίων καὶ ἐνδόξων Ἀποστόλων."—Annot. in Can. ii. Trull.—Annot. in Pan. Can. p. 127, ad calc. tom. ii.]

in ecclesiasticis causis dijudicandis auctoritatem negare ausus est. Sed hi, æque ac reliqui a Synodis constituti, Canones firmi stabilesque ab istis usque temporibus perpetuo permanserunt: a nemine unquam in controversiam vocati, propterea quod ab universali Concilio, ut ipsis visum est, confirmati sunt. Quamcunque enim supremæ Romani Præsulis auctoritatis assertores de isthac Synodo opinionem imbiberunt, Ecclesia Orientalis eam pro Œcumenica semper habuit: eo quod seipsam *οἰκουμένην συνόδον* Canone tertio alibique⁵ appellet, quodque omnes Patriarchæ, vel per se, vel per legatos suos, eidem interfuerint, ut in Annotationibus fusius ostendimus.⁶ Quibus etiam invictissimum, ad hominem saltem, argumentum e secundo Nicæno Concilio adjiciatur. Ipsi enim, qui istum Trullanæ Synodo honorem denegant, Nicænam secundam universalem fuisse Synodum omni asseveratione affirmant, et pro summa ejus in Ecclesia auctoritate, tanquam pro aris et focus, dimicant. Verum-

[Pan. Can. tom. i. p. 159, E.]

⁵ [In oratione scilicet dedicatoria ad Justinian. Imp.—Pan. Can. tom. i. pp. 152, A, 153, D, et Canone li. ib. p. 218, B.]

⁶ [“Alterum argumentum, quo Balsamon Latinorum, ut vocat, objectionem præveniens, hanc universalem fuisse Synodum probat, est, quod non solum reliqui Patriarchæ, verum ipse etiam Papa Romanus per legatos suos eidem intererat. Dicit enim se in antiquis Nomocanonis invenisse Basilium Gortynæ Metropolitanum, et quendam Ravennæ Episcopum, totius Synodi Romanæ vicem gerentes, et ipsos quoque Papæ legatos, Episcopos nimirum Thessalonicæ, Sardinæ, Heracleæ, et Corinthi, præsentés adfuisse. Et quidem Basilium Gortynæ Metropolitanum, Synodi Romanæ vicem gerentem, ei interfuisse, et Canonibus hisce subscripsisse, extra dubium est, cum in ipsis subscriptionibus, Canonibus hisce in actis Conciliorum annexis, diserte dicatur, *Βασίλειος ἐπίσκοπος τῆς Γερτυνίας μητροπόλεως, τῆς φιλαρχίστου Κρήτης νήσου, καὶ τὸν τόπον ἐπίχων πάσης τῆς συνόδου τῆς ἁγίας ἐκκλησίας Ῥώμης*

ἰδίως ἐπίγραψα. [Conc. tom. vi. col. 1187.] Legatos etiam Episcopi Romani eidem interfuisse, Anastasius Bibliothecarius, qui Episcoporum Romanorum vitas conscripsit, attestatur, dicens, in vita Sergii I.: *Hujus itaque temporibus Justinianus Imp. Concilium in Regia urbe jussit fieri, in quo et legati sedis Apostolicæ convenerant, et decepti subscripserant.* [Conc. tom. vi. col. 1290.] Utcunque igitur decepti fuerint, eos et adfuisse et subscripsisse certum est. Ipse, fateor, Sergius Papa Romanus Canonibus subscribere recusavit, ut Anastasius ibidem ait, *Compellebat, et ipse (Sergius) subscribere, sed nullatenus acquievit.* Verum hic eo tantum nomine subscribere renuit, quod nonnulli in iis Ecclesiæ Romanæ errores detecti sint et condemnati. Aliter enim et ipse proculdubio subscripsisset, et omnes Ecclesiæ illius asseclæ Œcumenicam huic Synodo auctoritatem libenter attribuissent.”—Annot. in Can. Trull.—Annot. in Pan. Can. p. 126, ad calc. tom. ii.]

enimvero eadem ista Nicææ secundo coacta Synodus Canones a Trullana, tanquam ab universali, Synodo definitos approbat. Hæc enim in primo istius Concilii Canone habemus: Ἀσπασίως τοὺς θείους κανόνας ἐνστερνιζόμεθα, καὶ ὀλόκληρον τὴν αὐτῶν διαπαγὴν καὶ ἀσάλευτον κρατούμεν, τῶν ἐκτεθέντων ὑπὸ τῶν ἁγίων σαλπίγγων τοῦ Πνεύματος, τῶν πανευφήμεων Ἀποστόλων, τῶν τε ἕξ ἁγίων οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ τῶν τοπικῶς συναθροισθειῶν ἐπὶ ἐκδόσει τοιοῦτων διαταγμάτων, καὶ τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν. *Divinos Canones lubenter amplectimur, eorumque constitutionem integram et illabefactum confirmamus, qui editi fuerunt a sanctis Spiritus tubis, summa laude celebrandis Apostolis, et a sex sanctis universalibus Synodis, iisque, quæ ad ejusmodi decretorum editionem localiter coactæ fuerunt, et a nostris sanctis Patribus.* Hic Canones a sex universalibus Conciliis editi asseruntur pariter et confirmantur. Neminem vero fugit quintam sextamque Synodum nullos edidisse Canones, nisi Trullani iis adscribantur. Cum autem Patres Nicæni hoc in loco Canones a sex Œcumenicis Conciliis editos diserte confirment, necessario exinde conficitur, hujus Nicænæ Synodi et tempore, et judicio, Trullanum *πενθέκτην* habitam fuisse, cujus nimirum sanctiones ad utramque, quintam et sextam, referantur, ut eadem, huic atque illis, utrisque Synodis auctoritas asseratur. Nihil saltem apertius esse potest, quam Canones Trullanos hoc in loco confirmatos esse, quorum propterea octogesimum secundum Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus, in ipsa hac Nicæna Synodo laudavit, eundemque a sexta universali Synodo constitutum esse probavit, ut in annotationibus ad dictum Canonem demonstravimus.⁷ Ac proinde mirum

Syn. Nic.
II. can. i.
[Pan. Can.
tom. i. p. 284,
E.]

⁷ [“Hic Canon in Actis Concilii Nicæni secundi citatur, ut octogesimus secundus sextæ Œcumenicæ Synodi, et siquidem nonnulli dubitabant utrum a sexta illa Synodo editus fuerit, necne, Tarasius Patriarcha C.P. dicebat, Τινὲς ἄγνοιοι νοσοῦντες εἰς τοὺς κανόνας τούτους σκανδαλίζονται, φάσκοντες, ἄραγε τῆς ἑκτῆς συνόδου εἰσιν; γινωσκίτωσαν δὲ οἱ τοιοῦτοι, ὡς ὅτι ἡ ἁγία μεγάλη ἑκτη σύνοδος ἐπὶ Κωνσταντίνου συνεκροτήθη κατὰ τῶν μίαν λεγόντων ἐνέργειαν καὶ βίλησιν ἐπὶ Χριστοῦ, οἱ τινες τοὺς αἰρετικούς ἀνθεμάτιαι, καὶ τὴν ἐρῆδοξον διατρανώσαντες;

πίστιν οἰκαδὲ ἀνιχώρησαν, κατὰ τὸ τίσσα-
ρισκαδικατον ἴτος Κωνσταντίνου’ μιτὰ
γούν τίσσαρα ἢ πέντε ἴτη οἱ αὐτοὶ πατέρες
συναθροισθέντες ἐπὶ Ἰουστινιάνου υἱοῦ Κων-
σταντίνου τοὺς προδηλωμένους κανόνας
ἐκτιθέικασιν, καὶ μηδὲς ἀμφιβαλλίτω περὶ
αὐτῶν’ οἱ γὰρ ὑπαγοράψαντες ἐπὶ Κων-
σταντίνου, οἱ αὐτοὶ καὶ ἐπὶ Ἰουστινιάνου
τῷ παρόντι χάρτη ὑπέγραψαν, ὡς ἄλλοι
καθίσταται ἐκ τῆς αὐτῶν ἰδιοχείρου ἀπαρ-
αλλάκτου ὁμοίτητος’ ἴδει γὰρ αὐτοὺς
σύνοδον οἰκουμηνικὴν ἀποφῆναντας καὶ
κανόνας ἐκκλησιαστικούς ἐκθέσθαι.—Act.
Syn. Nic. II. Act. iv. [Conc. tom. vii.

nemini esse debet, quod Canones Apostolici tanta apud Ecclesiam Orientalem auctoritate donati sint, cum ipsi a Canonibus Trullanis, et Trullani Canones a Nicæna secunda, universali judicata Synodo, confirmati fuerint. Præcipue cum hi Canones etiam nominatim, et seorsim ab aliis, a Nicæna ista, æque ac a Trullana Synodo stabiliantur: ut satis mirari nequeam, qua tandem fronte quispiam Nicænam istam Synodum approbet, et tamen Canones Apostolorum ab ea diserte confirmatos rejiciat. Si quid enim aliud ab ea constitutum, primus haud dubie, quo Apostolici confirmantur, Canon valere debet.

col. 234.] His a Tarasio dictis nemo contradicebat. Unde palam conficitur, præsens Concilium tunc temporis pro Œcumenico habitum fuisse, idque non a Tarasio solo, sed ab universa ista

Synodo Nicææ secundo habita. Quod quidem insigne est argumentum pro universali ejus auctoritate."—Annot. ad Can. Trull. lxxxii.—Annot. ad Pan. Can. p. 162, ad calc. tom. ii.]

CAPUT IX.

Synopsis.

- I. Ἀνακεφαλαίωσις argumentorum, quibus nostra de Canonum Apost. antiquitate sententia innititur.
- II. Adversariorum de ea re sententia Gelasii P. R. decreto præcipue fundatur.
- III. Nihil certi ex isto decreto inferri potest. Non liquet saltem Canones Apost. in eo antiquitus memoratos fuisse. Hincmarus Remensis contrarium asseruit.
- IV. Dallæana verbi 'misit' cum 'omisit' in Hincmaro commutatio, quam absurda sit, et frustranea.
- V. Aliis contra Hincmari verba exceptionibus respondetur.
- VI. Ut Observator particulam 'nec' in iisdem Hincmari verbis transposuit, quo ad suas ea partes trahat, quod absurdissimum esse ostenditur.
- VII. Etsi demus Gelasium Canones Apost. inter Apocryphos rejecisse, nihil ex eo contra nostram de iis sententiam concludi potest.

I. HÆC sunt illa veterum testimonia, hæcque argumenta ex iis petita, quibus inducti sumus, ut Canones Apostolorum vulgo dictos non quinto tantum, eoque adulto, ut opinatus est Dallæus, sed secundo vel tertio saltem, post Christum cœlitus nobis dimissum, seculo, sancitos editosque fuisse firmiter credamus, et publice profiteamur. Cum quarto enim currente, quintoque ineunte seculo hi Canones a doctissimis Ecclesiæ Patribus Synodisque, tam Œcumenicis, quam provincialibus, nunc sub ecclesiasticorum, nunc sub antiquorum, nunc etiam sub ipso Apostolorum nomine commemorantur, et laudentur; cum Canones ab ipsis commemorati et laudati exeunte quinto, vel ineunte sexto seculo, inter alios a Synodis divulgatos Canones totidem verbis collecti fuerint, et ab Ecclesia Orientali in usum publicum

recepti; cum eodem currente seculo a peritissimo omnium, tam ecclesiasticarum, quam civilium, legum Imperatore Justiniano rati habeantur, cum magna deinde, et a multis approbata, Concilia Trullanum et Nicænum II. eosdem sua etiam auctoritate confirmarint; cum hæc, inquam, ita se habeant, quis in posterum suspicari potest, hos Canones quinto tantum inclinato seculo primum exstitisse, aut publicari cœpisse? Quis sibi persuadeat hanc non antiquissimam esse Canonum collectionem, quæ post S. Apostolos in Ecclesia Christiana unquam obtinuit? Quis potius pro certo non habeat, Apostolicos hosce Canones longe prius conditos quam laudatos fuisse, ac propterea tertio saltem currente, si non secundo labente, seculo in lucem prodiiisse, et idcirco S. Apostolorum nomine insignitos, quod a viris Apostolicis sanciti, ac proinde adeo antiqui fuerint, ut ab ipsis Christi Apostolis vel a proximis eorum in Ecclesiæ administratione successoribus traditi videantur? Si quis sane adhuc argumenta desiderat, quibus ad nostram de horum Canonum antiquitate sententiam perducatur, idem omnem omnibus veteris Ecclesiæ monumentis fidem demat, vel omnia saltem ad præconceptam suam opinionem summa injuria pariter ac violentia torqueat et pervertat, necesse est.

II. Sed aliter opinatus est vir Cl. Jo. Dallæus, aliter etiam anonymus Observator. Is enim hos Canones non ante An. Dom. CCCCLI. confictos fuisse editosque contendit: et alter propterea, ejusdem vestigiis insistens, eandem opinionem tueri ac defendere conatus est. Videamus igitur quid uterque contra testimonia a nobis allata, vel potius contra nonnulla eorum (omnia enim non viderunt, saltem non considerarunt) vel excogitarint, vel sibi excogitasse visi sint. Primo autem V. Cl. Dallæus unum Gelasii Pontificis Romani decretum a Synodo LXX. Episcoporum Anno Dom. CCCXCIV. sub eo Romæ habita publicatum, omnibus, quæcunque pro Canonum Apostolicorum antiquitate afferri possunt, argumentis præponderare arbitratus est.¹

De Pseudep.
lib. iii. capp.
3, 4, [pp. 436-
482.]

¹ [“ Jam ergo profligatis, quæcunque ad hunc locum a Turriano, Bellarminoque et Baronio objecta vel excogitata sunt, firmum ac verum stat Gelasii in Romana LXX. Episcoporum Synodo

decretum, *Liber Canonum Apostolicorum Apocryphus*. Unde clarum certumque fit, primo Dionysium Exiguum quinquaginta Apostolorum Canones a se in Græcis exemplaribus inventos,

Nimirum Gelasius P. R. anno Domini supradicto Concilium celebrasse, et in eo decretum de libris ecclesiasticis recipiendis et non recipiendis edidisse perhibetur. In hoc decreto, post recensitos Veteris Novique Testamenti libros Canonicos, nonnulla ex antiquis Ecclesiæ primitivæ monumentis commemorantur, ut Synodorum Nicænæ, Constantinopolitanæ, Ephesinæ, Chalcedonensis, item S. Patrum Cypriani, Athanasii, Gregorii Nazienzeni, Basili Cappadociæ, et aliorum complurium, quæ *sancta*, ut in decreti initio dicitur, *Romana Ecclesia suscipi non prohibet*. Posthæc ad notitiam pergit librorum Apocryphorum, qui non recipiantur. *Cæterum* [*Cætera*], inquit, *quæ ab hæreticis sive schismaticis conscripta vel prædicata sunt, nullatenus recipit Catholica et Apostolica Romana Ecclesia; e quibus pauca, quæ ad memoriam venerunt, et a Catholicis vitanda sunt, credimus esse subdenda*. Inter hæc autem scripta ab Ecclesia Romana repudiata, ac Apocrypha idcirco dicta, Canones Apostolorum numerantur his verbis, *Liber Canonum Apostolorum Apocryphus*. Hinc itaque colligit vir doctissimus hunc Canonum Apostolorum librum ab hæretico aliquo tenebrione, et impostore confictum esse, idque paucis ante illud tempus annis.²

[Conc. tom. iv. col. 1262, B.]

[Ibid. col. 1264, B.]

[Ibid. col. 1265, B.]
Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 21, [p. 686.]

temere ac inscite, et præter disertissimam Episcopi Conciliique Romani sententiam, ecclesiastico Codici primum omnium inseruisse; multo pejus atque periculosius paulo post peccasse Justinianum et Joannem e Scholasticis, qui eundem Canonum Apostolicorum librum, et quidem triginta quinque capitulis auctiorem, in publicum Nomocanonem retulerunt; gravissime omnium peccasse Damascenum, qui non modo falsos et nuperos, sed etiam a Papa et Concilio Romano damnatos Canones divinis libris, per intolerabilem planeque sacrilegam audaciam, exæquavit; peccasse et Trullanos Patres, qui eundem librum firmare et auctoritate summa donare non dubitarunt; eodemque in flagitio hære reliquos omnes Græcos, qui hujus Synodi placita sequuntur; errasse postremo Leonem IV. et Nicolaum I. et cæteros Latinos, quotquot

Dionysiacæ collectionis specie decepti, adversus sacra canitie veneranda Gelasii et majorum statuta, ac contra luculentissimam Isidori Hispalensis admonitionem, damnatos, qui Apostolorum dicuntur, Canones inter ecclesiasticas regulas habere ac recensere ausi sunt. Horum omnium, quotcunque ac quantumcunque de cætero sint, auctoritatem omnem obterit antiquius Gelasii Romanæque Synodi decretum; neque ullis posterorum sententiis convalescere possunt, quæ jam tot ante sæculis legitimo ac canonico, non Romani modo Præsulis, et quidem ejus, qui inter sapientissimos habetur, sed et Romanæ, et quidem LXX. Episcoporum, Synodi statuto convulsa, et ex Ecclesiæ Catholicæ finibus exterminata fuerunt." —Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 4, pp. 479–481.]

² ["Posteriorum vero (eam collecti-

III. Sed contra hoc palmarium ejus et ubique jactitatum argumentum quamplurima occurrunt, quæ reponi possunt. Primo enim incertum est, utrum talis unquam Synodus sub Gelasio habita fuerit. Sane doctissimus vir, Jo. Pearsonius, Episcopus Cestrensis, contrarium veri multo similius reddidit. Incertum etiam, an tale unquam a Gelasio editum sit decretum, cum nemo istius meminerit ante trecentimum post Gelasii obitum annum. Et si demus Gelasium de libris recipiendis et non recipiendis decretum aliquod edidisse, incertum tamen est, utrum ista verba, *Liber Canonum Apostolorum Apocryphus*, eidem ab eo inserta fuerint. In Justelli enim aliisque codicibus MSS. desiderantur. Quinetiam Hincmarus Remensis, qui primus (vel saltem e primis) fuit, qui Gelasiani hujus decreti mentionem fecit, Canones Apostolorum in eo non memoratos fuisse asserit. Verba ejus, quoniam mirum in modum ab adversariis ugentur, et pervertuntur, transcribere non pigebit: *Sed et Beatus, inquit, Gelasius, in Catalogo, qui libri ab Ecclesia Catholica recipiantur, descripto, authenticis Scripturis, et Nicænæ, Constantinopolitanæ, ac Ephesinæ, Chalcedonensis quoque Synodi, et aliis Conciliis a sanctis Patribus institutis, et orthodoxorum opusculis, atque decretalibus Epistolis Apostolicæ sedis Pontificum, aliisque Scripturis discrete commemoratis, de his Apostolorum Canonibus penitus tacuit, sed nec inter Apocrypha eos misit.* Qui hæc verba legit, primo intuitu videat, Hincmarum in Gelasii decreto duas observasse librorum classes, quarum prima authenticæ Scripturæ, Conciliorum Acta, Patrum orthodoxorum opuscula, et Pontificum Romanorum decreta ab Ecclesia recepta commemorantur, in altera autem Apocrypha, sive libri ab Ecclesia Romana non recepti. In neutra autem classe Canones Apostolorum a Gelasio memoratos scribit, non in prima, ut ubi, *de his, inquit, Apostolorum Canonibus penitus tacuit; nec in secunda, addit enim, sed nec*

In Vindic.
Epist. Ignat.
lib. 1 cap. 4.
[Cotel. Pat.
Ap. tom. II.
pp. 276-280.]

Hincm.
Rem. adv.
Hincm.
Laud. Opusc.
[xxiii.] cap.
24. [Op. tom.
II. p. 474.]

onem quinto exeunte seculo jam extitisse) ex Gelasii decreto, A.D. CCCXCIV. facta, patet; in quo scilicet ea collectio damnata est. Ergo paucis ante illud tempus annis ab homine hæretico, Græci generis, consarcinatam fuisse probabile est, et in L. tantum

Canones digestam mox paucis post editum Dionysii Codicem annis apud Græcos triginta quinque Canonibus, vel ab eodem, vel ab ejusdem certe spiritus impostore auctam esse."—Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 21, p. 686.]

inter Apocrypha eos misit. Quibus Gelasio verbis nihil planius, nihil disertius efferrī potest. Iis enim, Canones Apostolorum nec inter orthodoxa, nec inter Apocrypha scripta, a Gelasio recensitos esse, clarissime asseritur.

IV. Sed quomocunque hæc verba Hincmari sonent, necessarium adversariis nostris visum est, ut is Canones Apostolorum a Gelasio damnatos legerit, idque hoc in loco affirmarit, ne aliter unicum totius disputationis fundamentum corrueret. At verba, ut ab ipso Hincmaro prolata, et in omnibus codicibus constanter lecta, contrarium prorsus enunciant. Quid itaque faciendum est? Sane causa ab iis suscepta necessario flagitat, ut verba illa vel commutentur, vel transponantur. Transpositio Observatori, sed Jo. Dal-læo commutatio magis arrisit: hic enim verbum 'misit' cum 'omisit,' album scilicet cum nigro, calidum cum frigido, verum cum falso commutandum censuit. Sic enim ille post recitata hæc Hincmari verba, *Hactenus Hincmarus, cujus ultima illa verba 'Sed nec inter Apocryphos eos misit,' vel memoriæ lapsu imprudenti exciderunt, vel certe mendosa sunt, et, restituito verbo 'omisit,' pro eo quod in codicibus vulgatis legitur 'misit,' corrigenda, ut ita scripserit Hincmarus, 'Sed nec inter Apocrypha eos omisit.'* Verum, si quod veteres dixerunt, memoriæ lapsu iis imprudentibus excidisse admittamus, vel verba ab ipsis usitata obliterare, aliaque eorum loco pro suo cujusque arbitrio hunc in modum substituere liceat, superfluum foret opus ab eodem auctore editum, 'De Vero Usu Patrum,' nulli enim usui esset. Et præterea non animadvertit doctissimus vir, ut sensus ejus ex istis verbis extorqueatur, non modo verbum 'misit' in 'omisit,' sed et particulam 'nec' in 'non' necessario immutandam esse, ut sic scriberetur, *De his Apostolorum Canonibus penitus tacuit, sed non inter Apocrypha eos omisit.* Nam particula 'nec' hæc ultima cum præcedentibus verbis connectit, significatque Gelasium nec inter Catholica nec inter Apocrypha scripta Canones Apostolorum misisse, sive commemorasse. Quin proxima etiam Hincmari verba liquido demonstrant, eum Canones Apostolorum inter Apocrypha a Gelasio damnatos non legisse, post illa enim verba, *sed nec inter Apocrypha eos misit,* proxime subdit, *Quapropter in lectione illorum (Canonum), sequenda est cautela ab eodem S. Gelasio præmonita, Cum*

Dall. de
Pseud. lib. iii.
cap. 3, [p.
438.]

[Hinc. Rem.
adv. Hinc.
Laud. Opusc.
xxxiii. cap.
24. Op. tom.
ii. p. 474.]

hæc, inquit, ad Catholicorum manus advenerint, Beati Pauli Apostoli præcedat sententia, qua dicit, 'Omnia probate, quod bonum est tenete.' Hæc enim verba a Gelasio adhibentur, non de Apocryphis, sed de nonnullis ex orthodoxis istis scriptis, quæ Ecclesia Catholica rêcepit, inter quæ recenset scripta de inventione S. Crucis Dominicæ, et alia scripta de inventione capitis B. Joannis Baptistæ, quas quidem novellas revelationes vocat, sed nonnullos eas Catholicos legere affirmat, et tunc cautelam istam adhibet, *sed cum hæc ad Catholicorum manus pervenerint,*³ etc. Eos autem, quos Apocryphos vocat libros, nullatenus recipiendos, sed omnimodo sine ulla cautela aut exceptione Ecclesia eliminandos, ac a nemine propterea legendos esse pronunciat. Cum igitur Hincmarus ista Gelasii verba de Canonibus Apostolorum adhibeat, tantum abest ut eos inter Apocrypha a Gelasio damnatos invenerit, ut eos, si ullibi, inter scripta Catholica a Gelasio numerandos esse judicaret, ubi scilicet istam adhibet cautelam, ut cum ad Catholicorum manus advenerint, B. Pauli præcedat sententia, 'Omnia probate, quod bonum est tenete.' Unde simul conficitur Hincmarum in ea fuisse sententia, quod hi Canones non inter Apocryphos sive non recipiendos, sed inter orthodoxos et ab Ecclesia receptos libros recenseantur, et ab omnibus Catholicis legantur cum cautela ista ante dicta, utpote, in quibus, ut paulo ante ipse dixerat Hincmarus, *Quædam receptibilia, quædam vero sunt non servanda.*

V. Cum itaque adeo certum et cuique obvium sit, Hincmarum Remensem Canones Apostolorum in Gelasii decreto non legisse, nedum rejectos et damnatos invenisse, mirum cuiquam videatur, qua ratione doctissimus vir Jo. Dallæus inductus fuerit, ut disertissima illa Hincmari verba tam violenta correctione, vel subversione potius, immutanda esse censeret. Eam autem, qualis qualis est, ipse, statim ut vim istam sancto doctoque Remensi Archiepiscopo intulerat, his verbis conceptam exhibet, *Nam, inquit, Gelasius quidem, quin eos Canones inter Apocrypha miserit, hoc est, relegarit, vel rejecerit, vel, ex illius seculi idiotismo, posuerit, ac collocaverit,*

[Conc. tom. iv. col. 1263, D.]

[De Pseud. lib. iii. cap. 3, p. 438.]

³ ["Novellæ quædam relationes Sed cum hæc," etc.—E Decr. Gel. sunt, et nonnulli eas Catholici legunt. Papæ. Conc. tom. iv. col. 1263, D.]

nemo dubitare potest, qui nuper a nobis recitatum Gelasii decretum legerit. Nimirum, si Dallæo credamus Hincmarum Canones Apostolorum inter Apocrypha a Gelasio rejectos legisse, exinde necessario sequitur, quod nostris diebus hæc verba, *Liber Canonum Apostolorum Apocryphus*, in eodem decreto inveniantur. Verum hoc illud est quod quæritur, ac proinde non præsumere debuit, sed probare ista verba antiquitus, et Hincmari ipsius ætate, et in ipso Gelasiani decreti codice, quo usus est Hincmarus, inserta fuisse: aliter nemini unquam persuadebit Hincmarum vidisse Canones Apostolorum inter Apocrypha a Gelasio missos, cum ipse Hincmarus illud verbis conceptis negaverit. Sed addit vir doctus, *ipsum Hincmarum, apud Turrianum quidem certe, in illo, cujus pars sunt verba ejus superius allata, De variis capitulis ecclesiasticis libro, diserte affirmare, Canones Apostolorum a Gelasio in Apocryphorum classem rejectos esse.* Verumenimvero, quicquid apud Turrianum, cui nos majorem quam ipse Dallæus fidem non debemus, tanquam ex Hincmaro citatum exstet, cum illud in omnibus doctissimi illius præsulis Remensis operibus nusquam affirmatum habeamus, sed contrarium prorsus, in verbis ejus superius a nobis transcriptis, indignum prorsus fuit quod a Dallæo recitaretur. Neque enim ipse fidem ei habere potuit.

[Dall. de Pseud. lib. III. cap. 3, p. 438.]
[Pro Cann. Ap. lib. I. cap. 15, p. 57.]

VI. Sed eruditus Observator alio usus est artificio, quo Hincmari verba ad suum, quem nunquam ferent, sensum pervertat. Rejecta enim correctione Dallæana, voculæ ‘nec’ transpositio ei magis placuit.⁴ Enimvero cum ista, de quibus disputamus, verba in omnibus Hincmari codicibus sic legantur, *De his Apostolorum Canonibus penitus tacuit, sed nec inter Apocrypha eos misit*, is particulam ‘nec’ in loco non suo positam, et initio horum verborum reponendam esse,

Observat. in prior. Vindic. part. [cap. XI.] p. 56.

⁴ [“Unius voculæ ‘nec’ transpositio verborum istorum sensum turbavit, quem facillime restitues, si voculam illam suo reponas loco, et totam Hincmari observationem uno tenore legas hoc modo: *Sed et Beatus Gelasius, etc., (ut antea) commemoratis. Nec de his Apostolorum Canonibus penitus tacuit, sed inter Apocrypha eos misit.* Id est rejectit, et relegavit, et quoniam

Hincmarus dixerat quædam in illis esse receptabilia, et quædam non servanda, et seorsim ante Concilia ad instructionem poni solitos, hanc Gelasii cautelam, dum leguntur, adhiberi præcipit, *Omnia probate, quod bonum est tenete.* Jam, ut quis videt,” etc.—Observat. in prior. Vind. partem, cap. xi. pp. 55, 56.]

nescio an opinatus est dicam, an somniavit, ut verba hunc in modum legantur: *Nec de his Apostolorum Canonibus penitus tacuit, sed inter Apocrypha eos misit.* Quod si miris, et antehac inauditis, hujusmodi vocularum transpositionibus indulgeatur, mox actum erit de tota scribendi arte. Frustra enim cogitationes nostras et meditamenta scriptis mandamus, si verba aut particulæ, quibus utimur, ad cujusque libidinem ita transponantur. Hoc enim modo quidvis e quovis elici, et nihil ita describi potest, cujus contrarium vocolæ alicujus transpositione ex iisdem verbis non eruatur. Sed ista, inquit vir doctus, particula ita transposita, *Jam, ut quivis videt, verborum Hincmari sensus planus est, facilis, ac expeditus, omnia sponte fluunt, illiusque menti et scopo omnino congruunt.* Quid vero? annon verborum Hincmari sensus æque planus est facilis ac expeditus, annon omnia æque sponte fluunt ex vulgata veraque eorum lectione, atque ex coacta hac et violenta vocolæ transpositione? Hæccine verba, *de his Apostolorum Canonibus penitus tacuit, sed nec inter Apocrypha eos misit,* an hæc, inquam, difficiliora sunt intellectu quam illa, *nec de his Apostolorum Canonibus penitus tacuit, sed inter Apocrypha eos misit?* Sane verbis Hincmari, ut ab ipso scriptis et dispositis, non expositore, nedum transpositore opus est, ut sensum eorum intelligamus: ac propterea quicquam in iis transponere, nihil aliud est, quam genuinum eorum sensum de industria pervertere, ut nostræ opinioni favere cogantur. Quod autem addit, *omnia hoc modo menti auctoris et scopo omnino congruere,* nullam apud eruditos viros fidem habebit, priusquam probaverit, ea demum menti et scopo cujusvis auctoris omnino congruere, quæ verbis ut ab ipso dispositis omnino repugnant. Sed *nihil, inquit, additum est, nihil detractum, sola particula 'nec' sedem mutavit, mutandoque Hincmari sermonem intellectu facilem reddidit.* Itane vero? Hoccine nihil aut parum est, particulam negativam sede sua movere, et ad aliam, eamque affirmativam, sententiæ partem transferre? Ac si parum intersit, an quis affirmet, quod negare, et neget, quod affirmare voluit. Hincmarus diserte affirmavit Gelasium authentica scripta recensentem de Apostolorum Canonibus penitus tacuisse, et diserte negavit Gelasium istos Canones inter Apocrypha misisse. Observator autem, particulam 'nec'

Observat. in
prior. Vindic.
part. [cap. xi.
p. 56.]

[Ibid.]

transponendo, Hincmarum negare cogit Gelasium de Apostolorum Canonibus tacuisse, et affirmare eum inter Apocrypha eos misisse. Atque ita volentem nolentem compellit affirmare, quod negavit, et negare, quod affirmavit. Hocque nihil ei referre videtur, quoniam sola particula ‘nec’ sedem suam mutavit: verum si hoc modo cum omnibus agatur scriptis, ex his ipsis observationibus, quas vir doctus contra Ignatii Epistolas et Apostolorum Canones edidit, eodem, vel majori potius, jure probetur, eum ‘nec’ contra Ignatii Epistolas, ‘nec’ contra Apostolorum Canones scripsisse. Nimirum si sola particula ‘nec’ ex aliis locis, ubicunque demum fuerit, moveatur, et ubi nobis visum fuerit, transponatur. Ita enim transposita Observatoris sermonem intellectu facilem reddet, eumque ostendet cum Gelasio de his Apostolorum Canonibus penitus tacuisse, sed ‘nec’ inter Apocrypha eos misisse. Sed vereor, ut iniquum hunc cum scriptis suis agendi modum in nobis approbet vir eruditus: ac propterea nec ipse ægre ferat, si eodem nos eum crimine condemnemus, cum, contra omnium Codicum auctoritatem ipsumque loci contextum, particulam ‘nec’ loco suo dimovens alioque transferens summam Archiepiscopo Remensi violentiam intulerit, illudque eum affirmare coegerit, quod eodem loco et iisdem verbis disertissime negavit.

Sed non opus est hisce ulterius nos insistamus. Anonymus enim hanc novam miramque Observationem suam in priorem S. Ignatii Vindiciarum partem emisit. Quapropter pleniorum hujus argumenti discussionem ab usquequaque doctissimo antiqui illius Patris Martyrisque vindice expectet, si modo, quæ de Gelasio et Hincmaro ille scripsit, digna tanto viro visa fuerint, quibus responsum detur. Nos ea non attigissemus, nisi quod primo idem Anonymus, in Observationibus suis ad nostras Annotationes, se supra laudata Hincmari verba in dissertatione contra Ignatianorum patronum explicasse, et locum, ut ait, quodammodo luxatum apposite, se quidem iudice, restituisse asseruisset:⁵ et quod Jo. Dallæus pariter atque Observator Canones Apostolorum ex Gela-

[Obs. in
Annot. Bev.
cap. i. p. 5.]

⁵ [“Prout a nobis contra Ignatianorum Patronum ostensum est, ubi etiam quæ describit Hincmari verba Beveregius (pag. 3), explicavimus, et

locum quodammodo luxatum apposite, ni fallor, restituumus.”—*Obs. in Annot. Bev. cap. i. p. 5.*]

siano, ut dictum est, decreto tanto labore impugnare conatus sit, licet incertum sit, utrum hæc verba, *Liber Canonum Apostolorum Apocryphus*, in isto decreto, ut primo condito, inserta fuerint; certissimum autem, Hinemarum, qui anno DCCCLX. floruit, ea ibi non invenisse, ut ex iis, quæ hactenus commentati sumus, satis superque constat.

VII. Sed quid si demus Gelasium istud, quod sub ejus nomine circumfertur, decretum edidisse, et Canones etiam Apostolorum in eodem inter Apocrypha rejecisse? Quid hinc sequeretur? Canones istos paulo ante illud tempus, sive quinto seculo, eoque adulto, ab hæretico impostore confictos esse, publicarique cœpisse? Nihil minus. Esto enim, Gelasius in isto decreto dixit, *Liber Canonum Apostolorum Apocryphus*. Sed ibidem etiam dixit, *Historia Eusebii Pamphili Apocrypha; Opuscula Tertulliani, Africani, Arnobii, Lactantii Apocrypha; Opuscula alterius Clementis Alexandrini Apocrypha*. Imo quidem, *Liber qui appellatur Pastoris Apocryphus*. Quis hinc colliget hos libros, inter Apocrypha a Gelasio rejectos, paulo ante editum istud decretum, sive paulo ante anno Dom. CCCXCIV. scriptos fuisse? Tertullianus trecentis fere annis claruit, priusquam illud emissum est decretum, et libri, qui Pastoris appellatur, meminit, locumque ex eo citavit.⁶ Meminerunt ejusdem Origenes,⁷ Clemens Alexandrinus,⁸ ipseque Irenæus,⁹ ut dubitare nefas sit, quin Hermæ liber Pastor appellatus e vetustissimis sit Ecclesiæ monumentis. Verum quantæcunque sint antiquitatis hi libri a nobis commemorati, una

[Conc. tom. iv. col. 1265, B.]

[Ibid. C.]

[Ibid. col. 1264, D.]

Lib. de Orat. cap. xii. [p. 134, A.]

⁶ ["Item quod adsignata oratione assidendi mos est quibusdam, non perspicio rationem, nisi si Hermas ille, cujus Scriptura fere Pastor inscribitur, transacta oratione non super lectum assedisset, verum aliud quid fecisset, id quoque ad observationem vindicaremus."—Tert. de Orat. cap. xii. p. 134, A.]

⁷ ["Nam et in eo libello, qui Pastoris dicitur Angeli poenitentiae, quem Hermas conscripsit, ita refertur, *Primum omnium crede, quia unus est Deus*," etc.—Orig. de Princip. lib. i. cap. 3, sect. 3, tom. i. p. 61, C.]

⁸ [Θείως τοίνυν ἡ Δύναμις ἡ τῶν Ἐρημῶν κατὰ ἀποκάλυψιν λαλοῦσα, τὰ δράματα, φησὶ, καὶ τὰ ἀποκαλύματα, διὰ τοὺς διψύχους, τοὺς διαλογιζομένους ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, εἰ ἄρα ἰστί ταῦτα, ἢ οὐκ ἴσταν.—Clem. Alex. Strom. lib. i. cap. 29, p. 426, Potter. 356, Paris.]

⁹ ["Bene ergo pronunnavit Scriptura, quæ dicit; *Primo omnium crede, quoniam unus est Deus*," etc.—Iren. contra Hær. lib. iv. cap. 20 (al. 27), sect. 2, p. 253, col. 1.—"Hermæ Pastorem intelligit, ex cujus lib. ii. mand. 1. verba hic citata desumpta sunt."—Massuet ad loc.]

cum Canonibus Apostolorum inter Apocrypha in Gelasii decreto connumerantur. Ac proinde, qui ex isto decreto concludit paucis ante annis consarcinatos fuisse Canones, qui vocantur Apostolorum, eodem argumento probet Tertullianum, Clementem Alexandrinum, ipsumque Hermæ Pastoris auctorem iisdem ac Gelasium P. R. diebus claruisse. Quos tamen aliquot ante eum seculis scripsisse inter omnes constat. Nimirum Gelasius, vel quisquis decreti illius auctor fuit, nihil de librorum, quos recenset, antiquitate definit, sed tantum de auctoritate, quam tunc temporis in Ecclesia Romana obtinebant. Adeo ut ex istis verbis, *Liber Canonum Apostolorum Apocryphus*, nihil prorsus inferri possit, præterquam Gelasii quidem iudicio Apostolorum nomen istis Canonibus falso inscriptum esse, eosdemque nullam adhuc in iudiciis ecclesiasticis auctoritatem Romæ obtinuisse. Et vix sane credo Cl. V. Jo. Dallæum Gelasii sententiæ in omnibus, quæ in isto decreto edidit, subscribere unquam voluisse, vel Observatorem eidem unquam subscripturum fore. Inter authenticos enim libros ab Ecclesia recipiendos, ibi recensentur *Actus Beati Sylvestri Apostolicæ sedis præsulis. Item scripta de inventione S. Crucis Dominicæ, et alia scripta de inventione capitis Beati Joannis Baptistæ.* Quæ vereor, ut adversarii nostri pro authenticis unquam admitterent. At in notitia Apocryphorum omnia Patrum superius laudatorum, Tertulliani, Clementis Alexandrini, Africani, Arnobii, aliorumque opera non solum repudiata, verumetiam ab omni Romana et Apostolica Ecclesia eliminata, atque cum suis auctoribus, auctorumque sequacibus sub anathematis indissolubili vinculo in æternum confitetur esse damnata. Nullus autem dubito, quin illi ipsi, qui Canonum Apostolicorum auctoritatem ex hoc decreto evertere conati sunt, censoriæ huic, de tot tantisque antiquis Ecclesiæ Patribus, sententiæ refragati fuerint. Si totum vero decretum istud haudquaquam admittant, qua demum ratione in una illius parte tantopere gloriantur? Multo magis, cum nihil prorsus certi habeamus, nec de decreti illius auctore, nec de authenticis, nec de Apocryphis scriptis, in eodem recensitis, utpote in quibus enumerandis duo inter se codices non consentiunt, Cl. Dallæus causæ a se susceptæ pessime consuluit, cum fundamentum ejus in isto decreto egerit.

[Conc. tom.
iv. col. 1263.
D.]

CAPUT X.

Synopsis.

- I. Dallæi et Observatoris exceptionibus contra testimonia pro Canonum Apost. antiquitate modo respondendum.
- II. *Exceptiones Dallæanæ Turrianicam magis quam nostram sententiam attingunt. Ubi nostram attingunt, facile diluantur.*
- III. Dallæi exceptio contra testimonium S. Athanasii: qua nostræ sententiæ subscribit potius quam adversatur.
- IV. Testimonium S. Basilii defenditur. Ratio ista, 'Non vindicabis bis in id ipsum,' Canonis Apost. XXV. alia quam primi conditoris manu adjecta videtur.
- V. S. Basilium rationem istam Canonis annexam vidisse probabile est.
- VI. S. Basilius aliam insuper istius sanctionis rationem reddit, ad quam legis conditores respexisse ei videntur. Unde vis Dallæunæ exceptionis contra hoc testimonium tota evertitur.
- VII. Alia S. Basilii testimonia ab exceptionibus Dallæanis vindicantur.

I. Everso Dallæanæ de Canonibus Apostolorum opinionis fundamento, quod in Gelasiano dubiæ fidei decreto jactum est, reliqua, quæ tam ab ipso, quam ab anonymo Observatore, contra eos objecta sunt, facile discutientur. Sed methodi a nobis institutæ ratio postulat, ut utriusque prius contra testimonia in Canonum istorum causa a nobis allata exceptiones examinemus. Etiam si enim Observator solus hisce commentandis occasionem dederit, cum ille tamen affirmarit, clarissimum Dallæum pleraque nostra refellisse argumenta Turrianicis occurrendo objectionibus, et paucissima a nobis allata esse, quibus a Dallæo abunde non satisfactum fuerit, adeo ut etiamnum, ut ipsi videtur, valeant illius responsiones, quando nullis adversus eas nos excep-

[Obs. in Annot. Bev. cap. II. p. 7.]

tionibus usi sumus.¹ Hinc necessarium duximus in medium revocare quascunque tam Dallæus quam Observator, adversus ulla e testimoniis nostris (nonnulla enim eorum neuter tetigit) pro Canonum Apostolorum antiquitate allatis, exceptiones protulit. Eas autem omnes ex utriusque scriptis fideliter excerptas eodem ordine hic disponemus, quo testimonia, quibus objiciuntur, a nobis ante disposita sunt.

II. Observandum autem imprimis est, Dallæum contra Turrianum solum, qui hos Canones ipsis Apostolis acceptos retulit, disputasse. Quo fit, ut exceptiones ejus contra veterum testimonia, ut a Turriano allata, factæ, eadem, (si quæ talia occurrunt) ut a nobis nostræ adstruendæ opinioni adducta, raro, aut leviter tantum, attingant. Nos enim Cl. Dallæo lubentes assentimur, hos Canones nec ab ipsis Apostolis conscriptos, nec a sancto eorum discipulo Clemente Romano editos fuisse, et ingenue confitemur illud e nullis veterum testimoniis probari posse. Hinc autem nequaquam sequitur, quin eadem testimonia Canones hosce secundo tertiove a Christi nativitate seculo constitutos, et quarto quintoque passim cognitos fuisse demonstrent. Hoc enim in iis producendis manifestum, ut opinor, fecimus. Et quæcunque Dallæus contra ulla ex iis, quæ nos attulimus, testimoniis excepit, fidem eorum et nostræ quidem opinioni comprobandæ aptitudinem pariter atque perspicuitatem confirmant potius, quam labefactant, ut modo ostensuri sumus.

III. Primum itaque, ad evincendam Canonum Apostolorum antiquitatem, testem advocavimus S. Athanasium, qui Canones quosdam a primis Ecclesiæ Patribus constitutos, cum Apostolicis egregie convenientes, et nullibi, præterquam in Codice Canonum Ecclesiæ primitivæ, nobis conservatos commemoravit, ut ostendimus. Turrianus gravissimum hoc testimonium adhibuit. Quid contra illud

[Sup. cap. III.
sect. 2, pp.
22-24.]

[Pro Cann.
App. lib. I.
cap. 21, p.
8.]

¹ [" Quoniam clarissimus Dallæus pleraque Beveregii argumenta refellit Turrianicis occurrendo objectionibus, ne actum agere videamur, ea solum deinceps examinaturi sumus quæ de novo proponit; et Dallæi responsiones ab ejus exceptionibus, si aliquibus forte utitur, vindicaturi. In tota præfatione,

ubi agit de numero et auctoritate istorum Canonum, paucissima adfert, pp. 3, 4, quibus a Dallæo abunde satisfactum non fuerit; adeo ut etiamnum valeant illius responsiones, quando nullis adversus eas usus est exceptionibus vir doctus."—Observ. in Annot. Bever. cap. ii. p. 7.]

De Pseud.
lib. iii. cap.
9, pp. 522,
[523.]

Dallæus? En omnia illius verba: *Athanasium imprimis laudat Turrianus, quod Georgius [Gregorius] Cappadox jussu Comitis per vim in Alexandrinam Ecclesiam immissus esset, id contra priscos Canones ecclesiasticos factum fuisse affirmantem, eosque Canones non nunc datos Ecclesiis scribentem, quin potius pulchre et firme a Patribus nostris traditos. Vides quos Canones dicat, a Patribus scilicet, hoc est ab Episcopis vel Synodis, constitutos, non ab Apostolis, quod vult Turrianus. Nam a Domini quidem Apostolis non hos Canones, sed fidem ait in nos derivatam esse. Jam vero non de fide, sed de Canonibus quæritur.* Hæc Dallæus. Hæc ipsissima sunt Dallæi verba, et omnia quæ contra hoc testimonium excogitare potuit. Quis autem hic Dallæum non videt in nostram sententiam manibus pedibusque descendentem? Canones illos ecclesiasticos, quos Athanasius memoravit, ab antiquis Patribus, hoc est ab Episcopis vel Synodis, constitutos agnoscit. Quod quidem idem omnino est quod nos volumus, et de quo contendimus. Neque enim nos cum Turriano opinamur, Canones hosce ab ipsis Apostolis editos fuisse, sed cum S. Athanasio asserimus, fidem quidem a Domini discipulis, Canones autem ab antiquis Ecclesiæ Patribus in nos derivatos fuisse: idque in ista Canonum collectione, cui, ob venerandam ipsius antiquitatem, S. Apostolorum nomen præfertur, quippe in qua sola Canones a S. Athanasio laudati inveniuntur. Alterum a nobis citatum e S. Athanasii operibus, ex Arsenii scilicet epistola ad eum missa, Dallæus pariter atque Observator intactum reliquit, ut nec a Turriano nec a nobis antea productum.

[Supra, cap.
iii. sect. 3,
pp. 24, 25.]

[Pro Cann.
App. lib. 1.
cap. 21, p.
79.]

[De Pseud.
lib. iii. cap.
9, p. 523.]

IV. Posthæc Dallæus S. Basilium, ut a Turriano etiam ad Canonum Apostolicorum partes vocatum, aggreditur, aitque, *Basilii [Can. III.] eadem est ratio, qui antiquum Canonem esse ait, ut lapsi ex gradu, ex ministerii quidem sacro ejiciantur, communionem autem nequaquam priventur.* Concedit Dallæus hunc Canonem antiquum fuisse: a Clemente autem scriptum, et in Turrianicum Codicem relatum hinc ulla machina confici posse negat. Et nos quidem æque ac Dallæus negamus ullo hinc modo probari posse, Canonem antiquum hic laudatum a Clemente scriptum, et in Codicem Canonum Ecclesiæ primitivæ (quem Dallæus Turrianicum appellitare amat, ac si a Turriano primo inventus aut saltem in lucem

emissus fuisset) ab eodem, S. Apostolorum jussu, relatum esse. Cum autem ipse Dallæus negare nequeat, quin antiquus Ecclesiæ Canon a S. Basilio hic laudetur, isque in Canonum Apostolicorum Codice, eoque solo, inveniatur, jure merito exinde colligamus, totum istorum Canonum, inter quos hic numeratur, Codicem S. Basilio visum lectumque fuisse. Hoc autem si aperte concederet Dallæus, provinciam, quam defendere ac ornare suscepit, totam desereret, et sententiam retractare cogeretur. Quocirca alio confugit, et S. Basilium de Canone Apostolico XXV. (quo eadem omnino definiuntur, quæ S. Basilius in antiquo Canone definita asserit) non cogitasse ex eo probare nititur, quod Sanctus Pater dicat, se arbitrari Canonis antiqui istius conditores secutos esse legem illam, ‘Non vindicabis bis in id ipsum.’

Quæ, inquit Dallæus, *frigide ac inepte diceret, si de Canonis Turrianici auctoribus diceret. Hi enim suo illi Canonis diserte ac nominatim hanc rationem addunt, Dicit enim Scriptura, Non vindicabis bis in id ipsum.* Qua Dallæi responsione Observator adeo contentus fuit, ut *argumento ex Canone XXV. ducto, quasi a S. Basilio sub antiqui Canonis nomine laudatus esset, abunde satisfacisse Dallæum* affirmet. Verum si doctissimus vir Canones Apostolicos penitius inspexisset, rationem istam non ab ipsis Canonis conditoribus adjunctam esse, sed a Scholiaste aliquo in margine primo notatam, et ex eo deinde in ipsum Canonis textum transcriptoris alicujus vel ignorantia, vel incuria, irrepsisse suspicatus esset. Hos enim antiquos Canones plurimis in locis interpolatos esse nemo inficias eat, et nos posthæc, ubi occasio occurret, ostendemus. In hoc autem Canone res ipsa id loquitur. Hic enim cautum est, ut Episcopus, presbyter, vel diaconus, fornicationis, vel perjurii, vel furti convictus, deponatur et non segregetur. Hoc totum est quod in Canone sancitur, aut constituitur.

Verba quæ sequuntur, *λέγει γὰρ ἡ γραφή, οὐκ ἐκδικήσεις δις ἐπὶ τὸ αὐτὸ*, aliena manu addita sunt. Hoc ex eo patet, quod hæc verba indefinite loquantur, ut in nullum prorsus delictum duplici supplicio animadvertatur. Sed nihil apertius esse potest, quam horum Canonum conditores duplicem nonnullis criminibus pœnam imposuisse. Edicunt enim, ut si quis vel per pecuniam vel per principes seculares Ecclesiam adeptus est, is et gradu suscepto deponatur, et a

[De Pseud.
lib. iii. cap.
9, p. 523.]

[Observat. in
Annot. Bev.
cap. xiv.] p.
71.

[Pan. Can.
tom. i. p. 16,
B.]

[Can. Ap.
xxix. et xxx.
Pan. Can.
tom. i. p. 18,
D. E. Vide
supr. cap. iii.
rect. 2, p. 24.]

communione fidelium arceatur. Quod si ista ratio, 'Non vindicabis bis in id ipsum,' apud primos horum Canonum conditores aliquid valuisset, eam in aliis proculdubio Canonibus, æque ac in XXV., adhibuissent, vel nullibi saltem contraria statuere voluissent. Aliis autem in locis, ut patet, et quidem statim post hunc ipsum Canonem sanciunt, ut bis in id ipsum vindicetur; ac propterea veri prorsus dissimillimum est, ut ipsi istam huic Canonis rationem adderent; *Dicit enim Scriptura, Non vindicabis bis in id ipsum.* Secundum hæc suspicio ex eo magis augetur, quod, cum omnes codices in prima Canonis parte, qua tota sanctio continetur, optime inter se conveniant, in reddenda ista, quæ annectitur, ratione mirum in modum a se invicem dissident. Nonnulli enim codices hanc ultimam Canonis partem sic legunt, *λέγει γὰρ γραφή, οὐκ ἐκδικήσεις δις ἐπὶ τὸ αὐτὸ ὡσαύτως καὶ οἱ λοιποὶ κληρικοί.* Alii, quos Binius sequitur, *λέγει γὰρ ἡ γραφή, οὐκ ἐκδικήσεις δις ἐπὶ τὸ αὐτὸ ὁμοίως καὶ οἱ λοιποὶ κληρικοὶ τῆ αὐτῆ αἰρέσει ὑποκείμεθωσαν.* Alii adhuc, *λέγει γὰρ ἡ γραφή, οὐκ ἐκδικήσει ὁ Κύριος δις ἐπὶ τὸ αὐτὸ.* Sic enim Latine transfert Dionysius Exiguus, *Dicit enim Scriptura, Non vindicabit Dominus bis in id ipsum.* Ubi non modo ultima illa verba, *ὡσαύτως καὶ οἱ λοιποὶ κληρικοί, κ. τ. λ.* excinduntur, sed *ἐκδικήσεις* mutatur in *ἐκδικήσει*, et interseritur *ὁ Κύριος*. Quomodo et Paraphrastes Arabicus² legit, sic enim transfert, *لا يقول في كتابه ان الرب لا يعاقب علي ذنب واحد عقوبتين* *Nam Deus in Scriptura dicit, quod Dominus non puniet unum peccatum duobus suppliciis.* Et quidem certe in ipso Scripturæ loco hic indigitato, viz. Nah. I. 9, non *ἐκδικήσεις*, sed juxta Dionysianam et Arabicam versionem *ἐκδικήσει* in tertia persona legitur. Ubi enim textus Hebraicus habet *וְלֹא תִקַּח אֶת צָרָתוֹ שְׁנַיִם*, non *consurget bis angustia*, Septuaginta Interpretes pro *וְלֹא תִקַּח*, ni fallor, legentes *וְיָקַח* a radice *קָנָה* reddiderunt, *οὐκ ἐκδικήσει δις ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐν θλίψει.* Sic omnes Græci codices legunt. Unde D. Hieronymus Latine translulit, *Non vindicabit bis in id ipsum in tribulatione.* Quod ideo obiter hic notavi, quoniam in rem nostram statim erit. Interea hujusmodi variantes rationis illius Canonis huic

[Ut legitur, Pan. Can. tom. i. p. 16, B.]
[Conc. tom. i. col. 29, C.]

[Ibid. col. 49, E, et Just. Bibl. Jur. Can. tom. i. p. 113.]

² [Josephus scilicet Ægyptius, de quo plura videas in Beveregii Prolegomenis ad Pan. Can. sect. xxxi.-xxxiii.,

et cujus opus in magno satis volumine MS. ex Oriente allatum in Bibl. Bodl. (Auct. Roe. 26) conservatur.]

Apostolico annexæ lectiones eam totam magis suspectam reddunt, et fidem pleniorē faciunt, eam a primis Canonis conditoribus non additam fuisse, nec aliud esse, quam scholium interpolatoris alicujus manu adjunctum. Adeo ut, utrum S. Basilius verba ista huic Canoni subnexa legerit, an non, parum intersit. Neque enim de ratione Canonis, sed de ipso Canone, disputamus, quem S. Basilii ætate, sub antiqui Canonis nomine, in Ecclesia obtinuisse, ipsa Patris verba apertissime demonstrant.

V. Verumenimvero hæc ratio, licet non ab ipsis Canonis conditoribus, ab aliis tamen ante S. Basilii ætatem addita fuisse videtur. Illum enim eam legisse, colligere licet ex his ipsius verbis, Ἀκολουθησάντων, ὡς οἶμαι, τῶν ἐξ ἀρχῆς τῶν νόμων ἐκείνων, οὐκ ἐκδικήσεις δις ἐπὶ τὸ αὐτὸ, quæ sic transferantur, *Sequentibus, ut memini, antiquis, sive primis Canonis conditoribus legem illam, Non vindicabis bis in id ipsum.* Illud enim οἶμαι ἀποστατικὸν idem sæpe valet, ut cuique notum est, quod, εἴ τι μέμνημαι, *Si quid bene memini.* Quam loquendi formulam de rebus antea visis lectisve, sed memoria pene elapsis, sæpe usurpare solemus. Sanctus autem Basilius non modo meminit se hanc rationem Canonis sive sanctioni isti ecclesiasticæ additam legisse, sed et ipsa verba adhuc in memoria retinebat: eadem nimirum quæ in vulgatis Canonis Apostolici codicibus leguntur, licet alia ac diversa essent in textu prophetico Græcæ versionis, unde assumpta sunt. Cum enim in omnibus, ut ante observatum est, codicibus Græcis constanter legatur, οὐκ ἐκδικήσει δις ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐν θλίψει, Sanctus tamen Basilius lectionem in Canone Apostolico usitatam sequitur, legens, οὐκ ἐκδικήσεις δις ἐπὶ τὸ αὐτό. Quam quidem loci prophetici lectionem nescio unde Sanctus Pater haurire potuit, præterquam ex dicto Canone, ut quo solo, ni fallor, ante S. Basilii ætatem invenitur.

VI. Adhæc, si S. Basilii Canonem paulo attentius perlustremus, verba ista, ὡς οἶμαι, quibus solis Dallæi argumentum nititur, non tantum ad eam Canonis adjectam, verumetiam ad aliam, ab ipso Patre excogitatam, rationem referenda esse patebit. Quod ut manifestius evadat, omnia S. Patris de hac re verba transcribere non pigebit. Sic itaque tertius iste S. Basilii Canon habet: Διάκονος μετὰ τὴν διακονίαν πορευόμενος, ἀπὸ βλήτης μὲν τῆς διακονίας ἔσται, εἰς δὲ τὸν

[S. Bas. Can. III. Pan. Can. tom. II. p. 53. A; et S. Bas. Ep. 188. Op. tom. III. p. 271, B.]

[Pan. Can. tom. II. p. 53. A. B. et S. Bas. Ep. 188; Op. tom. III. p. 271, B. C.]

τῶν λαϊκῶν ἀπωσθεὶς τόπον τῆς κοινωρίας οὐκ εἰσῆχθήσεται· διότι ἀρχαῖός ἐστι κανὼν, τοὺς ἀπὸ βαθμοῦ πεπτωκότας τούτῳ μόνῳ τῷ τρέπονι τῆς κολάσεως ὑποβάλλεσθαι· ἀκολουθησάντων, ὡς οἶμαι, τῶν ἐξ ἀρχῆς τῷ νόμῳ ἐκείνῳ, [τῷ], οὐκ ἐκδικήσεις δις ἐπὶ τὸ αὐτὸ, καὶ δι' ἐτέραν δὲ αἰτίαν, ὅτι οἱ μὲν ἐν τῷ λαϊκῷ ὄντες τάγματι, ἐκβεβλημένοι τοῦ τόπου τῶν πιστῶν, πάλιν εἰς τὸν, ἀφ' οὗ ἐξέπεσον, τόπον ἀναλαμβάνονται· ὁ δὲ διάκονος ἅπαξ ἔχει διαρκῆ τὴν δίκην τῆς καθαιρέσεως· ὡς οὖν οὐκ ἀποδιδομένης αὐτῷ τῆς διακονίας, ἐπὶ ταύτης ἔστησαν μόνης τῆς ἐκδικήσεως· ταῦτα μὲν οὖν τὰ ἐκ τῶν τύπων. *Diaconus post diaconatum fornicatus, a diaconatu quidem ejicietur, in laicorum autem locum detrusus a communione non arcebitur. Quoniam antiquus est Canon, ut qui a gradu exciderunt, huic soli punitionis generi subjiciantur. Antiquis, ut existimo, legem illam secutis, 'Non vindicabis bis in id ipsum,' atque ob aliam vero rationem, quod qui sunt quidem in ordine laico, a loco fidelium ejecti, rursus in eum e quo ceciderunt locum recipiantur; diaconus autem semel habet quod sufficiat dispositionis judicium: quandoquidem ergo non reddendus sit ei diaconatus, in ea sola punitione steterunt. Hæc quidem sunt, quæ ex typis sive Canonibus habentur. E quibus verbis patet, S. Patrem duas ecclesiasticæ hujus sanctionis causas assignare, quibus, ut ipse existimavit, Ecclesiæ primitivæ Præsules inducti sunt, ut eam ederent, ac propterea verba ista, ὡς οἶμαι, si transferantur, ut existimo, non ad primam solam, sed ad utramque referenda sunt. Ac si dixisset, *Diaconus fornicationis convictus, gradu quidem deponetur, sed non etiam excommunicabitur, quoniam in antiquis Canonibus, quibus ecclesiastica administratur disciplina, cautum est, ut clericus fornicationis, perjurii, furtive convictus, deponatur tantummodo, et non item segregetur. Quam quidem sanctionem antiqui Ecclesiæ Patres ediderunt, non eo tantum, ut ipse quidem existimo, quod propheta dicat, 'Non vindicabis bis in id ipsum,' verum et propter aliam causam, nimirum quod laici quidem, fidelium communione ejecti, ad pristinum per penitentiam locum restituantur; clerici autem, si sacerdotio semel exciderunt, ad illud amplius non revertuntur: qui propterea, ut satis pœnarum per depositionem lucentes, a fidelium communione non arcentur, juxta quod in antiquis Ecclesiæ typis sive Canonibus statutum est. Cum prima igitur ex hisce rationibus ipsi Canonibus annexa sit, de altera autem altum in eo**

silentium, doctissimus Pater non potuit non interjicere verba ista, *ὡς οἴμαι*, eo quod, licet bene novisset, *τοὺς ἐξ ἀρχῆς* in antiquo isto condendo Canone legem illam secutos esse, ‘Non vindicabis bis in id ipsum,’ ut quam ipsi Canonibus adjunctam viderat, de altera tamen ratione a se excogitata merito dubitare potuit, an Patribus in mentem venisset, ac proinde illam dubitandi formulam jure merito usurpavit. Quæ cum ita sint, illustre hoc S. Basili de Canonibus Apostolorum testimonium, Dallæana ista objectione non modo non invalidum redditur, sed et potentius admodum firmiter evadit. Ex ultimis enim sanctissimi Patris verbis ante citatis constat, eum antiquum istum Canonem a se commemoratum ex typis Ecclesiæ, sive Canonibus ipsius ætate observatis, laudasse, eosdemque asseruisse, *ἀπὸ τῶν ἐξ ἀρχῆς*, ab Ecclesiæ initio constitutos. Et cum antiquus iste Canon, ab ipso nominatim laudatus, inter Apostolicos etiamnum exstet, typos sive Canones illos, quos ipse memoravit, et e quibus istum citavit, eosdem fuisse atque Apostolicos legitime concludamus.

VII. Ad reliqua, quæ ex S. Basili Canonibus, primo scilicet et duodecimo, citavimus, testimonia respondit Dallæus, *neque Apostolorum, neque Clementis, neque ullius omnino sylloges ullam vel tenuissimam in iis occurrere mentionem, Tantum, inquit, Canones nominantur, qui scilicet in Ecclesiæ illius usu erant.* Apostolorum autem aut Clementis nomen istis S. Basili Canonibus non insertum esse nihil nostra refert, qui hos Canones nec Apostolis nec Clementi acceptos ferimus. Nec opus est ut sylloges mentio ibi occurrat. Nobis sufficit, quod, ipso etiam fatente Dallæo, Canones ibi nominentur, qui in Ecclesiæ illius usu erant. Cum Canones enim ab eo nominati, inter Apostolicos, eosque solos hodie comperiantur; cumque Sanctus Pater non singularem aliquem Canonem, sed Canones, qui in Ecclesiæ illius usu erant, acervatim memoret; sub isto generali nomine totam illam Canonum Apostolicorum collectionem, in qua Canones ab ipso nominati continentur, in Ecclesiæ illius usu tunc temporis fuisse, clare satis indicat. Quod vero, quæ isthic decernit S. Basilius ex Ecclesiæ suæ instituto in Apostolorum Canonibus XLVI. (sic enim legendum, non XL.) et

[De Pseud.
lib. iii. cap. 9,
p. 524.]

[De. Pseud.
lib. iii. cap. 9,
p. 524.]

XVII. propemodum eadem præcipiantur,³ Hoc, inquit Dallæus, non magis probat *Ecclesiam sua a Turrianico legislatore*, hoc est, a Canonum Apostolicorum conditore, *accepisse, quam hunc sua ab illa esse furatum, quod nos*, inquit, *verum esse defendimus*; et nos etiam, si, qui Canones ab Ecclesia constitutos colligit, eos ab illa furatus esse dicatur. Quod si de Ecclesia, ut S. Basilii diebus militante, loquatur, Canonum horum collector suos ex ea Canones furari (ut loqui amat Dallæus) non potuit: neque enim ipsa eos constituit, sed longe ante constitutos agnovit. Et præterea S. Basilii Canones ab Ecclesia sua receptos memorat quidem, sed eos nequaquam recitat: ac proinde Canonum horum collector suos ex ejus scriptis accipere non potuit, ut in quibus nulli sunt. Ex eo autem, quod Canones Apostolorum eadem atque illi a S. Basilio nominati, non modo propemodum, sed disertissime, præcipiant, plusquam veri nobis simillimum redditur, totam hanc Canonum collectionem in Ecclesia tunc temporis vulgo cognitam et magni passim æstimatam fuisse. Enimvero incredibile prorsus est, ut omnes a S. Basilio nominati Canones exquisite adeo inter Apostolicos, eosque solos, invenirentur, nisi ex iis primo citati fuissent. His itaque prætermisissis ad alia, et majora forte, progrediamur.

³ [“ Quod vero, quæ isthic decernit Basilius ex Ecclesiæ suæ instituto in Turrianicæ farraginis Canonibus XL.

L. et XVII. propemodum eadem præcipiuntur, hoc,” etc.—Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 9, p. 524.]

CAPUT XI.

Synopsis.

- I. *Synodi Nicænae testimonium pro Canonibus Apost., ex primo ipsius Canone de Eunuchis petitum, defenditur.*
- II. *Quæ contra alia ejusdem Synodi testimonia excipiuntur, paucis discutiuntur.*
- III. *Synodi Antiochenæ testimonia vindicantur. Quare Canones Apostolorum sub numeris, quibus distincti sunt, antiquitus non laudati fuerunt.*
- IV. *Palmaria contra testimonia a nobis adducta exceptio, ex eo sumpta, quod omnes antiquiores a Synodis citati Canones inter Apostolicos non inveniuntur.*
- V. *E quatuor istiusmodi productis Canonibus contra duos excipitur, viz. Syn. Nic. XVIII. et Neocæsar. XV., ut huc minime pertinentes.*
- VI. *Reliquos duos, sive Nic. XIII. et Ancy. XXI., Dallæi causam non promovere ostenditur.*
- VII. *A Canonibus Apost. injuste exigitur, ut omnes ab antiquis Synodis laudati Canones inter eos inveniuntur.*
- VIII. *Aliæ a Dallæo contra testimonia e Synodis Nic. et Antioch. allatæ exceptiones diluuntur.*
- IX. *Discutiuntur quæ Observator in hac disputatione observanda præscribit.*
- X. *Quam temere sibi proposuit Observator, omnia pro Canonibus Apost. testimonia despectui habere, quamdiu Canones a Synodis laudati ad alia quæcunque scripta vel etiam ad prisam consuetudinem referantur.*
- XI. *Non mirum est quod Canones Apost. a Synodo Antioch. renovati fuerint.*

I. Post sanctissimos Patres Athanasium et Basilium, primam generalem CCCXVIII. Episcoporum Synodum, Nicææ habitam, suum his Canonibus Apostolorum vulgo dictis testimonium perhibuisse ostendimus, et primo quidem Patres Nicænos in primo ipsorum condendo Canone, de

[Cap. iv.
sect. 1, pp.
29-34.]

De Pseud.
lib. iii. cap. 8,
p. 504.

Ibid. p. 505.

Eunuchis a se factis sacerdotio arcendis, promovendis autem, si digni fuerint, qui ab aliis exsecti sunt, ad Canones Apost. XXI., XXII., XXIII., respectum habuisse probavimus. Quid e contra Dallæus? Fatetur quidem *illud hinc haberi, fuisse jam ante Nicæne Synodi tempora aliquam in Ecclesia regulam, ex qua hæc ita administrarentur.* Et hoc quidem illud est, quod nos volumus. Regulam enim istam ab Apostolis constitutam, vel a Clemente Romano literis mandatam, vel ab eodem in Canonum Apostolorum syllogen relatam fuisse, nos pariter cum eo negamus hinc, negamus ex ullo veteri quatuor priorum seculorum scriptore, confici posse. Sed grati accipimus, quod dare dignatus est, hanc scilicet de Eunuchis regulam ante Synodi Nicæne tempora sancitam fuisse et divulgatam, et ab eadem Synodo hic commemoratam. Hinc autem consequitur Canonum Apostolicorum collectionem eidem Synodo visam cognitamque fuisse, utpote qua sola Canon ille sive regula ante istam Synodum edita, continetur, idque accurate adeo, ut nihil prorsus in primo isto Nicæno de Eunuchis Canone constituatur, quod in supradictis Canonibus Apostolorum non constitutum est. Quinetiam, nisi hoc concedamus, regulam istam a Synodo Nicæna notatam sine omni ratione intercidisse et perditam esse affirmemus necesse est, cum nulla id asserendi causa idonea appareat, quandoquidem eam inter Apostolicos habeamus Canones, quibus alii complures, æque ac Nicæni, Patres testimonia sua pertribuerant. Verum ulterius adhuc procedit doctissimus vir, dicitque *vero sibi propius videri, ex Origenici, qui adolescens se emasculaverat, facti occasione vetitum ab ecclesiasticis præpositis, ne quis tale pietatis specie, vel illius viri exemplo, auderet, et si quis auderet, is a sacris submoveretur, eamque deinceps regulam et apud Ecclesias obtinuisse, et a Nicænis Patribus hoc loco intelligi.* Verum enimvero Origenes facinus istud tertio ineunte seculo perpetravit: ac propterea si id factum regulæ isti condendæ occasionem dederit, condita quidem fuit statim post tertii seculi initium: quo circiter tempore nos Canones Apostolorum sancitos fuisse defendimus. Adeo ut, quantum ad istam saltem regulam, quæ quatuor e dictis Canonibus, viz. XXI., XXII., XXIII., et XXIV. constituit, ipsum Dallæum nobis optime consentientem habeamus. Quod si ista

regula, ut Dallæus ipse Synodi Nicænæ testimonio victus fatetur, istis diebus condita fuerit, nihil est quod eandem reliquis, quibuscum ista consociatur, regulis antiquitatem inuideamus.

II. Eadem fere clarissimus vir contra alia nonnulla e Canonibus Nicænis pro Apostolicis allata testimonia profert, contra ea nimirum quæ ex Canonibus Nicænis II., V., et XV. adduximus. Enimvero non negat, quoniam negare nequicquam potuit, antiquos quosdam Ecclesiæ Canones a Patribus Nicænis ibidem laudatos esse, et similia in Apostolicis Canonibus decreta etiamnum inveniri. Canonem autem in secundo Nicæno nominatum non Apostolicæ sed ecclesiasticæ tantum institutionis esse ex eo probat, quod *κανὼν ἐκκλησιαστικὸς* ibidem vocetur.¹ In quo, licet ratio forsitan ab eo allata id non probet, non gravate ei assentimur. Canones autem in V. et XV. Nicæno memoratos, nihil aliud significare contendit, quam *publicum Ecclesiæ illorum temporum usum apud omnes receptum*.² Unde autem novam hanc et antehac inauditam τοῦ κανόνος significationem hauserit, hariolari nequeo. Neque enim usus aliquis Canonis unquam nomine ab Ecclesia decorari meruit, nisi publica illius auctoritate prius receptus et stabilitus fuit. Hæc autem responsio ipsi minus placuisse videtur, ac proinde ad solitum ejus diverticulum se convertit vir eruditus, asseritque Canonum Apostolicorum collectorem suos ex Nicænis furatum esse.³ Quod quidem non est probare, sed τὸ ἐν ἀρχῇ

[Supra, cap. iv. sect. 1, pp. 30-34.]

[Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 8, p. 509.]

¹ [“Eadem fere cæterorum ratio est, quæ ex Nicæna Synodo colligit Turrianus [pro Cann. App. lib. i. cap. 13, pp. 42-47]. Ait Synodus multa facta esse adversus ecclesiasticam regulam. . . . Regulam Ecclesiæ, præter quam ista fierent, Turrianus decernit Canonum esse suæ collectionis LXXX., quo ista a Synodo commemorata ventantur. . . . Ego vero multo (ut mihi quidem videtur) probabilius non significari a Patribus Apostolicam illam regulam ex eo argumentor, quod hanc ‘Ecclesiæ’ simpliciter vocant.”—Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 8, p. 506.]

² [“Atque hic ipse publicus Ecclesiæ illorum temporum usus, apud

omnes receptus, Canon est, præter quam paulo post queruntur Patres in quibusdam partibus consuetudinem hanc inveniri, ut de civitate ad civitatem transferantur Episcopi, presbyterique et diaconi.”—Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 8, p. 509.]

³ [“Ego rectius puto, ut planus Turrianicorum Apostolorum parens sua a Nicænis sumpserit. . . . Ut nihil necesse sit ad XII. et XXXII. . . . Apost. Canones confugere, qui, quæ isthic præcipiunt, huic Nicæno decreto similia, ex Nicæna scilicet et Antiochena Synodis furati sunt.”—Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 8, p. 510.]

petere. Hoc enim est quod controvertitur: atque ideo non nudis assertionibus, sed armatis, si quæ habuit, argumentis pugnare debuit. Ut ille enim Canones Apostolicos e Nicænis, sic ipse e contra Nicænos ex Apostolicis sumptos fuisse assero. Quis autem nostris hujusmodi assertionibus fidem debet? Nos sane majorem non exspectamus fidem, quam quæ summa, cujus causa a nobis suscepta capax est, ratione persuadetur. Ac idcirco in testimoniis adducendis probare conati sumus, Synodum Nicænam Apostolicos hosce Canones usque adeo cognitos habuisse, ut nonnullos eorum explicare, et sua universalis Synodi auctoritate confirmare videatur. Ubi et alia ex eadem Synodo testimonia congressimus contra quæ nec Dallæus nec Observator quidquam exceptit.

[Supr. cap. iv. sect. 2-10, pp. 34-52.]

[Pro Cann. Apost. lib. i. cap. 14, pp. 47, 48.]

Dall. lib. iii. cap. 8, p. 512.

[P. 512.]

III. Ad hæc Synodum Antiochenam, An. Dom. CCCXLI. habitam, Canones Apostolicos non modo citasse, verumetiam plerosque suos ex iis condidisse fuse ostendimus. Turrianus nonnulla ex ejusdem Synodi testimoniis adhibuit, ut probaret hanc Canonum collectionem jam tum fuisse Ecclesiæ cognitam. Cui Dallæus respondit, ut supra, ex his tantum legitime concludi posse, ea qua in Antiochenis Canonibus continentur, *jam ante illam Synodum in usu ecclesiastico fuisse, a superioris memoriæ sive Synodis sive Episcopis constituta*. Concedit itaque et nobiscum consentit Canones a Synodo Antiochena memoratos ecclesiastica auctoritate prius fuisse constitutos. Quid autem negat? Negat hinc fieri, ut ista Canonum Apostolicorum collectio⁴ tunc exstiterit. *Quæ, inquit, si vel Antiochenis vel aliis ejusdem seculi Patribus cognita fuisset, causa dici non potest, cur non interdum eam, ubi occasio incidebat, vel Apostolorum vel [certe] Clementis nomine, vel sub numeris, quibus ea distinguitur, diserte laudaverint*. Respondeo ex ipsis doctissimi viri verbis, causam dici non posse, cur Patres hanc collectionem isthoc modo laudarent, licet iis notissima fuisset. Imo quidem propterea quod iis notissima erat, non opus fuit ut eam ita laudarent. Cum enim inter omnes tunc temporis conveniret, hanc Canonum collectionem a majoribus suis traditam fuisse, et Ecclesiam ante hominum memoriam per eam administratam,

⁴ ["Non fieri, ut ista Turrianica tunc exstiterit."—Dall. de Pseud. velut Apostolicorum Canonum collectio lib. iii. cap. 8, p. 512.]

atque omnes proinde Canones in eam collectos nemini incognitos esse; quare eam sub Apostolorum aut Clementis nomine laudarent? Quid etiam opus erat, ut collectio ista sub numeris, quibus distinguitur, diserte unquam laudaretur? Incertum quidem est, utrum numeris suis adhuc distincta fuerit, ut hic diceretur primus, alter secundus Canon, et sic deinceps, an reliquorum ad instar ista ætate scriptorum, quod nobis vero propius videtur, Canones eodem quidem ordine, sed versiculis sive numeris suis nondum distinctos, exhibuerit. Et si demus Canones eodem, quo hodie, modo istis etiam diebus singulatim numeratos esse, non necesse tamen fuit, ut, cum citati sunt, numerus etiam, quem in Codice obtinebant, indicaretur. Ex ipso enim nominato Canone satis constabat, ubi inveniretur. Quin in omnibus etiam veteris Ecclesiæ commentariis, nullum antiquioris cujusvis scripti, nullum sacrosanctæ ipsius Scripturæ locum sub versiculorum sive τῶν περικοπῶν numeris citatum legimus. Ipsi etiam Canones Nicæni ubi gentium a quovis antiquo scriptore sub numeris, quibus distincti sunt, diserte laudantur? Fateor equidem Codicem Canonum Ecclesiæ universæ, [Vide supra, cap. v. sect. 6, p. 64.] ex quo, ut opinor, solo Dallæus hanc objectionem fabricatus est, in Actis Concilii Chalcedonensis sub distinctis Canonum quorundam numeris citatum esse. Verum ante istud Concilium nusquam ita citatus legitur, et raro, si unquam, postea. Veteres enim Ecclesiæ Patres in iis saltem, quæ ediderunt, pietatis suæ ac doctrinæ monumentis, Canones ecclesiasticos, suis cujusque diebus obtinentes, scrupulose adeo recitare nunquam soliti fuerunt, ut omnes in eorum scriptis vel mediocriter versati probe norunt. Ac proinde, ut suum ipsius argumentum in clarissimum virum retorqueam, nulla causa dici potest, cur hæc Canonum collectio numeris, quibus distincta est, diserte unquam laudaretur, vel, quod idem est, ut hoc, potius quam alia veterum commentaria, precise adeo recitaretur.

IV. Cum itaque vetustiores illi Canones a Synodo Antiochena memorati inter Apostolicos, et nullibi præterea, comperiantur, hanc Canonum Apostolicorum syllogen Synodo isti cognitam fuisse, jure merito concludamus. Hic autem Dallæus infirmitatis, qua prius argumentum laborat, sibi conscius, alio confugit. Nonnullos enim, omnes nimi-

rum quos invenire potuit, Canones à Synodis sancitos affert, quibus antiquiores quidem Canones citantur, qui tamen inter Apostolicos nulli sunt. Enimvero in Synodi Nicænæ Canone XIII. hæc habentur verba: *De iis qui ad exitum veniunt, ὁ παλαιὸς καὶ κανονικὸς νόμος, Lex antiqua et canonica servabitur, ita ut, si quis egreditur e corpore, ultimo et necessario viatico minime privetur.*⁵ Item eadem Synodus Canone XVIII. dicit, *nec Canonem nec consuetudinem esse, ut, quod in quibusdam locis fiebat, presbyteris gratiam sacræ communionis diaconi porrigerent.*⁶ (Miror autem ut Canon hic citetur, ubi expresse dicitur *Canonem* non esse.) Item Ancyrani Patres τὸν πρότερον ὄρον, *antiquam*, interprete Dionysio, *definitionem sive regulam prohibuisse* aiunt, *ne mulieres, quæ fornicatæ fœtus in utero perimerent, ante vitæ exitum communionem acciperent.*⁷ Et Neocæsariensis Synodus affirmat, *Septem esse debere in unaquaque Ecclesia diaconos, κατὰ τὸν κανόνα, juxta regulam.*⁸ Ex hisce veterum Synodorum Canonibus certissimam sibi victoriam promittit Dallæus.⁹ Ex

[Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 8, p. 513.]

[Ibid. p. 514.]

Can. Ancyr. XXI. [Dall. p. 514.]

Can. Neocæs. XV. [Dall. p. 514.]

⁵ [Περὶ δὲ τῶν ἔξοδιόντων, ὁ παλαιὸς καὶ κανονικὸς νόμος διαφυλαχθήσεται καὶ νῦν, ὥσπερ, εἴ τις ἔξοδιόν, τιλείου καὶ ἀναγκαιστάτου ἰφοδίου μὴ ἀποστειρῆσθαι.—Can. Nic. xiii. Pan. Can. tom. i. p. 74, A.]

⁶ [Ἦλθιν εἰς τὴν ἀγίαν σύνοδον, ὅτι ἐν τόποις καὶ πόλεσι τοῖς περιβυτήροις τὴν εὐχαριστίαν οἱ διάκονοι δίδασιν, ὅπερ οὔτε ὁ κανὼν οὔτε ἡ συνήθεια παραδίδωκεν.—Can. Nic. xviii. Pan. Can. tom. i. p. 80, A.]

⁷ [Περὶ τῶν γυναικῶν τῶν ἑκπορευουσῶν, καὶ ἀναιρουσῶν τὰ γεννώμενα, καὶ σπαυδαζουσῶν φθορία ποιεῖν ὁ μὲν πρότερος ὄρος μέχρις ἔξοδου ἐκώλυσεν.—Can. Anc. xxi. Pan. Can. tom. i. p. 398, A.]

⁸ [Διάκονοι ἑπτὰ ὀφείλουσιν εἶναι κατὰ τὸν κανόνα, καὶ πάντων μεγάλη ἡ πόλις. πισθίση δὲ ἀπὸ τῆς βίβλου τῶν Πράξεων.—Can. Neocæs. xv. Pan. Can. tom. i. p. 414, D.]

⁹ ["Sed urget nos more suo homo acutissimus, Dicant nobis (inquit) qui hic . . . Canones [Canonem] Apostolorum citari negant, cujus Synodi antegressæ, aut quorum Patrum Ca-

nones antiqui hic vocatur [veterum hic vocet] aut vocari possint [possit]? Si nullos alios [nullum alium] reperire possunt, annon convincuntur citari hic Canones [Canonem] Apostolorum.—[Turr. pro Cann. App. lib. i. cap. 14, p. 48.] Mihi vero, ut semel ostendam puerilis paralogismi, in quo iste tantopere se jactat, vanitatem, ipse nunc vicissim conveniendus quoque est et interrogandus Turrianus. Synodi Nicænæ Canone XIII. hæc sunt verba; *De his qui ad exitum veniunt, ὁ παλαιὸς καὶ κανονικὸς νόμος, lex antiqua, regularisque, sive, canonica servabitur, ita ut si quis egreditur e corpore, ultimo et necessario viatico minime privatur.* Hæc Nicæni Patres, Nunc te, Turriane, appello, Dic nobis," (etc. ut in textu).—Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 8, pp. 512, 513.

"Adhuc eadem Nicæna Synodus negat vel regulam vel consuetudinem tradidisse, ut, quod in quibusdam locis fiebat, presbyterio gratiam sacræ communionis diaconi porrigerent. Ergo, inquam, etiam ante Nicænam Synodum

primo enim sic disputat, *Dic nobis, sodes, quo loco antiqua illa regularisque lex in Apostolicis tuis Canonibus habeatur? Recita eum, quæso, ex tuo codice. Numerum ede, sub quo disposita est. At non facies, nisi Apostolorum Codicem nobis ex alicujus Arabiæ angulis hoc tuo nostroque auctiorem et locupletiozem promas.* Ex omnibus etiam a se citatis Canonibus, quibus antiquiores memorantur, necessario confitendum esse concludit, *Etiam ante Synodorum istarum¹ tempore exstitisse aliquas in Ecclesia regulas, quarum nulla invenitur in iis, quæ eorum temporum supersunt, monumentis mentio . . . quæque ex Codice Canonum Apostolicorum non citatæ sunt, nec citari potuerunt, in quo scilicet nullæ sunt.* Hoc est palmarium illud et insuperabile argumentum, ad cujus expugnationem nos tanta verborum contumelia provocat Observator. *Verumenimvero, inquit, ne vulgari suo paralogismo, in quo tantopere se jactat Beveregius, in posterum abutatur, Turriani vestigia calcans, consulat quæso quæ affert clarissimus Dallæus, [de Pseud. lib. iii.] cap. 8, pp. 513, 514, ut paralogismi illius vanitatem ostendat, ejus expendat interrogationes, illisque apposite respondeat. Et ni argumenti sui vitium deprehendit, eum talpa cæciorem esse oportet.* En impetuosas anticipati judicii vires! En quo immodica partium studia viros perducunt miseros! quantum doctissimorum etiam oculis effundunt pulverem! adeo ut ipsi non modo cæcutiant, sed et alios omnes talpis cæciorem esse putent, nisi illud videant quod non est!

Dall. [de Pseud. lib. iii. cap. 8], p. 513.

Observat. [in Annot. Bev. cap. iii.] p. 13.

exstabat regula, obtinebat consuetudo, ne diaconi id facerent.”—Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 8, p. 514.]

¹ [“ Ergo necessario confitendum, etiam ante utriusque Synodi [Ancyranæ et Neocæsariensis] tempora, id est, ante A. D. CCCXIV., exstitisse aliquas in Ecclesia regulas, quarum nulla invenitur in iis, quæ eorum temporum supersunt, monumentis mentio. Atque ex his jam, ut opinor, omnes vident, quam frustra nos Turrianus suis objectionibus urgeat. Jubeat nos edere vel Concilia, vel Patres, quorum cæ regulæ fuerint, quæ vel a Nicænis, vel ab Antiochenis Patribus memorantur, et antiquæ interdum appellantur. Confitemur, nulla

nunc exstare anteriora istis Synodis monumenta, in quibus hæ regulæ appareant. Ille concludit, eas ergo ex suo Apostolicorum Canonum Codice fuisse a Synodis citatas. Negamus eum bene ac legitime concludere; cum ex iis, quæ nuper diximus, appareat et a Nicænis, et ab Ancyranis, et a Neocæsariensibus Patribus leges, ac regulas antiquas commemorari, quæ, cum in nullo vetustiorum temporum monumento nunc cernantur, non tamen a Patribus ex Codice Apostolicorum Canonum citatæ sunt, vel citari potuerunt, in quo scilicet nullæ sunt.”—Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 8, p. 515.]

V. Nos sane consulimus, quæcunque clarissimus Dallæus paginis citatis attulit; omnes ejus etiam atque etiam expendimus interrogationes; et tamen argumenti nostri vitium usque adeo non deprehendimus, ut in eo magis magisque confirmemur. Primo enim e quatuor istis a Dallæo citatis Canonibus, duo necessario excipiendi sunt, ut huc minime pertinentes. Nimirum Synodi Nicænæ Canon XVIII. et Neocæsariensis XV. Iste enim Nicænus Canon diserte dicit, Nec Canonem nec consuetudinem esse, ut diaconi presbyteris gratiam sacræ communionis porrigerent? Quis vero, nisi Dallæus forsitan ac Observator, hinc confici posse existimet, Canonem tunc temporis exstare, quo cautum est, ne diaconi id facerent? Patres Nicæni dicunt Canonem non esse; hincine sequitur Canonem esse? Sed Canon non erat, ut diaconi id facerent. *Ergo*, inquit vir doctus, *Canon erat, ne diaconi id facerent.* Hoc autem ex eo legitime concludi, sibi forsitan ac Observatori persuadeat Dallæus, aliis nunquam persuadebit, quamdiu logica in scholiis vel ratio in hominum animis resideat. Etiamsi enim nullus adhuc exstaret Canon illud diaconis permittens, minime tamen sequitur aliquem exstitisse Canonem hoc illis prohibentem, qui si exstitisset, a Patribus hoc in loco haud dubie citatus esset; nec dixissent Canonem non esse, ut id fieret, sed Canonem esse, ut id non fieret. Ex hac autem loquendi formula Patres Nicæni clare satis demonstrant, nullum adhuc de hac re editum fuisse Canonem: ac propterea ipsi unum constituunt. Quod præterea Patres Neocæsarienses affirmant, septem esse debere diaconos in unaquaque Ecclesia *κατὰ τὸν κανόνα*, id non de Ecclesiæ sed S. Scripturæ Canone intelligendum est, de Canone vere Apostolico, ab ipsis nimirum Domini nostri Apostolis constituto. Quemadmodum Patres Trullani Canonem istum Neocæsariensem interpretantur.² Et ipsi quoque Neocæsarienses Patres Canonem a se nominatum ab Apostolica ista constitutione arcessunt, hanc sanctionis suæ rationem reddentes, *Πεισθεῖσθι δὲ ἀπὸ τοῦ βιβλοῦ τῶν Πράξεων*, *Ejus autem rei fidem tibi facit liber*

Act. cap. vi.

Can. Trull.
XVI. [Pan.
Can. tom. i.
p. 174, B.]

² [Ἐπιθετὴ ἡ τῶν Πράξεων βίβλος ἰσχυρὰ κανόνι σαφῶς διεξήλθεν, ὅτι διάκονοι ἰσχυρὰ διακόνους ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων καταστήσασθαι παραδίδωσιν· ἡ δὲ κατὰ Νιοκαισαρίαν σύνοδος οὕτως ἐν τοῖς ἰκτιθῆσι παρ' αὐτῶν κανόνι σαφῶς διεξήλθεν, ὅτι διάκονοι ἰσχυρὰ ὀφείλουσιν ἵναί, κ. τ. λ.—Can. Trull. xvi. Pan. Can. tom. i. p. 174, B.]

Actuum. Quocirca Canon ille a Patribus Neocæsariensibus nominatus haudquaquam inter ecclesiasticos illos numeretur Canones, qui ante istius Synodi tempora sola ecclesiastica auctoritate constituti fuerant. Quos tamen solos Dallæus indicare voluit. Alioquin enim frustra nos evocaret ostendere, in quibus antiquis Ecclesiæ monumentis inveniatur. Ac propterea causa nostra nihil ex eo detrimenti patitur, quod hic Canon inter Apostolicos non occurrat. Neque ullum prorsus rationis prætextum habuit Dallæus, quare hunc inter eos recenseret Canones, qui ab antiquis quidem Patribus laudantur, et tamen inter eos, quos Apostolicos vocamus, non inveniuntur.

VI. Sed duo adhuc supersunt Canones quibus antiquiorum, ut Dallæus opinatur, Canonum mentio inducitur, qui tamen in Codice Canonum Ecclesiæ primitivæ non inveniuntur. Illi sunt Nicænus XIII. et Ancyranus XXI. quorum iste *παλαιὸν καὶ κανονικὸν νόμον*, hic *πρότερον ὄρον* citat. Sed observandum est, neutrum horum de antiquis Canonibus diserte meminisse. Canon enim Nicænus non *τὸν παλαιὸν κανόνα*, sed tantum *κανονικὸν νόμον* memorat, hoc est, antiquum morem ritumve ab Ecclesia admissum, quo nemo corpore egressurus ultimo viatico privatus est. Qui quidem *νόμος* sive *ritus* idcirco *παλαιὸς καὶ κανονικὸς* appellatur, quod antiquo isti Apostolico Canoni consentaneus sit, quo cautum est, ut, qui a peccatis convertitur, in Ecclesiam recipiatur. Ea enim semper fuit Ecclesiæ Christianæ caritas, ut crederet, vel pro supposito saltem haberet, Christianum quemlibet rite baptizatum sinceram anteactæ vitæ pœnitentiam agere et ad se redire, cum corpore egressurus est. Cui propterea viaticum *κανονικῶς* concessum est. Et hunc quidem ritum diu ante hanc Synodum in Ecclesia obtinuisse, ex eo patet, quod Dionysius Alexandrinus anno circiter CCLX. presbyteris suis in mandatis dederit, ut morituris, si peterent, venia, sive communio indulgeretur.³ Iisdem etiam diebus inter clerum Romanum, sede vacante, convenit, ut iis, quibus spes vivendi

Can. Apost.
LII. [conf.
supra, cap. i.
sec. 4, p. 16.]

Euseb. Hist.
Eccl. lib. vi.
cap. 44, [pp.
317, 318.]

³ [Ἐντολῆς δὲ ὑπ' ἡμοῦ δεδομένης, τοὺς ἀπαλλαγμένους τοῦ βίου, εἰ δέοιντο, καὶ μάλιστα εἰ καὶ πρότερον ἰκισύσαντες τύχοιεν, ἀφίεσθαι, ἢ ὑίλιπιδες ἀπαλλάττωνται βραχὺ τῆς εὐχαριστίας ἰσίδω-

κιν τῶ παιδαρίῳ, ἀποβριζέαι κελύσας· καὶ τῶ περισβύτῃ κατὰ τοῦ στόματος ἰπιστάξαι.—Euseb. Hist. Eccl. lib. vi. cap. 44, pp. 317, 318.]

[Ep. xxx.
Fell.]

secundum hominem nulla substiterit, si vera pœnitentis animi signa prodiderint, caute et sollicitè subveniatur. Ut constat ex ejusdem Romani cleri ad D. Cyprianum Epistola, quæ inter Patris istius Epistolas est XXXI.⁴ Hic autem cleri Romani conventus nihil de isthac re certi constituere, nedum Canonem, quo alii constringerentur, edere potuit, ut sede vacante celebratus. Sed licet nec Dionysii mandatum presbyteris suis datum, neque hoc cleri Romani statutum, Canon ecclesiasticus proprie dicatur, nihil tamen obstat, quin ritus ab iis observatus *κανονικός νόμος* nuncupetur. Canonem autem de hac re ante Nicænum editum non legimus, excepto forsitan Ancyrano sexto, qui antiquus a Synodo Nicæna dici non potuit, ut paucis ante annis divulgatus. Quin ipsi etiam Patres Nicæni clare satis indicant talem sibi Canonem non innotuisse, eo quod non *παλαιὸν κανόνα*, sed tantum *παλαιὸν καὶ κανονικὸν νόμον* citant. Ad eundem etiam modum Synodus Ancyrana, Canone XXI. non priorem aliquem Canonem sed *πρότερον ὄρον* laudat, determinationem scilicet, sive definitionem judiciale, qua mulieribus quæ fetus in utero perimunt, communionem usque ad vitæ exitum interdictum fuit. Adeo ut tam Ancyrani, quam Nicæni, Patres non *παλαιὸν* sive *πρότερον κανόνα*, sed illi quidem *πρότερον ὄρον*, hi *παλαιὸν καὶ κανονικὸν νόμον* eo tantum nomine citasse videantur, quod nulli adhuc ecclesiastici de hisce rebus Canones exstarent, qui si exsistissent, causa dici non potest, quare non aliorum ad instar Canonum disertis verbis laudarentur. Unde liquet, quam inique cum Canonibus Apostolorum egerit Dallæus, qui eorum antiquitatem ex eo oppugnare conatus est, quod plures ab antiquis Synodis antiquiores citentur Canones, qui inter Apostolicos non occurrunt, licet ipse nullum anti-

⁴ [“Cujus temperamenti moderamen nos hic tenere quærentes, diu et quidem multi, et quidem cum quibusdam Episcopis vicinis nobis et appropinquantibus, et quos ex aliis provinciis longe positis persecutionis istius ardor ejecerat, ante constitutionem Episcopi nihil innovandum putavimus, sed lapsorum curam mediocriter temperandam esse credidimus; ut interum dum Episcopus dari a Deo nobis sustinetur, in suspenso eorum, qui moras possunt

dilationis sustinere, causa teneatur; eorum autem quorum vitæ suæ finem urgens exitus dilationem non potest ferre, acta pœnitentia et professa frequenter suorum detestatione factorum, si lacrymis, si gemitibus, si flatibus dolentis ac vere pœnitentis animi signa prodiderint, cum spes vivendi secundum hominem nulla substiterit, ita demum caute et sollicitè subveniri.”—Cypr. Ep. xxx. pp. 60, 61.]

quiores, a quavis Synodo quarto ineunte seculo celebrata diserte citatum, Canonem invenire potuit, qui inter Apostolicos non etiamnum exstat. Quod quidem nostram de iis opinionem egregie confirmat. Cum enim magna, si non maxima, ut ostendimus, pars eorum, ab antiquis Patribus Synodisque citati fuerint, ipseque acerrimus eorum oppug-nator nec unum quarto seculo laudatum diserte Canonem quærendo investigare potuit, qui inter eos etiamnum non habetur, quis in posterum dubitabit, quin hi Canones isto seculo, et antea cogniti fuerint, et ubique fere obtinuerint?

VII. Verumenimvero pluma haud interest, si demus nonnullos a quarti seculi Conciliis laudatos fuisse Canones, qui in Apostolicorum Codice monstrari nequeunt. Quid enim hinc sequitur? nec Apostolicos illis cognitos fuisse, licet ab iis sæpius laudentur? Nequicquam. Sed sequitur, inquit Dallæus, nonnullos istis temporibus exstitisse antiquos Canones, quorum nulla inter Apostolicos mentio occurrit, ac proinde, quamvis alii ab istis Conciliis laudati Canones nullibi, præterquam inter Apostolicos, reperiantur, eos tamen ex Apostolicorum Codice laudatos fuisse haud legitime ex eo concludi potest: quoniam scilicet nonnulli ab ipsis citati in isto Codice non inveniuntur. Hæc summa est disputationis ab erudito viro in hac causa institutæ. Quæ tamen huc tantum redit, omnes antiquos, ante Nicænam Synodum constitutos Canones, in Apostolicorum Codicem non collectos fuisse. Quod et nos quoque faciles concedamus. Neque enim in eam unquam venimus sententiam, quod hic Codex omnes omnino contineat Canones, qui ab Apostolicæ et primitivæ Ecclesiæ Patribus sanciti editique fuerunt. Quemadmodum enim non modo post editum, verum et inter edendum Codicem Canonum Ecclesiæ universæ, alii complures Canones a localibus sive provincialibus Synodis divulgati sunt; sic et alii haud dubie nonnulli a primitiva Ecclesia, aliquibus saltem in locis, constituti sunt Canones, præter eos, qui in hunc Codicem Canonum Ecclesiæ primitivæ congesti sunt. Cum tamen si non omnes, multo tamen maxima pars Canonum, qui a Nicæna aliisque tunc dierum celebratis Synodis laudati sunt, in hoc Codice Canonum Ecclesiæ primitivæ, et nusquam præterea, inveniantur, meritissimo quidem jure ex eo arguamus hunc

Codicem isto seculo publicatum, vulgoque notum fuisse. Sapientissimi enim cujusque fides respuit, ut ipsi illi, qui Apostolicorum Codicem constituunt, Canones, a Patribus Synodisque istorum temporum toties citarentur, et tamen Codex ipse ex iis conflatus illos lateret. Præsertim cum ipsi etiam Canones ab iis toties citati in nulla alia Canonum collectione, in nullo alio cujusvis antiqui scriptoris commentario, in nullo alio Ecclesiæ primitivæ monumento, præterquam in unico hoc Codice habeantur. Si omnes, fateor, alibi invenirentur, non sine causa suspicari liceret, eos ex alia ista, in qua reperti sunt, collectione Canonum vel antiquo scripto laudatos fuisse, vel saltem laudari potuisse. Cum autem in omnibus, quæ nobis tradita sunt, secundi tertiique post Christi nativitatem seculi opusculis, commentariis, epistolis, dialogis, historiis, disputationibus, tractatibus, orationibus, vel, ut semel dicam, scriptis, nulla prorsus eorum, qui quarto currente seculo laudati sunt, Canonum vestigia exstent, præterquam in unico Apostolicorum Codice, ubi omnes simul occurrunt, si hinc non legitime concludatur, dictum Codicem istis temporibus cognitum fuisse, nihil omnino certi e quibuslibet veteris Ecclesiæ monumentis inferri potest, quod non totidem verbis in iisdem continetur. Quod nec ipse, ut opinor, Dallæus, si revivisceret, affirmare voluit. Me sane fugit, quo demum pacto hujus naturæ causa clarioribus argumentis demonstrari potest.

Dall. [de
Pæud. lib.
iii. cap. 8.]
p. 517.

VIII. Sed instat vir doctus, urgetque eas, *quas nobis leges, regulas, definitiones, constitutiones Patrum vel Ecclesiæ memorat Nicæna, et Antiochena, et si qua alia Synodus, eæ erant, quæ tum in Ecclesiæ regimine obtinebant, vel tacito [ut dixi] omnium consensu receptæ, quales eas præsertim fuisse credibile est, quas ἑθνη, consuetudines, vocant, vel quæ alicujus sive Synodi, sive [etiam] Episcopi decreto præceptæ, ac sancitæ, vel in una provincia, vel in pluribus, vel etiam in omnibus observabantur.* Et hucusque quidem me assensorem habet, regulas sive Canones a Nicæna aliisque Synodis memoratos, antiquiorum Patrum vel Synodorum decreto sancitos, et vel in una vel in pluribus, vel etiam in omnibus provinciis observatos esse. Sed adhuc sub iudice lis est, utrum isti Canones in Codicem Apostolicorum antea collecti, et ex eodem a Synodis istis laudati fuerint. Hoc nos summa ratione affirmamus, quo-

niam in isto Codice, eoque solo, non modo hisce sed et ab antiquis temporibus inventi sunt. Dallæus autem in contrariam abiit sententiam, sola suspicione ductus, quod ea scripta, e quibus isti Canones citati sunt, modo interciderint. *Quod si, inquit, exstarent omnia veterum ante Nicænam Synodum, vel Conciliorum, vel Episcoporum decreta, ac constituta, facilius nobis esset singularum istarum regularum origines auctoresque demonstrare.* Verumenimvero si alia exstarent Ecclesiæ primitivæ monumenta, in quibus hi Canones descripti essent, eadem ratione ea quoque spuria et supposititia esse affirmet, qua Codicem illum, in quo eos descriptos habemus, veteribus incognitos fuisse asserit. Atque ita, si omnia veterum ante Nicænam Synodum vel Conciliorum vel Episcoporum decreta exstarent, haud tamen facilius esset demonstrare, unde Nicæna aliæque Synodi Canones a se memoratos citaverint. Impossibile enim est, ut in quovis scripto planius pleniusque, quam in Codice Canonum Apostolicorum, exhibeantur. Sed *facile, inquit, ut quivis videt, fieri potest, ut his idem, quod illis aliis, quas ex Nicæno, Ancyrano, et Neocæsariensi Conciliis attulimus, acciderit; nimirum ut ea perierint vel Synodorum vel Patrum acta atque codices, ex quibus a veteribus citabantur.* Verum supposito, quod probari nequit, ecclesiasticos quosdam Canones a Nicæno, Ancyrano, et Neocæsariensi Concilio citatos esse, qui nec in Apostolicorum, nec in alio quovis, Codice habentur, fieri tamen non potest, ut ea etiam perierint vel Synodorum vel Patrum acta atque codices, ex quibus illi alii citabantur: etiamnum enim in Codice Canonum Ecclesiæ primitivæ exstant. Qui autem Canones a Patribus ex Codice Apostolico non citatos esse ex eo probare nititur, quod fieri potest ut ea perierint scripta, e quibus citabantur, is sane se præiudicio potius quam ratione ductum contra Apostolicos pugnare prodit. Eadem enim ratione, si ita eam vocare liceat, etiam omnia veterum scripta periisse probemus, quoniam fieri potest, ut ea perierint, aliaque adulterina sub eorum nominibus posteritati tradita fuerint. Ut ille autem in hunc modum disputat, Fieri potest ut ea perierint scripta, e quibus Canones a Patribus citati sunt, ergo ex Codice Apostolico non citabantur: ad eundem modum nobis sic disputare licet, Fieri potest, ut Canones a Patribus e Codice Apostolico citarentur,

[Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 8, pp. 517, 518.]

[Ibid. p. 518.]

ergo ex eo citati sunt. Hæc enim nostra æque ac illius legitima est consequentia. Sed non opus est, ut nos ad tam miserum tantoque, quantus fuit Dallæus, viro indignum prorsus effugium recurramus. Enimvero non tantum fieri potest, ut non perierint, sed fieri non potest, ut perierint scripta ista, e quibus Canones ab antiquis Synodis citati sunt, quandoquidem eos omnes in hac antiquissima Canonum collectione scriptos habemus.

Observat. [in
Annot. Bev.
cap. iii.] p.
14.

IX. E præmissis videre est, quid de erudito nostro Observatore sentiendum sit, qui novas ratiocinandi leges nobis præscribens, ait, *Tamen, ut ex his locis rite argumentari possit vir doctus, duo mihi necessaria videntur. Alterum est, ut quibus de agimus sanctiones in vetustis Conciliorum Canonibus non reperiantur; nam si reperiuntur, quin ad vera illa ac genuina monumenta referendæ sint, potius quam ad notha et spuria, quales sunt Apostolici Canones, dubitabit nemo. Alterum vero, ut in Apostolicis Canonibus habeantur, quotquot veteribus memoratæ sunt [plurimis in locis] antiquæ definitiones seu regulæ, vetustæque ac canonicæ Ecclesiæ leges. Alioquin, si quædam memoratæ sunt, quarum ne minimum quidem in tota LXXXV. Can. Apost. sylloge cernere est vestigium, eas ab antiquo usu ac prisca consuetudine arcesamus et evocemus oportet. Tales autem sunt illi Canones, illæque leges, sanctiones ac regulæ, quarum meminerunt Nicæni Patres Can. XVIII. et forte etiam XIII., Ancyrani Can. XXI., et Neocæsarienses Can. XIV., prout est a Dallæo nostro observatum.* Primum quod hic exigitur, in testimoniis adducendis accurate admodum observavimus. Quæcunque enim adstruendæ Canonum horum antiquitati testimonia attulimus, de istiusmodi sunt Canonibus, qui inter vetustos Conciliorum Canones non reperiuntur; si unum fortasse vel alterum excipias, qui, licet simile quid in aliis reperiantur Canonibus, ad eos tamen, ut ostendimus, jure referri nequeant. Et hinc est, ut id obiter hic notem, quod Theodoretæi testimonio hic supersedimus, quoniam Canones ab eo laudati in aliis æque ac in Apostolicis inveniuntur.⁵ Quod de iis, quos plurimos ut a veteribus citatos hic ad-

Eccles. Hist.
lib. v. cap. 23,
[pp. 224, 225.]

⁵ [Καὶ ταῦτα τοῦ Εὐαγγερίου παρὰ τὸν ἰκκλησιαστικὸν προεβλημένου θισμὸν. μόνος γὰρ αὐτὸν ὁ Παῦλινος προέβαλετο, πολλοὺς κανόνας κατὰ ταῦτὸν παραβάς.]

duximus, dici non potest. Cæterum, et si qui Canones a Patribus laudati in Synodorum Canonibus aliquo modo reperiantur, non tamen necesse est, ut ad eosdem perpetuo referendi sint. Sub istiusmodi enim clausulis et circumstantiis laudari possunt, quæ non permittant, ut ad alios quam ad Apostolicos referantur: quæ notha et spuria esse monumenta probare debuit eruditus Observator, non jubere. Præsertim cum illud sit, quod hoc loco in controversiam vocatur. Quod ad alterum deinde spectat ab Observatore hic requisitum, nimirum *ut, quotquot veteribus memoratæ sunt [plurimis in locis antiquæ] definitiones seu regulæ, vetustæque ac canonice Ecclesiæ leges in Apostolicis Canonibus habeantur*; Primo observare licet, cautum prudentemque virum antiquas quidem definitiones seu regulas vetustasque ac canonicas Ecclesiæ leges memorare, sed non diserte Canones, quod eo cautus egit, ut *παλαιὸν καὶ κανονικὸν νόμον* a Patribus Nicænis, et *τὸν πρότερον ὄρον* ab Ancyranis memoratum, pro istiusmodi haberet Canonibus, qui antiquitus quidem citati, sed in Apostolicorum Codice non reperti sunt. Quo se sibi conscium ostendit, tales non inveniri Canones, si lex ista canonica et definitio eorum numero excludantur. Nos autem hic non disputamus de Ecclesiæ definitionibus aut legibus in genere, sed de iis, quos antiqui Patres Canones expresse nominarunt. Sub isto enim nomine Apostolici ab initio obtinuerunt. Ac proinde, licet ipsi nonnunquam, sed raro admodum, leges et definitiones appellentur, cum Patres tamen ecclesiasticas leges inter eos non inventas commemorant, ab istis Canonibus vocandis de industria abstinuisse videntur, ut ita eas ab illis Ecclesiæ legibus distinguerent, quas ipsorum majores Canonum nomine nuncuparant. Ullos autem antiquos Canones a quarti seculi Conciliis nominatim laudatos, præter eos quos in Codice Apostolico habemus, nec diligentissimus ille Jo. Dallæus invenire potuit, nec post eum eruditus Observator, quippe qui eos tantum repetit, quos Dallæus ante notaverat memoratos esse a Patribus Nicænis, Ancyranis, et Neocæsariensibus, a quibus

[Observat. in Annot. Bev. cap. iii. p. 14.]

οὔτε γὰρ ἀπὸ ἑαυτοῦ τῆς τελευτῶναι χειροτονεῖν ἐπιστάτους, καὶ πάντας συγκληῖσθαι τῆς ἐπαρχίας τοὺς ἐπισκόπους κληθεῖν, καὶ αὐτὸ πάλιν διχα σφραγίσαν

χειροτονίαν ἀπαγορεύουσι γίνεσθαι.—
Theod. Hist. Eccl. lib. v. cap. 23, pp. 224, 225.]

tamen ecclesiasticos diserte Canones istis locis non citatos esse ante ostendimus. Quod si quæ leges aut definitiones ab antiquis Synodis memoratæ sint, quarum ne minimum quidem in tota Canonum Apostolicorum sylloge cernere est vestigium, eas ab antiquo usu et prisca consuetudine arcessat, evocetque, si velit, Observator: per me quidem licet, cujus causam id minime attingit. Neque enim ipse, (nec quisvis, ut opinor, alius,) unquam asserui omnes omnino Ecclesiæ primitivæ leges ac definitiones in hoc uno Canonum Apostolicorum Codice collectas esse. Quocirca Observator nostram non perstringit opinionem, sed suæ plus nimio indulget, cum ab isto Codice exigat, ut in eo inveniantur quotquot ullibi memoratæ sunt definitiones aut canonicæ Ecclesiæ leges. Nobis enim abunde sufficit, si qui a veteribus nominantur Canones in eo contineantur. Quantum autem ex ipsius verbis colligere est, hoc modo argumentari voluit eruditus Observator, Si quædam memoratæ sunt leges, quæ in Codice Apostolico non habentur, eæ ex antiquo usu et prisca consuetudine, non ex isto Codice arcessendæ sunt. Ergo et omnes Canones a veteribus memorati, etiamsi in Codice Apostolico habeantur, non tamen ex isto Codice, sed ex antiquo usu et prisca consuetudine arcessantur oportet. Quis autem hujus consequentiæ debilitatem, vel falsitatem potius, primo intuitu non deprehendit? Si demus enim leges idem valere atque Canones, e logica tamen didicimus a particulari ad universale haud legitimam inferri consequentiam, ac propterea ex eo, quod quidam Canones ab antiquis Patribus memorati ab antiquo usu arcessantur, (quod tamen falsissimum est,) non sequitur omnes ad eundem necessario referendos esse, præsertim cum multo maximam eorum partem in vetusto hoc Codice habeamus, cujus antiquitatem a nobis assertam strophæ hujusmodi et sophismata nunquam convellent.

X. Sed ut ut est, Observator sibi firmissime proposuit, omnia pro Canonum Apostolicorum antiquitate allata testimonia vilipendere, quamdiu Canones ab antiquis Synodis Patribusque laudatos vel ad alia quæcunque scripta, vel ad priscam consuetudinem referre poterit. E verbis enim

Observat. [in
Annot. Bev.
cap. iii.] pp.
14, 15.

supra citatis hanc conclusionem infert, *Ergo Beveregiani argumenti vim penitus elevabo, quoties vetustas illas leges,*

ex quibus pro Canonum suorum æquo majore antiquitate argumentari solet, vel ad genuina, quæ supersunt, veterum monumenta, referam, vel ad antiquum usum et priscam [aliquam] consuetudinem, quæ in Ecclesia obtinebat, antequam ullus hac de re Canon ab aliqua Synodo conditus esset. Hoc est, nunquam credet, nunquam sibi persuasum habebit, Canones Apostolicos ante An. Dom. CCCCLI. sancitos fuisse, quicquid e contra a quopiam proferri potest. Nulla enim usquam citata est lex ecclesiastica, quæ non ad aliqua veterum monumenta, vel saltem ad priscam aliquam consuetudinem vel jure vel injuria referatur. Sed quonam, obsecro, pacto cognoscet Observator, quinam antiquus usus, quæve prisca consuetudo in Ecclesia obtinuerit, antequam ullus hac de re Canon ab aliqua Synodo conditus esset? Illene omnes Synodos a primitiva Ecclesia celebratas, omnesque ab iis constitutos Canones sibi cognitos habet? Si habeat, in lucem emittat, et nullus dubito, quin universam Ecclesiam, totamque rempublicam literariam maximis beneficii vinculis sibi obstrictam habeat. Sed vereor, ut hoc unquam assequatur. Quod si nec cognoscat ille, nec unquam, ut opinor, cogniturus sit, quinam Canones a trium priorum seculorum Synodis conditi fuerint, quo demum modo cognoscat, quinam antiqui mores ac priscae consuetudines ante eos in Ecclesia obtinuerint? Quid autem, si omnes ab antiquis Synodis memoratos Canones, nec ad alia quæ supersunt genuina veterum monumenta, nec ad antiquum usum, vel priscam aliquam consuetudinem jure referri posse demonstratur? Tum sane eos ad Codicem Canonum Apostolicorum referat, ipso judice, necesse est: alias enim non habebit quo referat. Verum omnes a Nicæna aliisque Synodis citatos Canones in aliis genuinis veterum monumentis non inveniri, usque adeo planum certumque est, ut nec ipse illud negare potuit, atque ideo ad antiquos nescio quos Ecclesiæ usus confugere coactus est. Sub qua autem rationis imagine illi, qui a Synodis nominatim laudantur, Canones ad priscas tantum Ecclesiæ consuetudines ususque referantur? Nihilne inter Canonem et consuetudinem interest? Sane eruditi viri multas vocis *κανὼν* significationes ab Ecclesia usitatas observarunt, ut idem autem atque *ἔθος* sive consuetudo valeret, nemo ante Observatorem nostrum

somniavit. Sed quandoquidem de Synodis agimus, Nicæna universalium prima et omnium celeberrima causam determinet. Hæc autem, cum antiqua Ecclesiæ primitivæ decreta memorat, ea *κανόνως* cauta perpetuo nominat; cum vero jura et privilegia quarundam Ecclesiarum, non Patrum decretis, sed prisca tantum consuetudine introducta memorat, ea non *κανόνως* sed *ἔθνη* appellat. Dicens τὰ ἀρχαῖα ἔθνη κεραιίτω. Ex quibus verbis nullum ibi disertum vel Apostolorum vel Synodorum præceptum sive Canonem citari, ipse etiam clarissimus Dallæus rite argumentatur.⁶ Enimvero antiqui Ecclesiæ mores ususque, Canones ecclesiastici a nulla Synodo, a nullo Patre, a nullo unquam scriptore dicti sunt, priusquam ecclesiastica sive Episcoporum auctoritate sanciti sunt. Concilia autem Patresque, quorum testimonia nos adhibuimus, non mores ritusve, non prisca Ecclesiæ consuetudines aut usus, sed antiquos ecclesiasticos Canones diserte ac nominatim laudant. Qui propterea *ad antiquum usum et priscam aliquam consuetudinem, quæ in Ecclesia obtinebat antequam ullus hac de re Canon ab aliqua Synodo conditus esset, nequaquam referri possunt.* Quomodo enim Canones citari poterant, antequam conditi essent? Si nulli adhuc Canones de hisce rebus a Synodis constituti fuissent, qui fieri potuit, ut Synodus Nicæna aliæque istis diebus habitæ antiquos Canones laudarent? Ipsæne eos Canones tantum citando faciebant? Annon ipsa Canonum antiquorum citatio necessario evincat Canones de istis rebus longe antea conditos fuisse? Cuiam, amabo, unquam prius vel etiam posterius quam Observatori in mentem venit, Canones a Patribus expresse citatos non esse Canones, sed tantum antiquos nescio quos usus et prisca Ecclesiæ consuetudines? Si quidem aliud non habeat, (quod sane nunquam habebit,) quo Canones a Synodis nominatim memoratos, et in aliis veterum monumentis non repertos referat, præterquam vel ad antiquos Ecclesiæ usus, vel ad Canones Apostolicos, quin eos ad hos ultimos nobiscum referre debeat, nemo dubitare potest. Ut Canones enim ad antiquos istos usus, qui nunquam Canones fuere, referantur, usque adeo ab omni ratione

Can. VI.
[Pan. Can.
tom. 1. p. 66,
A.]

De Pseud.
lib. iii. cap. 8,
p. 508.

[Observat. in
Annot. Bev.
cap. iii. pp.
14, 15.]

⁶ ["Nullo diserto vel Apostolorum cepto."—Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 8, p. 508.]

alienum est, ut nihil magis absurdum, magis ridiculum efferri vel excogitari possit.

XI. Has doctorum virorum, contra veterum pro Canonibus Apostolicis testimonia, exceptiones, fusius idcirco prosecuti sumus, quod aliarum, quascunque alibi protulerunt, vis tota hisce fere fundata videatur. Cum autem e prædictis constet, omnes a Synodis Nicæna ac Antiochena, quibus de solis hic agimus, memoratos Canones, nec ad antiquos quosvis Ecclesiæ usus, nec ad alia quæcunque veterum monumenta, referri posse, præterquam ad Codicem Canonum Apostolicorum, cumque illi omnes in isto Codice una collecti habeantur, nihil dubii superesse potest, quin ex eo a veteribus citati fuerint. Verumenimvero Synodum Antiochenam hos Apostolicos Canones non modo vidisse et laudasse, sed et omnes propemodum suos ex iisdem explicatis produxisse, eorumque ordinem per totam fere Canonum suorum syllogen observasse, inter testimonia ex eadem ferenda, manifestum, ut opinor, cuius nimia sui opinione non occæcato fecimus. Nec mirum cuiquam videatur, quod Synodus provincialis, qualis fuit Antiochena, Canones in Ecclesia passim tunc temporis notos atque observatos sua demum auctoritate renovaret et uberius explicaret. Hoc enim omnibus fere localibus, sive provincialibus, Synodis solenne fuit, etiam post editum Codicem Canonum Ecclesiæ universæ. Quotiescunque enim necessitas aut occasio id postularet, Canones in isto etiam Codice collecti, a provincialibus istiusmodi Conciliis renovati, explicati, et de integro sæpe constituti sunt. Quod neminem latere potest in actis et Canonibus Conciliorum vel mediocriter exercitatum. Quinetiam Synodi provinciales contra nonnunquam statuerunt atque in Canonibus Ecclesiæ universæ prius statutum fuerat. Quod de Antiochena nequaquam dici potest, utpote quæ magnam Codicis Canonum Ecclesiæ primitivæ partem laudat, explanat, et ad pristinum suum vigorem restituit, sed nihil ei contrarium edidit, neque unum in eo repertum Canonem abrogavit. Quod quidem istum Codicem summæ tunc temporis in Ecclesia auctoritatis fuisse luculente demonstrat.

CAPUT XII.

Synopsis.

- I. *Synodi Gangrensis testimonium pro Canonibus Apost. vindicatum asseritur.*
- II. *Testimonium Synodi Constantinopolitanæ a quatuor Observatoris exceptionibus defenditur.*
- III. *Eusebii locum ab Observatore adductum nihil ad rem facere probatur.*
- IV. *Concilii Carthaginiensis testimonium vindicatur.*
- V. *Alia e Synodis Ephesina et Chalcedonensi testimonia, quibus adversarii nihil responderunt.*
- VI. *Concilium Chalcedonense per τοὺς πάλαι κανόνας, nec Antiochenos, nec Carthaginienses, sed Apostolicos solos intelligere potuit.*

I. QUOD contra testimonia e Synodis Nicæna ac Antiochena, ad veram Canonum Apostolicorum adstruendam antiquitatem, adducta objecit Dallæus, idem et ad ea quæ e Synodo Gangrensi citantur, dictum voluit. Quapropter nec nobis opus, ut plura hic adjiciamus ad vindicandum Gangrense istud pro antiquis hisce Canonibus testimonium, quam quæ in præcedenti capite atque in ipso afferendo testimonio dicta sunt. Dallæus autem hic ingenue confitetur, fuisse jam ante Gangrensem Synodum suas Ecclesiæ regulas, suas Scripturas, Apostolicasque traditiones, idque apud omnes in confesso esse.¹ Cum istæ autem regulæ sive Canones, quos fatetur ante istam Synodum in Ecclesia obti-

¹ [“ Atque idem quoque dictum velim ad ea, quæ Turrianus [pro Can. Ap. cap. xiv. pp. 49, 50] plane ejusdem generis ex Synodo Gangrensi laudat, τοὺς ἰκκλησιαστικούς κανόνας, ecclesiasticas regulas [can. xxi.] commendante, Sanctas

Scripturas, et Apostolicas traditiones. Fuisse jam ante Gangrensem Synodum suas Ecclesiæ regulas, suas Scripturas, Apostolicasque traditiones apud omnes in confesso est.” — Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 8, pp. 518, 519.]

nuisse, et ab eadem laudatos esse, in Codice Apostolico eoque solo collecti habeantur, ista quidem Synodus jure merito inter eas recenseatur, quæ sua isti Codici testimonia contribuerunt.

II. Post Patres Gangrenses, alios quam plurimos, in Synodo An. Dom. CCCLXXXI. Constantinopoli congregatos, gravissimos in hac causa testes advocavimus. Hi enim in Synodica ad Damasum aliosque occidentales Episcopos Concilium Romæ tunc temporis celebrantes missa affirmant, quod *παλαιὸς τε θεσμὸς κεκράτηκε, καὶ τῶν ἁγίων ἐν Νικαίᾳ [πατέρων] ὄρος, Antiqua obtinuit sanctio et Patrum Nicænorum regula*, ut Episcopi scilicet cujusque provinciæ, et si ipsis placuerit, una cum iis finitimi, ordinationes Episcoporum celebrent. Ubi per antiquam sanctionem Canonem Apostolicum XXXV. intelligendum esse contendimus. Hoc Dallæus non viderat, ideoque nihil contra illud objecit. Sed Observator partibus illius fungens, veritus ut una et altera tanto evertendo testimonio sufficerent, haud pauciores quam quatuor exceptiones contra illud publicavit. Quod quidem prudentissime ab eo factum est, ut quod ponderi earum deest, quoad fieri potuit, numero suppleretur. Sed quales quales, et quotquot sunt, eas omnes suo ipsius ordine percurremus, ut omnibus pateat in quantas redigantur angustias, qui contra veritatem pugnare ausi sunt. - Has itaque exceptiones vir eruditus his verbis introducit, *Per antiquam [illam], inquit, sanctionem designari opinatur Beveregius Can. Apost. XIV. XV., quod nulla Synodo Nicæna, si illum audimus, antiquior lex exstitit, quæ hoc constituit, præter Canones illos Apostolicos. At quam vana sit ac frivola eruditi viri ratiocinatio, pluribus demonstratum imus.* Sed post jactatas hasce minas, nos hisce lusoriis tantum armis aggreditur. *Primo, inquit, designati Canones nihil plane dicunt de Episcoporum ordinationibus, de quibus expresse agitur in testimonio allato, ut cuivis legenti patet.* Recte sane, Canones Apostolorum XIV. et XV. ab eo quidem, non a nobis designati, nihil plane de Episcoporum ordinationibus dicunt. Atqui tam oculatus et acutus Observator non potuit non videre vel observare numeros illos XIV. et XV. in Annotationibus nostris typographorum incuria pro XXXIV. et XXXV. impressos esse: qui quidem Canones

[Vide supra, cap. v. sect. 2, pp. 56-59.]

[Conc. tom. ii. col. 963, E.]

[Observat. in Annot. Bev. cap. iii.] pp. 11, 12.

[Ibid. p. 11.]

[Ibid.]

[Præf. ad Annot. in Can. Ap. sect. viii. p. 3, Pan. Can. tom. ii. ad fin.]

Apostolici, ille quidem sive XXXIV. de Episcoporum auctoritate exercenda, hic, sive XXXV. de ordinationibus, expresse loquuntur. Quod et ipsum Observatorem fugere non potuit. Qui propterea magno conatu magnas nugas agit, cum temerarium hoc ex falsis præmissis consecrarium clausis ultro oculis eripuit, dicens: *Unde liquet, ut id obiter notem, ad fictitios illos Canones minime confugiendum esse, quoties apud veteres fit mentio alicujus sanctionis antiquæ, quæ in genuinis, quos habemus, Conciliorum Canonibus hodie non exstat: plures siquidem ejusmodi sanctiones usu et consuetudine obtinuerunt, quæ tamen literis statim traditæ non fuerunt.* Unde, quæso, hoc liquet? Ex eo quod typographi homines sint, et aliorum ad instar erroribus obnoxii? an quod ænei literarum typi, nimis festinanti chalcographorum manu, sedibus suis aliquando non reponantur; vel iisdem nonnunquam excidant? Hoc sane unicum est illud prævalidum argumentum, unde id liquere dicatur. Observator enim nec mihi nec cuivis unquam persuadebit, se, qui tot Observationes in Ignatianas Vindicias, et in nostras Annotationes edidit, interim non observasse, Canones Apostolicos XXXIV. et XXXV. hoc in loco intelligendos esse. Præsertim cum ipse se illud observasse clare satis eo indicarit, quod alias præter istam contra hoc testimonium exceptiones excogitavit. Quid aliis enim opus esset, si Canones designati nihil de re proposita loquerentur? Hoc sane unum refellendo isti testimonio satis esset. Verum eruditus Observator, quamvis dissimulavit, probe tamen novit Canones a nobis designatos ad rem esse: ac propterea addit, *Secundo, si tunc temporis exstitissent prædicti Canones, et ad eos respexissent Synodi Constantinopolitanæ Patres, plusquam verisimile est, eos hanc Canonum collectionem memoraturos esse, æque ac Nicænorum Patrum regulam, vel saltem Canones ipsos suis numeris indicaturos.* Jam non admiror, si Observator noster typographorum errata non observavit, cum nec sua, nec quæ sub oculis manibusque habuit, observare possit. Primo enim non observat Canonum Nicænorum collectionem a Patribus Constantinopolitanis hoc in loco non memoratam esse, sed tantum unam ab iis definitam regulam. Si hoc enim observasset, haud veri, nedum plusquam veri, simile ipsi videretur eos Canonum Apostolicorum collectionem

[Observat. in
Annot. Bev.
cap. iii. p.
11.]

[Ibid. cap.
iii.] pp. 11,
12.

memoratorios fuisse, si ad eam respexissent, æque ac Nicæ-
 norum regulam. Quorsum enim, aut cur Canones Apo-
 stolicos alio atque Nicænos modo memorarent? Ad Ca-
 nonum Nicænorum collectionem eos respexisse, nec ipse
 (ut opinor) Observator negabit, et tamen non totam, ut
 videre est, collectionem istam, sed unum tantummodo Ca-
 nonem ex ea citarunt. Ac proinde veri prorsus dissimile
 est, ut Canonum Apostolicorum collectionem memorarint,
 licet ad eam respexissent. Sufficit quod ex ea etiam unum
 vel alterum Canonem laudarint. Præterea, Observator hic
 non observavit, Canonem Nicænum hoc in loco numeris
 suis non indicatum esse, sed tantum Patrum Nicænorum
 Canonem in genere. Si hoc enim observasset, veri quidem
 non simile, sed dissimile prorsus ei visum fuisset, ut Canones
 Apostolici potius quam Nicæni suis numeris indicarentur.
 Denique, Observator noster sui et operis a se suscepti oblitus,
 non observavit etiam Patres Constantinopolitanos verbis
 supradictis antiquam de hac re legem regulæ Nicænae præ-
 posuisse. Si hoc enim observasset, antiquam istam legem,
 adeoque totam istam Canonum collectionem, cujus pars est,
 ante Synodum Nicænam divulgatam fuisse ingenue confessus
 esset. Verum, licet hæc inter scribendum forsitan ipsi pla-
 cuerint, veritus tamen ut scripta aliis satisfacerent, subjungit,
Tertio, fieri potest ut duabus locutionibus seu phrasibus unam
et eandem rem significaverint Patres, nempe regulam Nicænam,
quæ eorum respectu antiqua erat, utpote ante annos LVII.
promulgata. Cautissime dixit, *Fieri potest,* neque enim
 prorsus impossibile est, ut una eademque res duabus loquendi
 formulis significetur. Sed nisi me omnia fallant, fieri etiam
 potest, ut duæ locutiones sive phrases duas res significant.
 Nos autem tantis nondum urgemur angustiis, ut quæramus
 quid fieri possit, sed quid revera factum sit. Patres autem
 antiquam legem et Nicænam regulam apertissime distin-
 guunt, primo asserentes antiquam de hac re legem obtinuisse,
παλαιός τε, ὡς ἴσαστε, θεσμός κεκράτηκε; et postea Patrum Nicæ-
 norum regulam seorsim subjiciunt, dicentes, *καὶ τῶν ἁγίων ἐν*
Νικαίᾳ πατέρων ὄρος. Qua loquendi formula legem istam ab
 hac regula clarissime discernunt. Quinetiam particula *τε*
 post *παλαιός* distinctionem istam haud obscure indicare videtur.
Παλαιός τε θεσμός κεκράτηκε, καὶ τῶν ἁγίων ἐν Νικαίᾳ πατέρων ὄρος,

[Observat. in
 Annot. Bev.
 cap. lll. p.
 12.]

[Con. C.P.
 Conc. tom. II.
 col. 963, E;
 et Theodor.
 Hist. Eccl.
 lib. v. cap. 9,
 p. 206.]

hoc est, *Et antiqua lex obtinuit, et Patrum Nicænorum regula.* Ad hæc, legem illam antiquam vocant, atque ita a regula Nicæna perspicue distinguunt, quippe quæ eodem seculo antiqua dici non potuit. Neque unquam legimus Canones Nicænos antiquos dictos, nedum eodem seculo, quo constituti sunt. Ut res autem extra dubium ponatur, ipsi Patres C.P., postquam dixissent antiquam istam legem obtinuisse, atque etiam Patrum Nicænorum regulam, hæc proxime subiijciunt: *Ὅς ἀκολούθως τὰς δὲ λοιπὰς ἐκκλησίας παρ' ἡμῶν οἰκονομεῖσθαι γινώσκετε, καὶ τῶν ἐπισημοτάτων ἐκκλησιῶν ἀναδεῖχθαι τοὺς ἱερεῖς.* Quibus consequenter, sive, ut doctissimus vir Henricus Valesius vertit, *Ex quarum legum præscripto tum reliquas apud nos Ecclesias administrari scitote, tum nobilissimarum Ecclesiarum Episcopos esse renuntiatos.* Ubi non modo particula *τε* eodem, quo supra, sensu utuntur, verum etiam asserunt se in Ecclesiæ administratione ambas istas leges ante memoratas secutos esse: dicunt enim *ὅς ἀκολούθως*, ubi relativum plurale *ὅς*, nec ad *θεσμὸν* singulariter, nec ad *ἔργον*, sed ad utrumque referatur necesse est. Quod si Patres idem per *τὸν παλαιὸν θεσμὸν*, atque per *ἔργον*, voluissent, non dixissent *ὅς*, sed *ὃ ἀκολούθως*. Plurale enim relativum, ut omnes norunt, duo minimum antecedentia a se invicem distincta requirit. Si hæc vir eruditus observasset, non dixisset 'Fieri potest,' sed 'Fieri non potest,' ut Patres duabus istis locutionibus seu phrasibus unam et eandem rem significarint. Hæc autem adeo plana sunt et cuivis obvia, ut pudeat pigeatque ea ulterius prosequi. Videamus itaque qualem ultimo loco exceptionem adinvenit. Quarto, inquit, *si antiquam illam sanctionem a Nicænorum Patrum regula diversam esse contendit vir doctus, respondeo, sanctionem illam antiquam usu ac consuetudine tacite, ut alia plura, introductam esse, et continua praxi roboratam, donec tandem a Concilio Nicæno primo in Canonem redacta, et scripto mandata fuit.* Hic autem a memet vix impetrare possum, quin credam Observatorem aliud intus in animo fixum habuisse, et aliud expressisse verbis. Nemo enim mihi persuadebit tam eruditum virum credidisse, illud quod usu tantum et consuetudine introducitur, et nulla lege sancitur, sanctionem unquam dictum fuisse vel dici posse. Plurima quidem vitia usu ac consuetudine tacite introducta sunt, et continua hominum praxi

[Con. C.P. Conc. tom. II. col. 963, E; et Theodor. Hist. Eccl. lib. v. cap. 9, p. 206.]

[Observat. in Annot. Bev. cap. III. p. 12.]

corroborata, longissime tamen abest, ut sancta propterea dicantur, nedum ipsæ sanctiones. Quinetiam si demus, quod prorsus incredibile est, nonnulla in Ecclesiam primitivam, usu solo ac consuetudine, sine omni vel Apostolica traditione vel ecclesiastica institutione, introducta esse; demus etiam, quod absurdum est, hujusmodi consuetudines, licet nulla unquam auctoritate sancitas, sanctiones nihilominus dictas fuisse: et si hæc, inquam, demus, veruntamen viri eruditi causa nihil exinde promovetur. Isthoc enim modo primo introduci, et tamen a primitiva aliqua, longe ante Nicænam, Synodo sanciri potuit hæc antiqua sanctio, et in Canonem reduci. Quod enim Observator postea addit, antiquam istam sanctionem miro isthoc modo introductam a Concilio Nicæno primo in Canonem redactam et scripto *mandatam esse*, a rei veritate quam longissime distat. Enimvero antiqua ista sanctione a Patribus Constantinopolitanis laudata statutum fuit, ut provinciales Episcopi una cum finitimis, modo ipsis visum fuerit et utile judicaverint, in suis ipsorum provinciis Episcoporum ordinationes faciant. Hoc autem a Synodo Nicæna nusquam in Canonem redactum, nec scripto mandatum fuit; utpote quæ nihil prorsus de finitimis Episcopis ad Episcoporum ordinationes sub ulla cautione admittendis statuit. Statuit solummodo, ut omnes provinciæ ejusque Episcopi, vel saltem tres, reliquis assensum suum scripto præbentibus, Episcopum constituent, a Metropolitano confirmandum: nulla prorsus de finitimis Episcopis inducta mentione. Cum Patres itaque Constantinopolitani 'antiquam istam sanctionem et Nicænam regulam' eo tantum nomine citarint, ut probatum irent, Nectarii Constantinopolitani et Flaviani Antiocheni Episcopi ordinationes canonice, sive ex Canonum præscripto, celebratas fuisse, licet a finitimis, æque ac ab istarum provinciarum, Episcopis celebratæ essent; Canon autem Nicænus de comprovincialibus duntaxat Episcopis loquatur, antiqua vero sanctio de finitimis, (aliter enim frustra laudata esset;) hinc patet, non modo antiquam sanctionem hic laudatam a Nicæna regula diversam esse, sed et eandem a Synodo Nicæna in Canonem nequaquam redactam fuisse, nec scripto mandatam. Quapropter non potuit talis esse sanctio, qualem Observator somniavit, quæ scilicet usu introducta et praxi roborata

[Observat. in
Annot. Bev.
cap. iii. p.
12.]

est, donec tandem a Concilio Nicæno in Canonem redacta fuit.

III. Quomocunque autem se res habeat, ita tamen esse, ut ipse opinatur eruditus Observator, facile demonstrari posse affirmat. Ex eo scilicet, quod Eusebius de Narcisso Episcopo Hierosolymitano verba faciens tradat, alium ejus loco Episcopum a vicinis Episcopis constitutum esse, quoniam ille Ecclesiam sibi commissam aliquamdiu reliquerat.² Cum ipse autem reverteretur, Alexander ei adjutor datus est, ob admodum provectam Narcissi ætatem, annos quippe natus erat sexdecim supra centum. Si rogamus autem, quomodo ei adjutor datus sit Alexander, et ad episcopatum promotus Hierosolymitanum, *respondebit*, ut Observatori videtur, *Eusebius*, ‘*Hoc factum esse consentientibus vicinarum Ecclesiarum Episcopis*;’ *nulla prorsus mentione facta legis aut sanctionis scriptæ, quæ hoc præciperet: non obliturus certe, inquit vir doctus, si aliquam tunc temporis existitisse scivisset. Nempe juxta consuetudinem [jam] receptam egerunt Palæstini Episcopi, non autem secundum aliquem scriptum Canonem. Hæc autem contigerunt annos circiter CXX. ante Concilium Nicænum, a quo primo ista consuetudo scripto, ut opinor, mandata est.* Hoc est luculentum illud argumentum, ex quo eruditus Observator antiquam sanctionem a Patribus Constantinopolitanis memoratam nihil aliud esse, quam antiquam quandam consuetudinem a Concilio Nicæno primo sancitam, sibi demonstrasse videtur. Si quis autem hanc historiam, ut ab Eusebio traditam, paulo attentius legit, nihil in ea inveniet, quod rei, quam ex ea demonstrare suscepit Observator, ullam prorsus lucem, nedum demonstrationem afferre videatur. Primo enim Eusebius ubi Alexandrum Narcisso adjutorem datum fuisse tradit, nihil omnino de illius in Episcopatum Hierosolymitanum ordinatione loquitur, sed eum in Cappadocia ante ordinatum fuisse Episcopum affirmat: cui propterea non licebat ut denuo ordinaretur. Id autem, quod Eusebius a consentientibus vicinarum Ecclesiarum Episcopis factum fuisse tradit, longe aliud fuit atque

[Hist. Eccl. lib. vi. cap. 10, [p. 268.]

Ibid. cap. 11.

[Observat. in Annot. Bev. cap. iii. pp. 12, 13.]

[Hist. Eccl. lib. vi.] cap. 11.

² [Τοῦ δὲ Ναρκίσσου ἀνακλιχωρηκός, καὶ μηδαμῶς ἔση ἂν τυγχάνοι γινωσκόμεναι, δόξαν τοῖς τῶν ὁμῶν ἐκκλησιῶν

προιστάων, ἰφ' ἰτίζου μίσιασιν ἐπισκόπου χριστονοίας.—Euseb. Hist. Eccl. lib. vi. cap. 10, p. 268.]

ordinatio episcopalis. Dicit enim revelationem quandam Ecclesiæ Hierosolymitanæ visam fuisse, et vocem auditam, quæ ipsis significabat, ut extra portas civitatis egressi, destinatum sibi a Deo Episcopum susciperent. Et protinus addit, Τοῦτο δὲ πράξαντες μετὰ κοινῆς τῶν ἐπισκόπων, οἱ τὰς πέριξ διεῖπον ἐκκλησίας, γνώμης, ἐπάναγκες αὐτὸν παραμένειν βιάζονται, *Quod cum illi consentientibus iis, qui circumcirca Ecclesias administrabant, Episcopis fecissent, manere deinceps eum apud se coegerunt.*³ Obsecro tuam fidem, quicumque demum sis, qui has Observationes edidisti, quibus oculis, quibus etiam specillis usus es, cum hunc legebas locum, ut in eo videre potueris finitimos Episcopos una cum provincialibus Episcopum ordinantes? Populus Hierosolymitanus egressi sunt, ut Episcopum a Deo missum susciperent, et susceptum secum manere coegerunt. Quid hæc ad Episcopi ordinationem? Hæc facta sunt consentientibus aliarum quæ circumcirca erant Ecclesiarum Episcopis; ergone finitimi una cum istius provinciæ Episcopis Episcopi ordinationem peragebant? Vix credo. Nec credet ipse Observator, si locum ex integro vel raptim relegerit. Sed in præcedenti capite Eusebius refert visum esse finitimarum Ecclesiarum Episcopis alium Narcissi loco Episcopum ordinare. Fateor quidem. Sed nihil hic etiam de finitimis Episcopis a provincialibus ad istam ordinationem evocatis. Neque enim alii sane hoc in loco intelligantur finitimi, quam qui Hierosolymis vicini erant Episcopi, atque ita in eadem provincia constituti. Alii enim hic nulli memorantur istius provinciæ Episcopi, quam qui sub ἰμβρων, *finitimorum*, nomine comprehenduntur. Et si contenderit adhuc vir doctus ex hoc loco patere, (quod minime patet) finitimos tunc temporis Episcopos in alia provincia constitutos, ab istius provinciæ

³ [Καὶ δὴ μετὲν οἴοντες ὄντος λειτουργεῖν διὰ λιπαρὸν γῆρας, τὸν ἐξημῖνον Ἀλέξανδρον, ἐπίσκοπον ἰτίρας ὑπάρχοντα παροικίας, οἰκονομίᾳ Θεοῦ ἐπὶ τὴν ἄμα τῷ Ναρκίσῳ λειτουργίαν ἐπέλι, κατὰ ἀποκάλυψιν νύκτωρ αὐτῷ δι' ἰσχυροῦς φανίσαν ταύτη δ' οὖν ὡσπερ κατὰ τι βιοπέριον ἐκ τῆς τῶν Καπαδοκῶν γῆς, ἴθα τὸ πρῶτον τῆς ἐπισκοπῆς ἔξῃτο, τὴν πορίαν ἐπὶ τὰ Ἱεροσόλυμα ἐχθῆς καὶ τῶν τόπων ἱστορίας

ἵνεκεν πεποιθῆναι, φιλοφρονητάτα οἱ τῆδε ὑπολαβόντες ἀδελφοί, οὐκίτ' οἰκαδι αὐτῷ παλινοστῆν ἰπιτρέψουσι, καθ' ἰτίραν ἀποκάλυψιν καὶ αὐτοῖς νύκτωρ ὀφθίσαν, μίαν τι φωνὴν σαφιστάτην τοῖς μάλιστα αὐτῶν σπουδαίοις χρήσαντες ἰδήλου γὰρ προελθόντας ἔξω πυλῶν, τὸν ἐκ Θεοῦ προαρισμένον αὐτοῖς ἐπίσκοπον ὑπαδείξαντας τοῦτο δὲ, κ. τ. λ.—Euseb. Hist. Eccl. lib. vi. cap. 11, p. 268.]

Episcopis ad illam ordinationem admissos fuisse, nostram potius quam suam ex eo opinionem confirmabit. Hinc enim conficeretur istum Canonem Apostolicum tunc dierum obtinuisse, quo sancitum est, ut Episcopus extra suos terminos ordinationes non faciat, nisi ex consensu eorum, qui civitates istas aut pagos tenent; atque ita permissum, ut, consentientibus cujusvis provinciæ Episcopis, finitimi una cum ipsis ordines episcopales conferant. Quod itaque ad priorem Eusebii locum a nobis recitatum dicit Observator, *Nullam ibi factam esse mentionem legis aut sanctionis scriptæ, quæ id præciperet, quam Eusebius non obliturus esset, si aliquam tunc temporis exstitisse scivisset.* Si hæc verba ad istum Eusebii locum, cui annectuntur, respectum habeant, temere prorsus et frustra proferuntur; etiamsi enim Eusebius optime scivisset talem tunc temporis exstitisse sanctionem, nullam omnino isthoc loco eam commemorandi occasionem habuit; quippe quo nihil dixit, quod ad istam sanctionem referri potuit. Quod si hæc Observatoris verba ad alterum Eusebii locum respiciunt, ubi finitimarum Ecclesiarum Episcopi Episcopum ordinasse dicuntur; quid, quæso, opus erat, ut ecclesiasticæ istius sanctionis, qua id factum est, meminerit? Ille historicum, ac proinde non de jure, sed de facto, agit. Adeo ut, licet ipsas res in Canonibus Apostolicis sancitas ut ab aliis observatas retulisset, ipseque istos Canones eodem temporis articulo sub oculis habuisset, non tamen necesse erat, ut eorum mentionem faceret, sed potius necesse erat, ut non faceret, ne historiographi limites transiliret. Sed quid attinet multa de re adeo perspicua accumulare? Eusebius per totam hanc historiam nihil habuit, quod Canonem istum Apostolicum laudandi materiam ei præbere potuit; ac propterea nec historicum nec prudentem scriptorem egisset, si fines suos transcendisset, ut ecclesiasticæ istiusmodi sanctionis ad rem suam minime pertinentis mentionem induceret. Unde videre est, quam difficilis et molesta sit provincia, cujus patrocinium suscepit eruditus Observator, qui illud pro argumento demonstrativo venditare coactus est, quod nec minimam rationis speciem præ se fert. Cum autem pro concesso, ni fallor, habeamus, eum omnes, quas summis ingenii viribus contra Patrum Constantinopolitanorum pro Canonibus Apostolicis testimonium excogitare

[Observat. in
Annot. Bev.
cap. iii. p.
13.]

vel fabricari potuit, exceptiones edidisse, cumque nihil quod objecit summam istius testimonii auctoritatem vel diminuere vel attingere deprehendatur, firma stabilisque manet sententia, quæ Canones Apostolicos omnibus illis, qui Constantinopoli tunc temporis conveniebant, Episcopis cognitos et laudatos fuisse statuit.

IV. Proximum e Concilio Carthaginiensi a nobis petitum pro Canonum Apostolicorum antiquitate argumentum nec Dallæus oppugnavit, nec Observator, nisi quod ille 'formam antiquam' una cum aliis nonnullis istiusmodi phrasibus e Synodis Africanis a Turriano allatis, nihil aliud significare scribat, quam quod in usu apud istam Ecclesiam erat, vel a vetustis Synodis constitutum, vel a majoribus nuda et simplici traditione acceptum.⁴ Et nos quidem in eo assensores habet, quod forma antiqua a Concilio isto memorata talem significet istis diebus in Ecclesia Africana obtinuisse usum, a vetustis Synodis constitutum, atque ita in Canonem reductum. Nos etiam, non minus quam ille, credimus antiquas hujusmodi formas regulasve ab isto vel ab aliis Conciliis laudatas, et in Codicem Canonum Apostolicorum collectas, nec ab ipsis Apostolis sancitas, nec a Clemente Romano literis mandatas, et in lucem emissas esse, sed a Synodis Carthaginiensis illius respectu vetustis constitutas. De qua re non opus est hic plura disseramus, cum satis antea explicata fuerit.

[Supr. cap. v. sect. 3, p. 59.]

[Pro Apost. Can. lib. i. cap. 4, pp. 50-52.]

V. Huic e Concilio Carthaginiensi aliud illustre quidem in hac causa testimonium subjunximus e Synodis Œcumenicis, Ephesina et Chalcedonensi petitum. E quibus scilicet ostendimus, consequentiam quandam sive ordinem Canonum istis temporibus obtinuisse, quo sancitum cautumque erat, ut Episcopus accusatus ad Synodum tertio citetur, priusquam iudicium de eo feratur. Cum hæc autem ecclesiastica sanctio ab istis Conciliis toties memorata, et accurate etiam observata, in nulla Canonum collectione, nec in quovis veteris Ecclesiæ monumento, præterquam in Codice Canonum Apostolicorum inveniatur; in eo autem disertissime habeatur, Canone nimirum LXXIV.; non possumus non persuasissi-

[Cap. v. sect. 4 et 5, pp. 60-64.]

⁴ ["His enim nominibus, quæ apud suam Ecclesiam in usu erant vel a vetustis Synodis constituta, vel a majori-

bus nuda et simplici traditione accepta, significant."—Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 9, pp. 519, 520.]

num habere, hunc Codicem Canonum Ecclesiæ primitivæ ipsissimam esse Canonum consequentiam ab iis toties laudatam. Hoc autem gravissimum sane testimonium a nobis hic primo adductum, nec Dallæus, nec ipse Observator observavit; neuter saltem ad illud oppugnandum aggressus est.

VI. Præterea ex Concilii Chalcedonensis Canonibus, tria nostræ de Apostolicis opinioni confirmandæ testimonia attulimus: unum e Canone V. alterum e XXII. et tertium e XIV. E quibus doctissimi viri Dallæus et Observator⁵ in unum solum involarunt, et elevare conati sunt; illud scilicet e Canone XXII. petitur, quo Patres τούς πάλαι κανόνας citant, caventes ne clerici post mortem Episcopi sui res ad eum pertinentes diripiant. Ad hoc Dallæus, per antiquos ait Canones hoc in loco non Apostolicos, quorum XL. idem diserte præcipitur, intelligendos esse, sed Canonem Antiochenum XXIV.⁶ idem etiam constituentem. Et ratio, inquit, manifesta est, quod istius quidem Turrianici Apostolorum Codicis nulla neque in Chalcedonensi Synodo, neque in superioribus retro monumentis ulla exstat mentio. Antiochenæ regulæ et omnibus notissimæ erant, et sunt ab ipsis Chalcedonensibus Patribus disertissime, neque semel, ex Codice Ecclesiæ universæ citatæ. Primum vero quod hic dicit, nullam

[Vide supra, cap. v. sect. 6, pp. 65, 66.]

[Dall. de Pseud. lib. III. cap. 10. p. 538.]

⁵ ["Ex Synodi Chalcedonensi hæc Can. XXII. verba describit, *Non licere clericis post mortem sui Episcopi res ad eum pertinentes diripere, sicut antiquis quoque Canonibus prohibitum est.* Per hos antiquos Canones nullum alium designari putavit vir doctus præter Canonem XL. Apost. . . Interpretationis suæ istam adfert rationem Beveregius, quod nullos alios Synodo Chalcedonensi vetustiores Canones invenire est hoc prohibentes, præter Apostolicos. Perfecto satis mirari non possum hæc a Beveregio scripta esse, quem scilicet latere non potuit, paria præcipere Synodi Antiochenæ Can. XXIV. centum et decem annos ante Chalcedonensem. Ad Canonem igitur Antiochenum eo magis referenda sunt Patrum Chalcedonensium verba, quod

Antiochenæ regulæ omnibus notissimæ erant, et ab ipsis Chalcedonensibus Patribus disertissime, neque semel, ex Codice Ecclesiæ universalis citatæ, cum Canonum Apostolicorum Codicis, neque in Chalcedonensi Synodo, neque in superioribus retro monumentis ulla exstet mentio."—Observ. in Annot. Bever. cap. ii. pp. 5, 6.]

⁶ ["Sed et ad Apostolorum suorum Canonem XL. trahit Turrianus [pro Can. Ap. lib. i. cap. 14, p. 49] ejusdem Synodi Chalcedonensis Canonem XXII., quo vetatur, ne clerici in res mortui Episcopi involent; quia scilicet eadem quoque ille alter decernit. Ego ad Synodi Antiochenæ Canonem XXIV. referendum aio, quem Turrianus ipse fatetur paria præcipere."—Dall. de Pseud. lib. III. cap. 10, pp. 537, 538.]

Codicis Apostolici in Synodo Chalcedonensi aliisve retro monumentis exstare mentionem, illud est quod quæritur: ac proinde hoc pro argumento sive ratione haberi nequit, cum nihil aliud sit quam petitio principii. Quod porro ad Canonem Antiochenum spectat, plerique ex iis, quos ista Synodus divulgavit Canones, ex Apostolicis, ut ostendimus, sumpti sunt. Atque ideo, cum Patres Chalcedonenses antiquos citent Canones, ad Canonem istum, non ut a Concilio Antiocheno editum, sed ut antiquitus constitutum respexisse videntur. Quod etiam ex eo indubium redditur, quod omnes quidem Antiocheni Canones in Codicem Canonum Ecclesiæ universæ ante illud tempus collecti a Patribus Chalcedonensibus in primo ipsorum Canone confirmati sunt: adeo ut non opus esset, ut denuo confirmarentur. Hoc enim nihil aliud esset quam actum agere. Quo quidem crimine ne teneri viderentur Patres, Canones, quos Canone suo XXII. laudant, ab iis, quos primo confirmarant, aperte distinguunt. Hos enim τὸς παρὰ τῶν ἀγίων πατέρων καθ' ἑκάστην σύνοδον ἄχρι τοῦ νῦν ἐκτεθέντας κανόνας appellant; illos autem τὸς πάλαι κανόνας. Et ubicunque in actis suis Canones Ecclesiæ universæ, inter quos Antiocheni numerantur, laudant, eos perpetuo sub generali Canonum nomine comprehendunt, antiquos nusquam appellant. Hos autem diserte antiquos vocant, ut ita eos a reliquis discernerent. Ut nihil sit quod dicat Dallæus, *invidiam non esse Canones Synodi ante CX. annos Antiochiæ habitæ τὸς πάλαι, veteres sive antiquos dici.*⁷ Quamvis enim ita fortasse dici potuissent, ita tamen dicti nusquam inveniuntur. Neque causa dici potest, cur hoc solo in loco, et non alibi, ita dicerentur. Et præterea Canones Antiocheni, licet ante annos CX. constituti, istis tamen diebus passim obtinebant, atque ideo præsentibus, quibus præsens scilicet administratur Ecclesia, potius quam antiqui dici meruerunt. Apostolici autem, quibus Ecclesia primitiva, ante editos universæ Canones, administrata fuerat, summo jure antiqui dicti sunt, ut aliquot ante seculis constituti, et per novam istam Canonum editionem tunc temporis pene antiquati. Hæc Observatori suboluisse videntur. Qui prop-

[Supr. cap. iv. sect. 2-7, pp. 34-52.]

[Can. Chalced. i. Pan. Can. tom. 1. p. 111, D.]

[Can. Chalced. xxii. Ibid. p. 138, D.]

[Vide supr. cap. v. sect. 6, p. 64, not. 5.]

⁷ ["Quæ enim, quæso, invidia erat antiquos dici."—Dall. de Pseud. lib. Canones Synodi ante CX. annos Antiochiæ habitæ τὸς πάλαι, veteres sive iii. cap. 10, p. 538.]

[Observat. in
Annot. Bev.
cap. II. pp.
6, 7.]

terea, licet eadem, quæ Dallæus, de hoc argumento dixerit, veritus tamen, ut hæc lectori in Dallæi verba non jurato satisfaciant, alio confugit, dicitque, *Canon Antiocheno non intempestive forte adjicias Canonem XXXII. Codicis Canonum Ecclesiæ Africanæ ex Concilio Carthaginiensi Anno Domini CCCCXIX. habiti* (*habito* haud dubie legendum est.) Ut alia autem, quæ plurima contra novum hoc commentum produci poterant, in præsentem missa faciamus, quicquid ipsi videatur, alii omnes uno ore consentient, Patres Chalcedonenses non adeo incautos fuisse, et antiquitatis imperitos, ut Canonem triginta tantum annis ante constitutum, si notum habuissent, antiqui nomine decorarent. Restat itaque, ut nec Canon Antiochenus, quod Dallæus, nec Carthaginiensis, quod Observator voluit, sed Canones Apostolici, quod nos volumus, a Patribus Chalcedonensibus hoc in loco sub τῶν πάλαι κανόνων nomine commemorentur.

CAPUT XIII.

Synopsis.

- I. *Alexandri Alexandrini testimonium vindicatur. Is nec ad Eliberitanos nec ad Arelatenses Canones respexit.*
- II. *Canon non scriptus non potuit ab Alexandro dici Apostolicus. Ad locum Epiphaniae de hac re respondetur.*
- III. *Constantini M. Imp. testimonium defenditur. Canon Apostolicus ab eo memoratus de Apostolorum traditione intelligi non potest. Et si ita intelligatur, nihil nostrae opinioni adversatur.*
- IV. *Contra Julii P. R. testimonium nihil objectum.*
- V. *Concilii C.P. testimonium Observator sex oppugnavit exceptionibus, quarum prima nihil est quam vel concessio vel petitio principii.*
- VI. *Secunda exceptio de dissonantia inter Canones Apost. et C.P. refellitur; ut et tertia de Balsamone, Zonara, ac Aristeno, Canones Apost. hic non citantibus. Synodus Carthaginiensis nec Can. Apostolicis nec decreto C.P. adversatur.*
- VII. *Ad quartam exceptionem saepe responsum est. Et quinta $\rho\delta$ $\epsilon\nu$ $\acute{\alpha}\rho\chi\eta\tilde{\iota}$ postulat.*
- VIII. *Ultima exceptio diluitur. Patres C.P. nec ad Canones Antiochenos respexerunt, nec ad Nicænos. S. Hieronymi locus explicatur.*
- IX. *Testimonium Synodi Ephesinae defenditur. In eo nec Nicænus nec C.P. Canon indicatur, sed Apostolicus.*
- X. *Contra illustre Theodosii Imp. testimonium a nobis adductum nihil ab adversariis exceptum est.*

I. VINDICATIS iis veterum testimoniis, quibus Canones, quorum antiquitatem defendimus, sub antiquorum et ecclesiasticorum nomine citati sunt; superest modo inspicimus quas eruditi viri exceptiones excogitarunt adversus ea, quæ eosdem Canones Apostolorum, et Apostolicos verbis

[Cap. vi. sect. 2, pp. 69, 70.]

Apud Theodoretum, Hist. Eccl. lib. i. cap. 4. [p. 11.]

[Vide supra, cap. vi. sect. 2, p. 70.]

Observat. [in Annot. Bev. cap. iv.] p. 17.

conceptis nuncuparunt. Primum hujus generis testimonium a nobis allatum, est illud Alexandri Episcopi Alexandrini, qui in epistola ad Alexandrum C.P. diserte ait, *Μήτε τὸν Ἀποστολικὸν κανόνα συγχωρεῖν, neque Apostolicum Canonem permittere*, ut ab aliis excommunicati ab aliis in Ecclesiam recipiantur. Quod quidem sub gravissima poena sancitur a Canone Apostolico XII. Quid ad hoc Dallæus? Nihil. Quid Observator? Quod tantidem est. Dicit enim primo, *Nullum ab Alexandro indicari peculiarem Canonem, nullamque ab eo memorari Canonum Apostolicorum syllogen*. Quid autem? Annon peculiaris Canon ab Alexandro indicatur, ubi Apostolicus disertissime laudatur? Annon istum atque alios quoscunque Canones clarissime distinguit, cum Apostolicum appellat? Quinam, quæso, Canones isto nomine antiquitus nuncupati sunt, præter eos, quos hodie Apostolicos nominamus? Sed exspectat forsitan vir eruditus, ut Alexander locum etiam indicaret, quem hic Canon in Codice obtinuit, hoc est, ut hi Canones aliter atque alii omnes ante quintum declinatum seculum, et postea etiam plerique, citarentur. De hoc autem fusius ante disseruimus, nec opus est hic plura adjiciamus. *Verum nulla hic, inquit, memoratur Canonum Apostolicorum sylloge*. Esto. Quid tum inde? Nicæni Canones, aliive nusquam citantur, præterquam ubi tota eorum sylloge memoratur? Alexander quidem unum tantummodo Canonem Apostolicum memorandi occasionem habuit, ac propterea totam citare syllogen non modo non necesse, sed et superfluum esset. Istum autem unum memorando, Codici, quo habetur, luculentum satis testimonium perhibuit. Huic autem exceptioni toties ab ipso usitatae, et a nobis antea refutatae, parum confisus addit vir doctus, *Secundo, Apostolicam illam regulam Alexandro nihil aliud esse, quam Canones ante Concilium Nicænum sanctos, velut Can. LIII. Concilii Eliberitani, anno CCCV. celebrati; vel XVI. Concilii Arelatensis primi, anno CCC[X]IV. habiti*. Quid Alexandro in Ægypto cum provincialibus Conciliis in Hispania et Gallia celebratis? Incertum quidem est, an Alexander de urbe Eliberi aut Arelate, incertius, an de provincialibus Episcoporum ibi celebratis Conciliis, incertissimum autem, an de Canonibus ab istis Conciliis editis ullam vel tenuissimam auditionem acceperit. Certissimum vero, quod

si Canones ab illis sua ipsius ætate constitutos scivisset, eos Apostolicos vocare nequaquam voluit: neque Alexandrum C.P. certiozem facere, Apostolicum, sed Eliberitanum aut Arelatensem, Canonem hoc non permittere. Nihil autem apertius esse potest, quam Alexandrum talem voluisse Canonem, qui non modo in Hispania aut Gallis, sed Alexandria et Constantinopoli obtinebat, istisque in locis vulgo notus erat, et quidem sub nomine Canonis Apostolici, quod quidem nomen nec Eliberitani, nec Arelatenses, nec alii quivis unquam obtinuerunt Canones, præter eos, quos in Codice Canonum Ecclesiæ primitivæ una collectos habemus.

II. Prævidens autem cautus Observator, neminem sibi assensurum fore Canones Eliberitanos aut Arelatenses ab Alexandro indicatos esse, se alio confert, ad *Canonem* nimirum istum, ut ipsi videtur, *non scriptum, publicoque tametsi tacito omnium usu ac consensu receptum, secundum quem Clerus Romanus vacante sede post Hygini mortem, nempe circa annum Domini CL., Marcionem, ob vitiatam virginem a proprio parente excommunicatum, in communionem admittere recusavit, ab Apostolorum discipulis [ut ait Epiphanius] edoctus, 'Cur me, inquit Marcion, seniores illos alloquens, recipere noluitis? Responderunt illi, Nobis injussu venerandi patris tui facere istud non licet: una siquidem fides est, et animorum una consensus: neque contra spectatissimum comministrum patrem tuum moliri quippiam possumus.'*¹ Quibus recitatis subjungit vir doctus: *Ecce Apostolicum Canonem non fictitium illum quidem [aut spurium], sed verum ac genuinum, ab Apostolis discipulis suis traditum, et ab Apostolorum discipulis non scripto, sed usu ac praxi, ad successores transmissum. Nam ab Apostolorum discipulis edocti Ecclesiæ Romanæ seniores seu presbyteri Marcionem a patre excommunicatum recipere noluerunt; quia scilicet hæc erat Ecclesiæ disciplina, ut ab aliis excommunicati ab aliis sine excommunicantium consensu non admitterentur. Sane Franciscus Turrianus, si revivisceret, multum te amaret, vir erudite, et singulares tibi gratias*

[Observat. in Annot. Bev. cap. 4, pp. 17, 18.]

Hær. xlii. [Marcion.]

Observat. [In Annot. Bev. cap. iv.] p. 18.

¹ [Τούτο οὖν φανερῶς αὐτοῖς (ὁ Μαρκίων) ἔλεγεν, τί μὴ ἠβελήσατέ μιν ὑποδέξασθαι; τῶν δὲ λεγόντων, ὅτι οὐ δυνάμεθα ἄνευ τῆς ἐπιτροπῆς τοῦ τιμίου πατρὸς σου τοῦτο ποιῆσαι, μία γὰρ ἴσται ἡ πίστις, καὶ

μία ὁμολοία, καὶ οὐ δυνάμεθα ἐναντιωθῆναι τῷ καλῷ συλλειτουργῷ, πατρὶ δὲ σφ.— Epiph. Hær. xlii. Marcion. N. ii. Op. tom. i. p. 303, C, D.]

ageret, quod tam insigne ei subministrasti argumentum, quo Canones hosce ab ipsis Apostolis traditos fuisse demonstraret, cum, quod in uno saltem eorum habetur, Apostolicæ traditioni attribuendum, imo ab ipsis Christi Apostolis discipulis suis traditum fuisse, non confitearis modo, sed et probatum ei dederis. Quod enim dicis, hoc non scripto sed usu ac praxi ad successores eorum transmissum esse, id gratis dictum est. Nec verisimile est Apostolorum discipulos, eorumque successores, ea omnia scripto non mandasse, quæcunque ab ipsis Domini Apostolis tradita acceperant. Nos etiam summas tibi, quas possumus, habemus gratias, quod, secus ac alibi consuetus es, ingenue hic confitearis, hanc secundo currente seculo in Ecclesia obtinuisse disciplinam, ut ab aliis excommunicati ab aliis sine excommunicantium consensu non admitterentur. Hinc enim constat, et pro confesso habemus, hanc Canonum collectionem primitivæ ac Apostolicæ Ecclesiæ disciplinam, quæ secundo vigeat seculo, hac saltem in parte fideliter exhibere. Quod autem hanc veteris Ecclesiæ disciplinam non scripto, sed usu et praxi ad successores transmissam esse iterum asseveras, eo quidem magnum sanctissimis istorum temporum Episcopis crimen infers, ac si curæ sibi commissæ adeo negligentes essent, ut ecclesiasticam ab ipsis Christi Apostolis eorumque discipulis acceptam disciplinam scriptis mandare, atque ita posteritati tradere non curarint. Quo quidem nihil iis antiquius esse debuit. Nos universos illos pientissimos Apostolicæ Ecclesiæ antistites tantæ incuriæ insimulare non ausi sumus; præsertim cum contrarium luculentissime pateat. Quarto enim, ut videmus, ineunte seculo Alexander Episcopus Alexandrinus Canonem Apostolicum de hac re editum verbis disertissimis laudavit. Quod quidem nec voluisset facere, nec potuisset, si disciplina ista usu tantum, et non scripto Canone ad ipsum transmissa fuisset. Cum ipse autem non τὸ ἀρχαῖον ἔθος, non τὴν Ἀποστολικὴν παράδοσιν, sed expresse τὸν Ἀποστολικὸν κανόνα citaverit, ista loquendi formula clarissime demonstrat, se Canonem scriptum voluisse: eo enim quod Canonem vocat, ab usu et traditionibus non scriptis, qui Canones nunquam appellati sunt, eum aperte distinguit. Quapropter si ipse Observator post illa Epiphanii verba dicat, 'Ecce Apostolicum Canonem,' ubi nec

Canonis, nedum Apostolici, ulla vel tenuissima occurrit mentio; quanto majori jure nos dicamus, Ecce Apostolicum Canonem non fictitium, non spurium, non nullum, sicut Observatoris, sed verum et genuinum, a clarissimo viro, dignissimo Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopo, totidem verbis memoratum? Sed en viri confidentiam post præmissa dicentis, *Quid ad hæc repositurus sit Beveregius non video: nullus siquidem ei superest tergiversandi locus, cum ipse fateatur secundo labente, et ineunte tertio a Christi nativitate seculo constitutos esse, quos cæco prosequitur amore, Canones Apostolicos. Epiphaniï autem narratio tempus a viro docto præstitutum antecessit.* Rectissime quidem dicit se non videre quid ad hæc repositurus sum; nihil siquidem in iis video, quod responsonem mereatur. Nec ulla machina expiscari possum, quod sibi velit Observator per totam hanc historiam ex Epiphanio petitam, nedum quid sibi ex eadem probare proposuerit. Epiphanius refert Marcionem a senioribus Romæ, qui ab Apostolorum discipulis edocti adhuc supererant, postulasse, ut in Ecclesiæ communionem reciperetur: illos autem hoc ei denegasse, dicentes, "Ὅτι οὐ δύναμεθα ἄνευ τῆς ἐπιτροπῆς τοῦ τιμίου πατρὸς σου τοῦτο ποιῆσαι, *Illud absque permissione venerandi patris tui facere nequaquam possumus.* Quid hinc colligit eruditus Observator? Apostolicum quidem, sed non scriptum, de hac re Canonem tunc temporis exstitisse? Ubi autem Epiphanius Canonem citat? Ubi non scriptum fuisse docet? Vel si talis nondum scriptus exstitisset Canon, quid vetuit, quo minus ante CL. annos, post quos Alexander, de cujus testimonio agimus, claruit, scripto traderetur? Sed nondum fortasse mentem Observatoris assecuti sumus. Verba igitur denuo recolamus. Dicit autem Apostolicum Canonem nihil aliud Alexandro fuisse quam Canonem illum non scriptum, sed publico tantum usu ac consensu receptum, secundum quem Clerus Romanus Marcionem a patre excommunicatum admittere recusavit. Verum ubi loci Clerus Romanus hoc Marcioni ex Canone Apostolico recusasse dicitur? Dicitur quidem id recusasse, quod sine patris consensu id facere non liceret, nulla omnino Canonis vel Apostolici, vel ecclesiastici, vel scripti, vel non scripti, mentione facta. Sub quonam itaque rationis prætextu affirmare potuit vir doctus, Canonem Apo-

Observat. [in Annot. Bev. cap. iv.] pp. 18, 19.

[Epiph. Hær. xlii. Marcion. N. ii. Op. tom. i. p. 303.]

stolicum nihil aliud Alexandro fuisse, quam Canonem illum ab Epiphania ibi memoratum, ubi nullus omnino Canon memoratur? Sed ut ut est, asserit nihilominus Observator, nullum modo nobis superesse tergiversandi locum. Nec quidem tali loco nobis opus est. Etiam si enim fateamur, Canones hosce Apostolicos secundo labente, vel tertio ineunte seculo, constitutos et collectos esse, istamque Epiphania narrationem tempus illud antecessisse, nihil prorsus incommodi nostræ exinde opinioni orietur. Nihil enim interest, utrum ecclesiastica ista disciplina anno Dom. CL. scripta, an non scripta fuerit. Si talis enim tunc scriptus Canon exstaret, quin idem postea renovari, et in hunc Apostolicorum Codicem referri potuerit, nemo dubitabit. Quod si ista Ecclesiæ disciplina secundo adulto seculo nondum scripto mandata esset, ut Observatori videtur, eandem tamen eodem labente seculo literis consignari potuisse, nec ipse, nec quis, ut opinor, alius negabit. Præsertim cum talem Canonem reipsa scripto traditum, et quarto ineunte seculo passim cognitum fuisse, ex hoc Alexandri Apostolicum de ea re Canonem diserte laudantis testimonio satis abunde constet. Cujus vim atque evidentiam cum Observator omni, qua pollet, arte sophistica effugere non valuerit, in obscuras quasdam circumlocutiones erupit, quibus incautis imponeret lectoribus et persuaderet, Canonem Apostolicum ab Alexandro laudatum, Canonem omnino non esse, sed nescio quem Ecclesiæ usum in Canonem nunquam formatum. Cum autem in multis illis magnisque, quæ de hac re coacervavit, verbis nihil prorsus vel plane vel apposite ad rem dixerit, tam proluxæ in eum responsionis me suppœnitet: ac proinde, ne aliis pariter atque mihimet injurius sim, ad alia transilium oportet.

III. Post Alexandrum Episcopum Alexandrinum, Constantinum Imperatorem Romanum, augustissimum veræ Canonum Apostolicorum antiquitati adstruendæ testem citavimus, qui scilicet Eusebium Episcopum Cæsariensem commendans, quod Antiochiam transferri recusat, eum hoc modo, et mandata Dei, et Canonem Apostolicum et ecclesiasticum, custodiisse affirmat. Ubi, ut videre est, Canon Apostolicus et a mandatis Dei et a Canonibus ecclesiasticis distinguitur. Qui quidem Canon de ea re sancitus ab

[Cap. vi.
sect. 3, pp.
70, 71.]

Euseb. de
vita Constan.
lib. III. cap.
61, [p. 618.]

Eusebio custoditus, et ab Imperatore propterea hic memoratus, in vulgari nostra Canonum Apostolicorum sylloge decimus quartus numeratur. Hoc illustrissimum pro Canonibus Apostolicis testimonium Jo. Dallæus haudquaquam tetigit, et Observator quidem levissime. Quod ut omnibus manifestum fiat, propria ipsius verba a capite ad calcem transcribere non pigebit. *Quæ affert, inquit, ex Lib. iii. cap. 61 et 62, de Vita Constantini [Imperatoris] facile diluuntur, si per 'Canonem Apostolicum' Apostolorum intelligis traditionem, et per 'ecclesiasticam sanctionem' Canonem Nicænum XV., vel consuetudinem, seu usum antiquum, qui ante illud Concilium in Ecclesia vigeat, et tacito Christianorum consensu pro lege habebatur, donec tandem a Nicænis Patribus in Canonem fuit redactus, et literis traditus. Præterea, Constantinus de Canonum Apostolicorum collectione penitus tacuit, nullumque præcise Canonem designavit. Qui hæc legit, ea primo intuitu deprehendat, verba esse hominis causæ suæ diffidentis, ac proinde perditæ se gerentis, nec admodum solliciti, quid dicat, modo aliquod dixisse videatur. Primo enim, Hæc, inquit, facile diluuntur, si per Canonem Apostolicum Apostolorum intelligis traditionem. Quibus sane verbis se suspensum animo et incertum pendere prodit, an hoc testimonium ita diluatur. Modo si quis incautus votis ejus subscribens per Canonem Apostolicum Apostolorum traditionem intelligere dignatus erit, tunc demum facile illud dilui posse arbitratur. Verum quid, si neminem adeo credulum et præcipitem judicio invenerit, qui Apostolorum traditionem per Canonem Apostolicum intelliget? Eo quidem pacto diluatur forsitan hoc testimonium, sed admodum difficulter. Quid autem, si per 'Canonem Apostolicum' nihil aliud intelligamus quam 'Canonem Apostolicum?' Tunc, ipso etiam Observatore judice, hæc responsio nihil valebit, hocque Imperatoris testimonium nullo modo diluetur. Quis porro adeo stipes est et bardus, quis antiquitatis ecclesiasticæ adeo ignarus, quis omnium rerum et scriptorum adeo nescius, quis denique omni ratione pariter atque sensu adeo captus est, qui per 'Canonem Apostolicum' aliud quam 'Canonem Apostolicum' intelligat? Hæc verba adeo obscura sunt aut ambigua, ut interprete indigeant? aut ad aliud nescio quid transferantur necesse est,*

Observat. [in
Annot. Bev.
cap. iv.] pp.
16, 17.

priusquam sensus ex iis eliciatur? Annon clarissimis, quibus mentem suam explicare potuit, verbis Imperator, Canonem Apostolicum, ut a mandatis Dei simul ac a Canonibus ecclesiasticis distinctum, memoravit? Annon etiam in Canonibus istis, qui Apostolici antiquitus dicti fuerunt, illud expresse habetur, quod hic ab Imperatore indigitatur? Quo itaque jure verba in se planissima, nulla prorsus cogente necessitate, in alienum, quem nunquam ferant, sensum violenter adeo torqueamus? Sane si hoc modo cum omnibus veteris Ecclesiæ monumentis agere liceret, ea vel legere vel penes me habere haud operæ pretium duxerim: nihil enim dicent, nisi quod ipsi volumus. Verum tantæ in veterum scripta injuriæ, hoc saltem in loco, eruditum Observatorem accusare non ausus sum: quippe qui non affirmat, Apostolorum traditionem per Canonem Apostolicum hic intelligi, quod ipse falsum esse probe novit, sed per dubitandi particulam 'si' illud aliis judicandum relinquit: quibus si ita intelligere placuerit, hoc testimonium *facile*, inquit, *diluitur*. Sed et in hoc etiam vir doctus magno errore tenetur. Licet enim Canon Apostolicus necessario in istis verbis intelligendus sit, in quibus scilicet præcise laudatur, is tamen ab Apostolis traditus esse potuit, atque ideo inter Apostolorum traditiones recenseatur, istas nimirum, quæ proximo post eos seculo scripto mandatae, et in Canonum ecclesiasticorum formam redactæ sunt. Quapropter, etiamsi per Canonem Apostolicum Apostolorum intelligas traditionem, nihil efficies, nisi istiusmodi insuper traditionem intelligas, quæ scriptis nunquam tradita fuit. Hanc autem ante quartum seculum non scriptam fuisse, Observator nec probare potest, nec (ut opinor) affirmare. Nos in contrariam prorsus venimus sententiam, eo inducti, quod Imperator Constantinus Apostolicum de hac re Canonem definite laudaverit. Cujus illustre testimonium tantum abest ut infringatur, ut firmius potius hac, si ita dicatur, exceptione stabiliatur, siquidem tam sagax et emunctæ naris Observator nihil plane invenire potuit, quod contra illud vel objectio vel etiam exceptio dici mereatur.

Quæ postea addit vir doctus, de ecclesiastica sanctione a Constantino etiam memorata, huc non pertinent, ac propterea utrum ea ad Canonem Nicænum, an ad antiquum usum

referatur, nihil hic laboramus. Notatum modo obiter velimus, permirum esse, si Constantinus ad antiquum aliquem usum confugerit, cum ipse talem a Synodo Nicæna paulo ante editam fuisse sanctionem probe noverit: quam etiam sanctionem, et non nudum Ecclesiæ usum sive consuetudinem, hic intelligendam esse, ex eo satis constat, quod ὁ τῆς ἐκκλησίας κανὼν appellatur. Cum hæc autem omnia æquis lectoribus haud satisfactura esse prospectum habuerit eruditus Observator, ad consuetum ipsius refugium hic etiam recurrit, dicitque, *Præterea Constantinus de Canonum Apostolicorum collectione penitus tacuit, nullumque præcise Canonem designavit.* Verum cum hæc toties a nobis refutata sint, et funditus eversa, eadem hic repetere, et ad incudem revocare, opprobrium nobis et lectori tædio esset.

[Observat. in Annot. Bev. cap. iv. p. 17.]

IV. Quæ Julii Papæ Romani Epistola ad Episcopos Orientales in causa S. Athanasii scripta nobis confirmandæ Canonum Apostolicorum vetustati testimonia suppeditavit, a nobis hic primo observata et adducta sunt. Quocirca nec Dallæus, nec Observator ullas contra ea exceptiones effingere conatus est. Nec video sane quid contra tam perspicua objiciatur testimonia, præter ea quæ jam sæpe a nobis retusa sunt, ut non opus sit iis hic immoremur.

[Vide supr. cap. vi. sect. 4. pp. 71-73.]

V. Proximum in hoc genere pro Canonibus Apostolicis testimonium adduximus ex Concilio C. P. sub Nectario habito anno Domini CCCXCIV., ubi quæstione proposita, utrum Episcopus de criminibus quibusvis accusatus a duobus Episcopis jure sive canonice deponatur, decretum est, Episcopum nec a tribus nedum a duobus deponendum esse, sed majoris Synodi et Provinciæ Episcoporum sententia, καθὼς καὶ οἱ Ἀποστολικοὶ κανόνες διωρίσαντο, quemadmodum et Apostolici Canones definiturunt. Quo quidem testimonio nihil gravius, nihil evidentius, nihil disertius proferri potest. Hoc enim expresse definitum est, Canone Apostolico LXXIV. Clarissimus vir Jo. Dallæus huic, ut a Turriano non citato, testimonio se nullus opposuit. Observator autem sub gravissimo illius pondere laborans sudansque nullum non movit lapidem, quo, si fieri potuit, vel removeret illud, vel saltem removisse videatur. Quapropter suspectas habens istiusmodi, quas ipse excogitare solet, exceptiones, causam suam hoc in loco paucioribus quam sex concedere non ausus est:

[Cap. vi. sect. 5. pp. 73-75.]

[Pan. Can. tom. i. p. 679, B; et Conc. tom. ii. col. 1154, B.]

[Vide supr. cap. v. sect. 4. p. 60.]

Observat. [in
Annot. Bev.
cap. ii. p. 8.]

quas omnes quotquot sunt, examinare non gravabor. *Primo*, inquit, *Canon LXXIV.*, ad quem respexisse Concilii Patres hariolatur, *Græcis tunc temporis vix notus erat. Nemo enim Græcorum Canones LXXXV. in lucem protulit, ante Joannem Antiochenum, qui sub Justiniano florebat, fatente ipso Beveregio.* Vereor autem, ut per tantam exceptionum multitudinem firmus stabilisque perambulet vir eruditus, cum in ipso limine de improvviso titubet. *Primo enim fasces hic submittit, et de causa, quam defendere conatus est, inconsiderate cedit. Dicit enim hunc Canonem Apostolicum Græcis tunc temporis vix notum fuisse. Ergo, ipso etiam fatente, iis non omnino incognitus fuit. Nobis vero sufficit, si ullo modo tunc temporis innotuerit. Inde enim satis constat, et pro confesso habemus, quarto istum seculo extitisse. Quod si se recolligens, hunc Canonem ne vix quidem, nec omnino tunc dierum cognitum fuisse asserere voluit, hoc non esset objicere, aut quicquam contra luculentum hoc testimonium excipere, sed τὸ ἐν ἀρχῇ postulare. Hæc enim est ipsa inter nos agitata quæstio, utrum hi Canones tunc temporis cogniti essent. Quapropter hanc primam e numero exceptionum expungat necesse habet. Quod ad rationem spectat huic exceptionis umbræ, vel ne umbræ quidem, annexam, ubi neminem dicit ante Joannem Antiochenum hos LXXXV. Canones in lucem protulisse, etsi hoc verum esse demus, si ita intelligatur, quod nemo quem scimus eorum, quorum opera hodie supersunt, hosce ante eum Canones Conciliorum Canonibus intersertos edidit; nihil tamen a vero magis abhorret, quam hos Canones, non in aliis vetustioribus Canonum collectionibus, quæ intercederunt, in lucem prolatos, passimque cognitos fuisse; ut fuse ostendimus de Joanne Antiocheno, ejusque Canonum collectione agentes. Nos autem hoc in loco non disputamus de tempore, quo primo hi inter alios collecti fuerunt Canones, sed de ipsa Canonum antiquitate. Ad quam quidem solvendam quæstionem, nihil interest, utrum a Joanne Antiocheno, an ab aliis (quod verissimum est) inter reliquos Ecclesiæ Canones primo compacti, et isthoc modo in lucem prolati fuerint. Nihil enim dubii esse potest, quin longe ante sanciti cognitique fuerint, quam in Nomocanonem sive corpus Canonum Ecclesiæ Orientalis admissi.*

[Supr. cap.
viii. sect. 4,
pp. 87-89.]

VI. *Secundo*, itaque ait vir doctus, *Canon ille synodicæ* [Observat. in Annot. Bev. cap. II. p. 8.] *definitioni, qua de agitur, nequaquam congruit, nihilque fere cum ea commune habet.* Quod si eruditus Observator istum Apostolicum Canonem LXXIV. purgatis præjudicio oculis legisset, et cum synodica ista Patrum Constantinopolitanorum definitione comparasset, neque hanc nobis exceptionem obtulisset. Isto enim Canone Apostolico sancitum est, ut [Vide supr. cap. v. sect. 5, p. 60.] *Episcopus a viris fide dignis accusatus ab Episcopis sive Synodo Episcoporum ter vocetur, missis duobus ad eum Episcopis.* Et si tertio citatus contumax se non stiterit, Synodus ea, quæ ipsi videntur, adversus eum pronunciet. Ex hujus itaque Canonis præscripto, Episcopus non nisi a Synodo Episcoporum judicari aut deponi potest. Imo quidem a Synodo majori, quæ duos a se Episcopos ad eum citandum mittat. Hoc autem idem est, quod Patres C.P. definierunt, ubi ab iis decretum est, Episcopum nec a tribus nedum a duobus deponendum esse, sed majoris Synodi ac provinciæ Episcoporum sententia, juxta quod in Canonibus Apostolicis definitum est. Unde Alexius Aristenus sensum totius hujus synodicæ definitionis in hanc epitomen redegit, *Μη χεῖναι πρὸς τὸ ἐξῆς, μήτε παρὰ δύο, μήτε παρὰ τριῶν τὸν ὑπεύθυνον δοκιμαζόμενον καθαιρεῖσθαι, ἀλλὰ πλείονος συνόδου· ψήφῳ, καὶ τῶν τῆς ἐπαρχίας, καθὼς καὶ οἱ Ἀποστολικοὶ κανόνες διαγίσαντο.* [Pan. Can. tom. I. p. 680, B.] *In posterum reum examinatum nec a duobus nec a tribus deponi oportet, sed majoris Synodi et Provincialium sententia, quemadmodum et Apostolici Canones definierunt.* Cum hæc itaque synodica definitio idem prorsus decernat, quod in Canone Apostolico decretum est, ut Episcopus nimirum a Synodo Episcoporum judicetur, tantum abest, ut ista cum hoc nihil, ut omnia potest communia habeat. Adeo ut hæc etiam exceptio nulli omnino usui sit Observatori, nisi forsitan ad explendum exceptionum numerum, quibus sane merito connumeretur, cum reliquarum ad instar nihil insigni huic testimonio detrahat. Nec ovum ovo similius quam tertia secundæ huic Observatoris exceptio. *Tertio*, enim inquit, [Observat. in Annot. Bev. cap. II. p. 8.] *Balsamon, Zonaras, et Aristenus, qui hanc synodicam definitionem interpretati sunt, nihil plane dicunt de Canone Apostolico; neque ad eum respexisse Synodum innuunt.* Quid tum postea? An necesse erat Canonum interpretibus singula quæ in iis occurrunt verba explicare, et ostendere ad

- quænam veterum scripta respectum habeant? Balsamon, Zonaras, et Aristenus, persuasissimum habuerunt, omnes hosce ab ipsis Apostolis vel saltem a viris Apostolicis conditos fuisse Canones; de ea re etiam inter universam Ecclesiam Orientalem conveniebat, adeo ut nemo in dubium revocaret. Ac propterea non opus erat doctissimis istis in Canones Scholiastis argumenta congerere ad id confirmandum, quod nemo negabat. Si ullus Dallæus, aut Observator istis diebus exstitisset, qui hos Canones non a viris Apostolicis, sed hæreticis, non a primitiva Ecclesia, sed post quintum adultum seculum, confictos editosque fuisse, affirmare ausus esset, tunc haud dubie celeberrimi illi Canonum interpretes luculentum hoc testimonium observassent, quo Canonum horum antiquitatem assererent. Cum nemo autem talis inventus esset, nulla prorsus necessitas flagitabat, ut hi Canonum interpretes de Apostolicorum hoc in loco antiquitate disputarent, vel Synodum Constantinopolitanam respectum ad eos habuisse quovis modo innuerent. Ex eorum autem silentio hic disputare, est tantum non se victum agnoscere: præsertim cum exinde pateat, quam solidis ad evertendam horum Canonum antiquitatem argumentis destitutus fuerit vir eruditus, quandoquidem ad eos etiam confugere coactus est, quos ipse acerrimos esse Apostolicæ eorum institutionis propugnatores bene novit. Adhæc, Canones Apostolici in ipsa synodica definitione disertissime citantur, adeo ut Alexius Aristenus eorum citationem tanquam essentialem definitionis partem in suam etiam Epitomen redegerit. Quid igitur opus erat, ut vel ab eo vel ab aliis denuo recitaretur, præsertim in brevibus istis commentariis, quæ in hoc Synodi Constantinopolitanæ decretum elaborarant? Sed Scholiastæ, inquit vir doctus, *Observant duntaxat, Canonem duodecimum Synodi Carthaginiensis, ista Constantinopolitana posterioris, rem aliter definiisse, et constitutionis, ex qua argumentatur vir doctus, vim atque pondus elevasse: quod minime facturi erant Carthaginienses Patres, si eam Apostolico Canone inniti arbitrati essent.* Hæc profert eruditus Observator, ac si pro comperto habuisset, hanc Provincialis Synodi Constantinopoli habitæ definitionem Patribus Carthaginiensibus innotuisse. Ubi hoc legit, quove pacto id scire potuit, me prorsus latet: cui vero multo

[Observat. in
Annot. Bev.
cap. II. p. 8.]

similius videtur, nec ipsam hanc Synodum in aliena et remota provincia celebratam, nedum decretum ab ista editum ad eorum aures unquam pervenisse. Quod si de synodica hac definitione nunquam audiissent, quomodo eam Apostolico Canone inniti arbitrari poterant? Sed, utcumque se res habeat, demus doctissimo Observatori quicquid ipse hic postulare potest, sed non probare, demus ei synodicam hanc definitionem Patribus Carthaginiensibus cognitam fuisse, demus eosdem Patres hæc ipsa in ea verba legisse, καθὼς καὶ οἱ Ἀποστολικοὶ κανόνες διαγρίσαντα, demus etiam eos propterea arbitratos esse, hanc definitionem Apostolico inniti Canone; quid ex hisce postulatis datisque eliciatur? Patres Carthaginienses rem aliter definire noluisse, quam a Synodo C. P. ex Canonis Apostolici præscripto definita fuerat? Nullo modo. Nemo enim nescit Synodos posteriores sæpe alia, nonnunquam et contraria constituisse, ac quæ a prioribus constituta fuerant: idque licet priores illæ Œcumenicæ sive universales, et posteriores singularium tantummodo provinciarum Synodi essent. Quod sexcentis, si necesse esset, exemplis demonstrare licet. Enimvero in unaquaque provincia Episcopi, qui eam administrant, necessitate multoties coacti sunt, a veterum Synodorum etiam generalium decretis aliquantulum recedere, et ea definire, quæ præsens Ecclesiæ status postulat, licet aliter fortasse antea definita fuerant. Verum in negotio, quod sub manibus habemus, aliud etiam observare est. Canones enim Apostolici, et ex iis Patres C. P., decreverant, ut Episcopus a Synodo Episcoporum judicetur aut deponatur. Sed Patres Carthaginienses advertentes omnes, pluresve provinciæ cujusque Episcopos semper convenire non posse, constituerunt ut Episcopus accusatus a duodecim minimum Episcopis audiatur. Quæ quidem constitutio, licet minimum Episcoporum, qui ad tale ferendum judicium convenire debeat, numerum de novo definierit, tamen nec Canonibus Apostolicis nec definitioni Constantinopolitanæ adversatur. Patres enim Carthaginienses hunc suum Canonem duodecimum tunc tantum valere jubent, cum γενήσεται πολλή ἀνάγκη τοῦ μη δύνασθαι συνελθεῖν πολλοῦς, fieri non possit omnino, ut plures conveniant. Ergo si fieri possit, plures vel omnes provinciæ Episcopi ad causam Episcopi accusati audiendam convocandi

[Pan. Can.
tom. i. p. 525,
E.]

sunt, etiam ex hoc ipso Patrum Carthaginiensium decreto, qui veterum quoque Synodorum decretis se religiose insistere profitentur. Hunc enim suum ipsorum Canonem his verbis incipiunt, Ἀναφέρω κατὰ τὰ ὀρισθέντα ἐκ τῶν παλαιῶν συνόδων. Quibus verbis veterum Synodorum decreta (inter quæ Canones Apostolici recensendi sunt) de hac re edita indignant, quibus scilicet cautum fuit, ut Episcopus a Synodo Episcoporum judicetur: quibus proinde ipsi in suo condendo Canone non repugnarunt, sed tantum minimum constituerunt Episcoporum numerum, ex quo talis Synodus constare debet. Quod quidem vel Canonis Apostolici vel definitionis Constantinopolitanæ vim atque pondus elevasse nemo Observatori, nec jurejurando id affirmanti, fidem habebit. Tale enim decretum Patres Carthaginienses summo jure edere potuerunt, etiamsi definitionem istam Constantinopolitanam Canone vere Apostolico, sive ab ipsis Apostolis constituto, inniti arbitrati essent: multo magis si ipsi, Canones Apostolicos in isto decreto memoratos, nobiscum consenserint, nihil aliud esse quam veterum Synodorum decreta, quorum et ipsi hoc in loco meminerunt.

[Pan. Can. tom. i. p. 525, E.]

[Observat. in Annot. Bev. cap. II. pp. 8, 9.]

VII. Tres quæ supersunt contra hoc testimonium exceptiones vix dignæ sunt, quibus responsum detur. Quarto enim dicit, quod *nullum præcise Canonem indicant Constantinopolitani Patres, nullamque cujusdam Canonum Apostolicorum sylloges mentionem faciunt, sed de Canonibus Apostolicis generaliter loquuntur*. Hæc autem non est huic peculiaris, sed omnibus pro Canonum Apostolicorum antiquitate testimoniis quasi communis exceptio. Ubiq̄ue enim jactatur a viro erudito, sed se prorsus inconsulto. Ipsum enim latere non potuit, veterum Synodorum Canones eodem passim, si non perpetuo, modo antiquitus citatos esse, nullius præcise Canonis nec Canonum sylloges mentione facta. Sed quamvis ille ineptam hanc frivolumque exceptionem toties repetierit, nobis tamen cavendum est, ne, quod superius fuse nec semel contra eam diximus, deinceps dicamus. Quandoquidem vero dicit Patres C.P. de Canonibus Apostolicis generaliter loqui, tanquam si illud idem esset ac nihil de iis loqui, gratus ab eo acciperem, quo demum modo planius disertiusve de iis loqui potuerunt. Annon enim Canones Apostolicos de hac re sancitos totidem verbis memorarunt?

Annon etiam totam eorum syllogem clare satis et præcise indicant, cum non singularem aliquem Canonem, sed generaliter Canones sive corpus illud Codicemve Canonum, quo hoc decretum exstitit, expresse citarint? Cum hæc autem exceptio ipsi exceptori minus placuerit, addit, *Quinto, Dallæus certis atque evidentibus argumentis demonstravit, illam Apostolicorum Canonum farraginem falsam ac fictitiam esse, ab ignoto tenebrione multis post Apostolorum et Clementis mortem temporibus consarcinatam, quod imprimis de triginta quinque postremis, inter quos numeratur Canon LXXIV., intelligendum est. Si Dallæi argumenta refellisset vir doctus, nostrum esset illius responsiones expendere, et confutare. Sed quoniam pleraque intacta reliquit, exceptis quibusdam Dallæi conjecturis, quæ ad Canonum istorum antiquitatem spectant, Dallæanis argumentis inhærere nos oportet, donec ab adversario refellantur.* Quid est, si hoc non est, τὸ ἐν ἀρχῇ iterum postulare? Controversia inter nos agitur, utrum Canones Apostolorum dicti ante quintum adultum seculum sanciti fuerint, vulgoque cogniti. Nos illud affirmamus, eo inter alia inducti, quod Patres C:P. eos in Synodo quarto seculo celebrata diserte citarunt. Observator contra hoc testimonium excipit, quod Dallæus demonstravit hanc Canonum Apostolicorum farraginem falsam esse ac fictitiam, multis post Apostolos temporibus, hoc est, non ante quintum adultum seculum, consarcinatam. Hoc autem id est quod in quæstionem vocatur; et nihil aliud quam probare Canones Apostolicos tunc temporis non exstitisse, ex eo quod tunc temporis non exstabant. Qualis ratiocinatio exsibitari potius quam refelli meretur. Sed observandum præterea est eruditum virum hic asserere, quod si nos Dallæi argumenta refellissemus, ipse responsiones nostras et expendere et confutare voluit, hoc saltem ei incubisset. Verumenimvero si nos omnia Dallæi argumenta refutare suscepissemus, qua demum ratione Observator pro certo habeat, se omnes nostras responsiones confutare potuisse, cum eas nondum viderit? Ipsene prævidere potuit, quid nos responsuri essemus? Si non, quo pacto præcognovit, responsiones nostras tales fore, quas ipse confutare potuit? Sane hinc vel cæcus videat nihil Observatori antiquius esse, quam Dallæum defendere, qualiscunque ejus opinio esset, verane an falsa. Alioquin

Observat. [In Annot. Bev. cap. II.] p. 9.

enim nunquam dixisset suum esse responsiones nostras ad Dallæi argumenta confutare, priusquam eas vidisset. Quæ cum ita sint, omnem eum de vera horum Canonum antiquitate convincendi spem abjicimus, cum firmum adeo fixumque menti ejus insideat, Dallæi opinionem verissimam esse, quicquid e contra vel dictum fuit, vel dici unquam potest. Quod tamen satis mirari nequeo, cum ipse hoc in loco ingenue confiteatur, ea, quæ ad Canonum istorum antiquitatem spectantia protulit Dallæus, conjecturas esse; conjecturis enim nulla debetur fides, etiamsi nihil adhuc appareat, quo solide evincantur. Nos autem non conjecturis, sed gravissimis veterum testimoniis insistimus, iisque istiusmodi, quibus ille etiam, qui se totum illis opposuit, nihil adhuc invenire potuit, quod solidæ cujusvis exceptionis materiem ipsi præbeat.

[Observat. in
Annot. Bev.
cap. ii. p. 9.]

VIII. Explois quinque, ultima jam sola restat discutienda exceptio, his verbis concepta. *Sexto*, inquit, *fatetur ipse Beveregius Canones istos neque ab Apostolis, neque a Clemente illorum discipulo conditos esse. Ergo per Canones Apostolicos Constantinopolitani Patres ecclesiasticos significant Canones ante illud tempus constitutos.* Hoc sane totum, quantum quantum est, fatemur. Sed quæstio recurrit, utrum ecclesiastici isti Canones a Patribus C.P. hic significati illi fuerint, qui Apostolici vulgo vocantur, ut a primitiva Ecclesia et a viris Apostolicis constituti, an alii nescio qui a posterioribus Synodis divulgati? Nos primum tuemur, Apostolicos vulgo dictos hic significari contententes, eo quod sub isto nomine diserte laudantur. Sed aliud Observatori videtur, qui Canones hoc in loco, licet Apostolici dicantur, non tamen Apostolicos sed Antiochenos vel Nicænos significari opinatur. *Constantinopolitani Patres*, inquit, *ecclesiasticos significant Canones ante illud tempus constitutos, quales sunt Canones IV. XII. XIII. XIV. XV. Concilii Antiocheni ante quadraginta tres annos sanciti, et ad quos respectum habuisse Synodi Constantinopolitanæ Episcopos nullus dubito. Imo forte etiam ad Canonem quartum magni Concilii Nicæni, ubi Episcopum ab omnibus Provinciæ Episcopis constituendum esse decernitur; ab iis enim eum deponi oportet, a quibus est constitutus. Nempe non minor debet esse abdicantium quam constituentium numerus. Ideoque Ara-*

Ibid. pp. 9,
10.

bianus Ancyrae Episcopus, et Constantinopolitanorum Patrum unus, hunc Nicenum Canonem ante annos circiter LXX. conditum laudat, ut ostendat iniquam esse Bagadii Episcopi a duobus solis Episcopis [factam] depositionem. Hic primo, ut videre est, nullus dubitat vir eruditus, quin Synodus Constantinopolitana, ubi Canones Apostolicos diserte citavit, ad Antiochenos IV. XII. XIII. XIV. XV. respectum habuerit. Sed sibi et causæ suæ optime consulisset, si nos certiores fecisset, quibus inductus sit argumentis, ut de ea re nullus dubitaret. Nos enim non modo summa ratione dubitamus, ut ad istos Canones hoc in loco respectus habeatur, quin potius Canones Antiochenos per Apostolicos non significari pro certo habemus. Patres enim C.P. hic decernunt Episcopum a majori tantum Episcoporum Synodo deponendum esse, καθὼς καὶ οἱ Ἀποστολικοὶ κανόνες διορίσαντο, quemadmodum et Apostolici Canones definierunt. Ubi vero Canones Antiocheni hoc definierunt? Illi sane, quos Observator recitat, id minime definiunt, sed ante definitum ubique supponunt. Quartus enim Synodi Antiochenæ Canon dicit, *Si quis Episcopus a Synodo depositus aliquid de ministerio agere ausus fuerit, is spem restitutionis non habebit.*² Duodecimus, *Si quis Episcopus a Synodo depositus ausus fuerit Imperatorum auribus molestiam exhibere, is nulla venia dignus, nec sui defendendi locum habebit.* Decimus tertius, *Si quis Episcopus aliquos in aliena provincia ordinaverit, is insolentiæ suæ pœnas dabit, a sancta scilicet Synodo exinde depositus.*³ Decimus quartus, *Si quis Episcopus ob aliqua crimina judicetur, et Episcopos Provinciæ de eo dissentire contingat, Metropolitanus alios ex provincia propinqua iudices evocet, qui cum provincialibus controversiam dirimant.* Decimus quintus, *Si quis Episcopus aliquorum criminum accusatus, ab omnibus provinciæ Episcopis condemnatus fuerit, is ne amplius ab aliis*

[Pan. Can. tom. i. p. 679, B.]

[Pan. Can. tom. i. p. 441, B, C. Vide supr. cap. iv. sect. 9, p. 49.]

[Pan. Can. tom. i. p. 444, A, B. Vide supr. cap. iv. sect. 9, p. 50.]

[Pan. Can. tom. i. p. 444, F. Vide supr. cap. iv. sect. 9, p. 50.]

² [Ἐἴ τις ἐπίσκοπος ὑπὸ συνόδου καθαιρεθείς τομῆσίν τι πρᾶγμα τῆς λειτουργίας μῆκισι ἔξὸν εἶναι αὐτῷ, μὴδ' ἐν ἰτίρᾳ συνόδῳ ἰληθῆα ἀποκαταστάσις, μήτι ἀπολογίας χώραν ἔχουσιν.—Can. Ant. iv. Pan. Can. tom. i. p. 434, A, B.]

³ [Μηδὲνα ἐπίσκοπον τομῶν ἀφ' ἰτίρας ἰσαρχίας εἰς ἰτίραν μεταβαίνειν, καὶ χι-

ροτονεῖν ἐν ἐκκλησίαις τινὰς εἰς προαγωγὴν λειτουργίας Εἰ δὲ μηδὲν καλοῦντος ἀπίθλοι ἀπάκτως ἐπὶ χειροθεσίᾳ τινῶν καὶ αὐτὸν δι' ὑπέχουσιν τῆς ἀταξίας αὐτοῦ καὶ τῆς παρὰ λόγου ἰσχυρῆσις τὴν προσήκουσαν δίκην, καθηρημένοι ἐνταῦθεν ἦδη ὑπὸ τῆς ἁγίας συνόδου.—Can. Ant. xiii. Pan. Can. tom. i. p. 443, D, E.]

judicetur. Quisnam, obsecro, ex hisce Canonibus definiit, Episcopum non nisi ab Episcoporum Synodo deponendum esse? Annon omnes uno ore hoc ante definitum supponunt? Qua itaque ratione Patres C.P. ad hos Canones respectum habuisse dicantur, ubi aiunt, 'Quemadmodum et Apostolici Canones definierunt,' cum hi Antiocheni id minime definierint? Sane qui nullus dubitat, quin Canones Antiocheni per Apostolicos hoc in loco significantur, is de nihilo dubitabit, quod præconceptæ suæ opinioni quovis modo favere videatur, nec multum ei intererit, utrum id per fas aut nefas fiat. Præsertim cum Canones Antiocheni a nullo unquam Concilio, a nullo Patre, addam et a nullo antehac scriptore, Apostolici vocati, vel sub isto nomine laudati sunt, quanto minus a Synodo C.P. eodem seculo celebrata, cum Antiocheni isti Canones nondum quatuor et quadraginta annos publicati fuerant. Et quidem, licet eruditus Observator se nullum dubitare affirmet Synodum C.P. ad Canones Antiochenos respectum habuisse, nemo tamen id affirmanti fidem adhibeat, cum ipse etiam affirmet se nullum dubitare, quin forte etiam ad Canonem quartum magni Concilii Nicæni respectus ibi habeatur, ubi scilicet Episcopum ab omnibus provinciæ Episcopis constituendum esse decernitur. Qui vero hoc vel veri simile ei videatur, hariolari nequeo. Quid enim? Nihilne interest inter Episcopi ordinationem et depositionem? Patres Nicæni in isthoc Canone de Episcopi constitutione, Constantinopolitani in hoc decreto de Episcopi depositione loquuntur, et tamen Observator nullus dubitat, quin Patres C.P. forte etiam ad istum Nicænorum Canonem respectum habuerint, ubi decernunt Episcopum non nisi a Synodo Episcoporum deponendum esse, καθὼς καὶ οἱ Ἀποστολικοὶ κανόνες διαρρίσαντο. Sed ne portentosam hanc assertionem, vel saltem conjecturam, sine ratione protulisse videatur, ecce qualem reddit, *Ab iis enim, inquit, eum deponi oportet, a quibus est constitutus.* Quid vero si hoc fieri oporteat? Nos non disputamus quid fieri oporteat, sed quid reipsa factum est. An scilicet Patres Nicæni definierint Episcopum a Synodo deponendum esse? Hoc autem a Concilio Nicæno nullibi definitum esse, non tantum aliis, sed et ipsi Observatori constat; qui propterea alium istius Synodi Canonem in hac causa citare non potuit, præter

[Pan. Can.
tom. i. p. 679,
B.]

istum, qui non omnino de depositione sed, quæ ab ea quantum cœlum a terra distat, de ordinatione Episcopi agit. Quin observandum etiam est, Canonem istum Nicænum istam Episcopi ordinationem admittere, quæ a tribus Episcopis celebratur. Adeo ut si absurdissimum ei demus, Episcopum scilicet ordinari idem esse ac deponi, Patres tamen ad istum Canonem nullum prorsus respectum habere potuerunt, quippe qui diserte edicunt Episcopum nec a tribus sed a Synodo majori deponendum esse. Unde simul constat, quam inepte et inconsiderate hic subdat Observator, Arabianum Ancyrae Episcopum, et Constantinopolitanorum Patrum unum, Nicænum hunc Canonem ante annos circiter LXX. conditum laudasse, ut ostendat iniquam esse Bagadii Episcopi a duobus solis Episcopis factam depositionem. Arabiani enim verba hæc sunt, *Τὸ παρελθὸν ἡ τῶν μακαρίων πατέρων τῶν ἐν Νικαίᾳ σύνοδος κατακρίνει, ἡ κελεύουσα μὴ ἐλάττους εἶναι τριῶν τοὺς χειροτονοῦντας, μηδὲ ἀπόντος τοῦ μητροπολίτου, Id quod præteritum est beatorum Patrum qui Nicææ convenerunt Synodus damnat, jubens non esse pauciores tribus qui ordinent, nec absente Metropolitano.* Hoc est, quod in hoc negotio factum est, ubi Bagadius depositus, et Agapius ejus loco ordinatus est a duobus solis Episcopis, hoc a Synodo Nicæna damnatur, jubente Episcopi ordinationem a tribus minimum Episcopis, præsentē Metropolitano, peragendam esse. Arabianum enim de sola Bagadii depositione hic non loqui, non tantum ex eo constat, quod Nicænum Canonem citet, qui nihil plane de depositione decernit, verum ex eo etiam, quod Synodo huic C.P. necessarium visum est, novum de hac re decretum edere. Si Synodus enim Nicæna damnasset depositionem a duobus Episcopis factam, eamque non nisi a tribus, præsentē Metropolitano, faciendam jussisset, quid opus erat, ut nova de hac re definitio a Synodo hac provinciali ederetur? Secundum hæc, ipse Arabianus huic ipsi Synodo [Ibid. E.] has quæstiones proposuit, Licetne a duobus Episcopis fieri depositionem? Et absente Metropolitano licet an non? Has autem quæstiones nunquam proposuisset, si depositionem a duobus Episcopis factam a Synodo Nicæna damnatam fuisse putasset. Non licere enim pro certo habuisset. Quod si demus etiam Arabianum Nicænum istum Canonem eo laudasse, ut ostendat Bagadii depositionem a duobus

[Pan. Can.
tom. i. p. 678,
F.]

Episcopis factam iniquam esse, ut cui consentaneum rationi visum esset, Episcopum a paucioribus non deponendum esse, quam a quibus constitutus est: hoc sane totum est quod Observator postulare potest, et tamen nihil exinde consequetur. Quicquid enim Arabiano visum est, Nectarius Constantinopolitanus, totaque Synodus sub eo habita, clarissime demonstravit se in ea fuisse opinione, quod Canon iste Nicænus de Episcopi depositione nequaquam intelligendus est, eo quod Episcopum nec a tribus deponendum esse decreverit, cum Canon Nicænus Episcopi ordinationem a tribus peractam approbet. Neque etiam quæritur, quomodo Canon iste Nicænus intelligatur, vel quid ex eo violenter extorqueri possit, sed quid in eo definitum fuerit. Nihil autem manifestius esse potest, quam Patres Nicænos in isto Canone non definiisse, Episcopum non nisi a Synodo Episcoporum deponendum esse, quippe quo nihil plane de depositione definiant. Patres autem C.P. istiusmodi Canones Apostolicos hic citant, a quibus id definitum fuit, ac proinde ad Canonem Nicænum nullum prorsus respectum habere potuerunt. Quibus omnibus accedit, quod Canones Apostolici hic laudentur, sub quo quidem nomine Nicæni nusquam laudati inveniuntur. Hæc autem responsio adeo aperta est, et cuivis obvia, ut Observator eam non potuit non prævidere, qui propterea se contra eam his verbis præmunire conatus est, *Cæterum, inquit, Canones istos ecclesiasticos Apostolicorum nomine nuncupant Patres, non solum quod doctrinæ Apostolorum consonos eos esse putabant, sed etiam quoniam 'præcepta majorum leges Apostolicas arbitrabantur,' ut loquitur Hieronymus Epistola XXVIII. ad Lucinium.* Hæc vero nihil aliud probant, quam Canones ecclesiasticos, si doctrinæ Apostolorum consoni videantur, Apostolicorum propterea nomine nuncupari posse. Nos autem non quærimus, utrum Canones ecclesiastici isto nomine nuncupari possint, sed utrum ita nuncupari soleant Canones Nicæni, vel Antiocheni, vel alii quivis, præter eos quos antiquitas Apostolicos nominavit. Nicænos autem hoc unquam nomine insignitos fuisse, Observator nullo veterum testimonio comprobare potest, nedum hoc Synodi C.P., a qua Concilii Nicæni Canones, ut ostendimus, nulli in hac causa laudantur, nec laudari potuerunt, qui scilicet nihil de Episcopi depositione loquuntur.

[Observat. in
Annot. Bev.
cap. ii. p. 10.]

Et quod ad verba S. Hieronymi ab erudito viro observata spectat, sanctus ille Pater loco citato non de Canonibus, sed traditionibus ecclesiasticis loquitur, ut de jejuniis Sabbatis et diebus Dominicis celebrando, de sumenda quotidie Eucharistia, et similibus, de quibus ait, *Unaquæque provincia abundet in suo sensu, et præcepta majorum leges Apostolicas arbitretur.* Ubi, ut palam est, non de decretis Conciliorum, sed de majorum præceptis loquitur, iis scilicet, quæ a majoribus suis per traditionem acceperant, quæ etiam non Canones sed leges Apostolicas arbitranda esse monet, tales nimirum leges, quibus æque constringerentur, ac si ipsi Apostoli aut viri Apostolici eas præcepissent. Hinc autem nequaquam sequitur, vel Nicænos, vel alios unquam Canones Apostolicorum nomine nuncupatos fuisse, præter eos, quos in Codicem Canonum Ecclesiæ primitivæ collectos habemus, et Apostolicos propterea vocatos, quod a viris Apostolicis sanciti fuerint, ac proinde ab ipsis Apostolis traditi videantur. Adeo ut, etiamsi Constantinopolitani Patres præcepta majorum leges Apostolicas cum D. Hieronymo arbitrati essent, (quod nunquam probari potest,) ex eo tamen neutiquam conficiatur, Canones Nicænos hic indicari, ubi Apostolici Canones totidem verbis laudati sunt. Præsertim cum Canones Nicæni nihil prorsus de ea re sanxerint, quam ab Apostolicis definitam esse hic affirmatur. Quæ cum ita sint, etiam volens nolens nobiscum consentiat Observator necesse est, Canones Apostolicos a Synodo hac Constantinopolitana memoratos, nec Nicænos esse, nec Antiochenos, sed Apostolicos, sive eos qui ab antiquis temporibus isto nomine nuncupati fuerunt. Quos proinde, quarto nondum finito seculo, exstitisse passimque cognitos fuisse, omnes illos celeberrimos quidem in Synodo Constantinopolitana tunc temporis congregatos Patres, gravissimos habemus testes.

[Hieron. Ep. lxxi. (aliter xxviii.) ad Lucinium, sect. 8. Optom. i. p. 433. A.]

IX. Post illud Synodi provincialis Constantinopolitanæ, aliud, idque pro Canonibus Apostolicis disertissimum adhibuimus testimonium, e Synodo Ephesina, generalium tertia, petitum. Nimirum istis diebus Episcopus Antiochenus ordinationes in Cypro insula sibi non subjecta, adeoque extra suam provinciam, facere molitus est. Hoc Rheginus Constantiensis Episcopus contra Canones Apostolicos, et definitiones Synodi Nicænæ ab eo factum conquestus est, in libello

[Act. vii. Conc. Eph. Conc. tom. iii. col. 788.]

[Act. vii.
Conc. Eph.
Conc. tom.
iii. col. 802;
et Can.
Eph. viii.
Pan. Can.
tom. i. p. 104,
C.]
De Pseud.
lib. iii. cap.
10, pp. 534,
535.

ad Synodum universalem tunc dierum congregatam oblato. Quapropter Synodus decretum edidit, quo rem istam præter ecclesiasticas Constitutiones, et sanctorum Patrum Canones innovatam pronunciat, vocat enim *πράγμα παρὰ τοὺς ἐκκλησιαστικούς θεσμούς καὶ [τοὺς] κανόνες τῶν ἁγίων πατέρων*, vel ut nonnulli codices legunt, *τῶν ἁγίων Ἀποστόλων*. Quam quidem lectionem Jo. Dallæus impugnat.⁴ Sed parvi nostra refert Ἀποστόλων ibi legatur an *πατέρων*. Cum in libello, quem Rheginus obtulit, Apostolici Canones expresse nominentur: quorum tricesimo quinto cavetur, ne Episcopus extra suos fines in urbibus aut pagis ei non subjectis ordinationes faciat. Hoc Dallæus prudens dissimulavit, seque totum lectioni isti τῶν Ἀποστόλων interposuit, nihil contra testimonium illud e Rhegini libello petatum excipiens. Supposita autem in decreto lectione τῶν πατέρων, Synodum putat ad Canonem Antiochenum XIII. digitum intendere:⁵ et observat insuper similia decerni a Patribus Constantinopolitanis Canone secundo, *Quorum*, inquit, *Synodus hanc Ephesinam annis propemodum quinquaginta antecesserat*. Sed neutrum horum Canonum in Rhegini libello indigitari liquet, non ex eo tantum, quod nec Antiocheni, nec Constantinopolitani, sed Apostolici Canones in eo nominatim laudentur, verum ex eo

⁴ ["Ego vero respondeo, Latinam Ephesinæ Synodi editionem loco illo citato nihil de Apostolis habere; *Rem hanc*, inquit, *quæ præter ecclesiasticas Constitutiones, et Sanctorum Patrum Canones innovatur, et omnium libertatem attingit, annuñciavit piissimus Episcopus Rheginus*, et quæ sequuntur. Non Apostolorum, ut callide temereque et falso supponit Turrianus, sed *sanctorum Patrum Canones* dicit." Tum citatis quibusdam Canonum et Conciliorum editionibus, quæ hanc lectionem exhibent, ita pergit; "Itaque nihil ad Apostolicos Canones hæc Ephesinorum Patrum verba. *Patrum Canones* dicunt, hoc est Episcoporum et Synodorum superiorum decreta, ac constitutiones. . . . Nihil ergo necesse est ad ullos Apostolorum Canones, nedum ad Turrianicos confugere, ut hæc Ephesinæ Synodi verba intelli-

gamus. Quam vero eorum lectionem Turrianus obtrudit, substituto Ἀποστόλων, pro πατέρων, nomine, quamque nuper commemoratæ Conciliorum Græco-latinae editiones exhibent quidem, sed in margine duntaxat, non autem in ipso Synodi corpore, ea, inquam, a Græcis, suæ Apostolicorum Canonum farragini faventibus, efficta et excogitata videtur; quorum nos fraudibus non tenemur, et in veteri Latina versione, publicisque Conciliorum codicibus libentes conquiescimus."—Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 10, pp. 534, 535.]

⁵ ["Videntur autem ad Antiochenum Canonem XIII. digitum intendere; *Μηδὲνα πίσκοπον τολμᾶν, κ. τ. λ.* [ut supra, sect. 8.] . . . Sed et similia decernuntur a Patribus Constantinopolitanis Canone secundo, quorum," &c.—Ibid. p. 535.]

etiam, quod Constantinopolitani pariter atque Antiocheni Canones post Nicænos editi fuerunt, quibus propterea post-poni debuerunt. At Canones Apostolici hic citati ipsis Nicænis anteponuntur. Cujus rei causa dari non potest, nisi quod ante eos sanciti crederentur. Cum autem nihil aliud sit vel a Dallæo vel ab Observatore contra insigne hoc testimonium exceptum, prolixior ei vindicatio non opus est.

X. Omnia nostra pro Canonum Apostolicorum antiquitate testimonia, ex illis veterum monumentis, quæ ante quintum adultum seculum prodierunt, augustissimo illo Theodosii Imperatoris conclusimus, qui Irenæum post binas nuptias Tyrriorum civitatis Episcopum factum esse, contra Canones Apostolicos affirmat. Hoc nec Dallæus vidit, nec ipse Observator. Nulla saltem contra illud exceptio ab iis publicatur. Nec ipse quidem video, quid ei opponi possit, cum Canones Apostolicos diserte adeo et demonstrative laudet.

[Cod. lib. 1.]
De summa
Trinitate,
tit. i. leg.
tert. sect. 4.
Corp. Jur.
Civ. tom. II.
p. 28, col. 1.
Vide supr.
cap. vi. sect.
7, p. 77.]

CAPUT XIV.

Synopsis.

- I. Justiniani *Imp. et Jo. Antiocheni testimonia vindicanda restant.*
- II. *Licet Justinianus post An. Dom. CCCCLI. imperare cœperit, ejus tamen testimonium summo jure in hac causa admittatur, ut doctissimorum istius ætatis virorum sententia innixum.*
- III. *Qualem exceptionem contra Imp. testimonium ex Oraculis Sibyllinis formavit Observator. Quantum sit discriminis inter Justinianum de Canonibus Apostolorum, et Justinum de Sibyllarum Carminibus disserentem.*
- IV. *Sibyllina Oracula, quæ hodie circumferuntur, longe alia sunt atque ea, quæ a Justino M. aliisque antiquis laudata fuerant. Proinde ex iis contra hæc disputare iniquum est.*
- V. *Carmina Sibyllina, a Justino M. citata, ante An. Dom. CXXXVIII. facta fuisse, ex eo satis constet, quod ab ipso tanta confidentia citentur, et in toto terrarum orbe exstare dicantur.*
- VI. *Alii ejusdem ætatis scriptores, præter Justinum M., Sibyllina Oracula laudarunt. Insigne de iis testimonium ex Origene petitur.*
- VII. *Clementis Alexandrini de D. Paulo Sibyllam citante verba, ab alieno, in ea nuper conjecto, sensu vindicata.*
- VIII. *Clementem Romanum Sibyllæ Oracula vidisse ac citasse probabile est.*
- IX. *Eadem ante An. Dom. CXXXVIII. exstitisse ex Josepho, Strabone, aliisque probatur.*
- X. *Antiqua Sibyllæ Oracula igne in Capitolio absumpta sunt, aliaque variis e locis illuc postea transportata, quæ in Christianorum manus venire potuerunt.*
- XI. *Vera de istis sententia contra Blondellum explicata et asserta.*

XII. *Quam futile sit Observatoris responsio ex Carminibus Sibyllinis sumpta, e præmissis evincitur.*

XIII. *Constantinum M. de Sibyllarum Oraculis, et Justinianum de Apostolorum Canonibus magnifice locutum esse, mirum nemini videatur.*

XIV. *Justinianus Imp. hos Canones ipsis Apostolis adscribens non elevat, sed confirmat, nostram de iis opinionem.*

I. ETSI nostra de Canonum Apostolicorum antiquitate opinio istis imprimis fundetur testimoniis, quæ veteres Scriptores, Imperatores, Synodi, Patresque ante quintum adultum seculum iis perhibuerunt, quæque nos ab adversariorum exceptionibus modo vindicavimus; non parum tamen lucis roborisque exinde etiam mutuatur, quod sexto ineunte seculo Dionysius Exiguus Canones hosce dignos existimavit, quorum partem de Græco in Latinum sermonem transferret, quodque eodem currente seculo Joannes Scholasticus sive Antiochenus hos inter alios Synodorum Canones istis temporibus in Ecclesia Orientali obtinentes, colligere, et ipse Imperator Justinianus eosdem auctoritate sua confirmare dignatus fuerit, ut ante fuse ostendimus. At eruditus Observator Imperatoris pariter atque Scholastici hac in causa auctoritatem, in Annotationibus etiam strictim a nobis assertam, evertere, vel saltem elevare conatus est. Quo successu tantos oppugnavit viros disquirendum restat. In qua disquisitione non ea, qua nos in testimoniis hisce citandis usi sumus, sed Observatoris in iis impugnandis methodo procedemus, ab Imperatore scilicet auspicantes.

[Vide supra, cap. viii. sect. 2, pp. 84, 85.]

[Ibid. sect. 3, 4, pp. 85-89.]

[Ibid. sect. 5, pp. 89-92.]

[Præf. ad Annot. in Cann. Ap. sect. xxvi.]

II. Primo itaque sic disputat vir doctus, *Pergit Beveregius, et Justiniani Imperatoris testimonio Dallæi de Canonum antiquitate sententiam refellere, suamque confirmare nititur. Quia hos Canones Novella vi. laudare videtur his verbis, quæ ex illa constitutione describit vir doctus, 'Quod quidem certe futurum credimus, si sacri illi Canones diligenter observentur, quos nunquam satis laudati adorationeque digni, et qui Ipsum Filium Dei conspexerunt, Illique ministrarunt, Apostoli nobis reliquerunt, et sancti Patres custodierunt, et interpretati sunt.'* *Hæc de LXXXV. Canonibus Apostolicis interpretatur vir doctus, nec ab eo hac in re dissentit Dallæus. Sed propterea Dallæi sententiam non confutat Beveregius, quandoquidem Jus-*

[Observat. in Annot. Bev. cap. xi. pp. 55, 56.]

[De Pseud. lib. iii. cap. 2, p. 424.]

tinianus quinquaginta plus minus annos post tempus a Dallæo denotatum Imperator renunciatus est. Hactenus Observator. Qui quoniam nobis cum Dallæo munifice concedit, quod nemo scilicet negare potest, Canones Apostolicos LXXXV. ab Imperatore hoc in loco celebratos esse: nos etiam ei concedemus Justinianum Imperatorem renunciatum esse quinquaginta plus minus annos post tempus Canonum horum editioni a Dallæo denotatum. Quod autem ait, Dallæi sententiam hisce Justiniani verbis non confutatam esse, id minime concedi potest. Cum ipse enim Imperator hos Canones a sanctis Patribus, qui ante eum in Ecclesia claruerant, et quidem sub Apostolorum nomine custoditos ac interpretatos fuisse affirmet, quis eos ab hæretico impostore, ut vult Dallæus, nec plusquam quinquaginta ante annos confictos fuisse arbitretur? Nemo nescit prudentissimum illum Imperatorem doctissimos quosque viros et utriusque legis peritissimos ex omnibus imperii partibus ad se evocasse, ut de omnibus, tam ecclesiasticis, quam civilibus, sanctionibus legibusque conferrent, ipsique communicarent. Nihil autem dubii esse potest, quin nonnulli eorum quinquaginta prope modum annos in juris utriusque studio antea versati fuissent: quos propterea prima horum Canonum editio sive publicatio latere non potuit, si plusquam quinquaginta annos nondum editi fuissent et publicati. Imo vero si non ante centum vel ducentos annos exstitissent, atque in judiciis ecclesiasticis obtinuissent, antiqua ipsorum regesta et commentaria de causis ante iudicatis, eos certiores fecissent, quo tempore hi Canones in fora ecclesiastica primo introducti fuerant. Illi autem peritissimi legum interpretes Imperatori significarunt, hos Canones non sua modo memoria longe antiquiores fuisse, sed tantæ in Ecclesia antiquitatis, ut ipsis Apostolorum temporibus editi viderentur. Hoc ex eo liquet, quod Imperator ex eorum consilio, quo in omnibus hujusmodi negotiis usus est, Canones hosce ipsis Christi Apostolis acceptos retulit. Quod nunquam sane fecisset, nisi a jurisconsultis suis pariter atque a scientissimis rerum ecclesiasticarum Episcopis didicisset, eos non nudiustertius, sed multis retro seculis constitutos esse, usque adeo ut Apostolicæ vel institutioni, vel saltem traditioni, adscribi mereantur, juxta vulgatam scilicet istam Patrum regulam ab

ipso Dallæo laudatam, quod *quorum Auctor alius ignoratur, ab Apostolica traditione ad nos dimanasse recte credantur.* [Dall. de Pseud. lib. III. cap. 10. p. 530.] Quocirca, licet Justinianus post tempus a Dallæo denotatum renunciatus sit Imperator, cum plures tamen quam quinquaginta, ipso fatente Observatore, anni non interceserint, nemo, cujus oculi gravissimo præjudicii vitio non afficiuntur, hos Canones diu ante tempus a Dallæo denotatum sancitos, atque ejus propterea de iis opinionem penitus everSAM videre nequit.

III. Hoc argumento ex Justiniani verbis petito, in Annotationibus etiam usi sumus: ubi breviter, ut loci ratio postulabat, hæc de eo diximus, ‘ Si autem hi Canones præcedente tantum seculo, eoque adulto, ab hæretico aliquo conficti fuissent, miror nullum tunc temporis Dallæum existisse, qui Imperatori aurem velleret, eumque certiozem faceret, Canones ab ipso laudatos non inter antiqua, nedum Apostolica, decreta, sed inter nuperrime consarcinata recentiorum hæreticorum figmenta recensendos esse.’ In hæc ibi a me usurpata verba Observator gravissime invehitur, e contra sic disputans: *Si valeret, inquit, hæc Beveregii ratiocinatio, eadem [plane] ratione librorum Sibyllinorum causam tueri possem. Nemo enim nescit a Justino Martyre, a Theophilo Antiocheno, a Clemente Alexandrino, a Tertulliano et aliis laudatos fuisse istos libros. Quamvis Justinus iisdem scripserit diebus, quibus conflata sunt oracula Sibyllina, Theophilus vero, Clemens, et Tertullianus, post Justinum quidem, sed eodem seculo. Si igitur viri eruditi verba hoc pacto usurpem, Miror nullum tunc temporis Blondellum existisse, qui scriptoribus istis aurem velleret, eosque certiores faceret, oracula ab ipsis laudata non inter antiqua, nedum Noachi nurus, seu Berosi filiæ, oracula, sed inter nuperrime consarcinata recentiorum impostorum figmenta recensenda esse. Si, inquam, hæc illius verba usurpem, quid responsurus sit, non video. Objectionem enim nostram diluere non potest, quin suam pariter diluat, neque nobis respondere, quin sibi ipsi respondeat. Idem dico de Constantino Imperatore, qui de Sibyllinis oraculis magnificentius loquutus est, quam de Canonibus Apostolicis Justinianus. Quid Observatori in animo fuit, cum nova hac objiciendi ratione utebatur, me prorsus nescire fateor, nisi forsitan sibi proposuerit nos ad suscipiendum*

[Præf. ad Annot. in Cann. Ap. sect. xxvi. pp. 7, 8.]

Observat. [In Annot. Bev. cap. xi.] pp. 56, 57.

Sibyllinorum, quæ hodie exstant, oraculorum patrocini-um provocare. Quid enim Canonibus Apostolicis cum Sibyllinis oraculis? Esto, inquit. Verum si ex eo, quod nemo Justinianum certiore[m] fecerit Canones Apostolicos paucis ante annis confictos fuisse, eosdem aliquot ante seculis existisse sequeretur, eadem ratione Sibyllina etiam oracula multis ante S. Justinum annis edita fuisse ex eo evincatur, quod nemo eum certiore[m] fecerit, ea iisdem diebus consarcinata fuisse, quibus ab ipso citata sunt. Hoc autem ex eo necessario sequi haud asseruisset eruditus Observator, si in mentem ei venisset, disparem omnino ac dissimile[m] fuisse rationem Justin[i] Martyris et Justiniani Imperatoris. Sanctus enim Justinus (quod et de reliquis, ejus vestigiis insistentibus, ideoque cum eo commemoratis dicendum est) licet doctissimus esset philosophus, et fidissimus Christi cultor, neophytus tamen fortasse erat in religione Christiana, cum Sibyllina oracula laudabat. Ac proinde, præ flagrantissimo, quo ardebat in Christum, ejusque Evangelium, amore, præcipiti quadam celeritate omnia forsitan arripuisse censeatur, quæ religioni nuper a se susceptæ quovis modo favere vel patrocinari videbantur. Saltem, cum ita se haberet, facile ei imponi potuit. Præsertim cum paucissimos, si ullos, secum haberet ingenuis instructos artibus, aut tanta subtilitate præditos, qui genuinos ac supposititios libros distinguere potuerunt; paucissimos, qui eadem, qua ipse, credulitate, communi bonorum virorum morbo, non laborabant. Ut non mirum sit, si is in istum lapsus sit errorem, quo persuasum haberet, Sibyllina ista Oracula, quæ tanta de vero Deo, Christoque prædicabant, ab ipsis scripta fuisse Sibyllis, quas omnis retro antiquitas pro divinitus inspiratis vatibus habuerat, et per multa secula summis laudibus celebraverat. Verum de Justiniano Imp. alia omnia dicenda sunt. Is enim rerum Romanorum potitus est, cum fides Christiana altissimas per totum imperium radices egerat, cum Ecclesia viris undequaque doctissimis, omni arte ac scientia liberali instructissimis, atque in omni etiam jure, tam divino, quam humano, ecclesiastico pariter ac civili, prudentissimis abundabat. Penes ipsum erat eos omnes sibi advocare, et in consilium adhibere. Quod etiam ab eo factum fuisse, in iis præsertim quæ ad leges, tam Ecclesiæ, quam Imperii,

spectabant, inter omnes constat. Quamobrem haud adeo facile ei fuit in tantum induci errorem, ut Canones illos Apostolicæ traditioni attribueret, nisi inter omnes illos, quos consuluit, eruditissimos Ecclesiæ Præsules ac jurisperitos convenisset, eos multis ante annis in lucem editos, et a Patribus observatos fuisse. Præsertim cum, istis saltem diebus, fictitiis quibuslibet ac adulterinis non opus esset Canonibus, quandoquidem plurimi tunc temporis exstabant Canones duobus antegressis seculis ab ecclesiasticis Synodis constituti. Adeo ut nulla plane causa esset, quare hi ab eo, et ab Ecclesia in imperio ejus constituta, reciperentur, nisi illos a majoribus suis acceptos, et a primitiva Ecclesia ad se derivatos esse, pro certissimo habuissent. Quapropter si demus Justinum M. gravissime hallucinatum fuisse in carminibus istis sub Sibyllarum nomine citandis, quæ sua ipsius ætate conficta erant, ex eo tamen nequaquam sequitur Justinianum etiam Imperatorem in Apostolicis Canonibus laudandis hallucinatum esse; vel argumentum pro dictorum Canonum antiquitate ab ejus testimonio petitum nihil amplius valere, quam si Sibyllina oracula longe ante S. Justinum composita esse ex eo arguamus, quod a sanctissimo isto Patre ac Martyre citata sunt, nemoque eum certiozem fecerit, ea paucis ante annis consarcinata fuisse ab impostore aliquo, qui sua ipsius figmenta sub Sibyllarum nomine obtrudere ausus est.

IV. Quod si Observator adhuc opinatus fuerit, se eadem plane ratione librorum Sibyllinorum, qua nos hoc in loco Canonum Apostolicorum causam tueri posse, tueatur quidem per me licet; modo per libros Sibyllinos, istos intelligat, qui a Justino, reliquisque ejusdem ætatis scriptoribus laudati sunt, non eos, qui hodie sub isto nomine vulgo circumferuntur. Licet enim eruditus Observator Blondelli vestigiis insistens contra Sibyllina Oracula perinde disputare videatur, ac si, quam hodie habemus, eorum rhapsodia, eadem esset carminum collectio, quæ primis Christianismi seculis Sibyllarum nomen sibi inscriptum habebat: longe tamen aliud esse cuius patebit, qui carmina Sibyllina, ut antiquis istis temporibus laudata, cum iis comparare operæ pretium duxerit, quæ sub isto nostris diebus nomine in lucem emissa sunt. Plurima enim carmina Sibyllina a primis Ecclesiæ

Patribus ethnicisque scriptoribus eorum coætaneis, Plutarcho nimirum, Pausania, Dione, aliisque laudata in hodierna nostra rhapsodia vel non omnino exstant, vel ita interpolata, ut eadem non videantur. Idem saltem, quod B. Ignatii Epistolis, Clementis Constitutionibus, aliisque veteris Ecclesiae monumentis, istis etiam carminibus, quæ Patres primitivi Sibyllarum nomine nuncuparunt, contigisse extra dubium est: ut posterioribus nempe seculis multa, vel data opera, vel librarium incuria, prætermissa fuerint, alia de novo interserta, et plurima aliquo modo immutata, ita tamen ut nonnulla etiam pristinae eorum faciei vestigia adhuc retineantur. Quo factum est, ut alia a veteribus citata, in hodiernis etiam libris inveniuntur, alia non; hæcque eodem, illa alio atque antiquitus, modo legantur. Adeo ut ex iis, quæ nunc habeamus, de iis, quæ primitivæ Ecclesiae Patres Sibyllina laudarunt oracula, vix judicari posset. Quocirca clarissimus vir David Blondellus inique cum antiquis istis, Sibyllinis vulgo vocatis, carminibus nobis saltem egisse videtur, cum ex hodierna eorum sylloge contra veram eorum antiquitatem disputaverit. Neque enim clam ipsum esse potuit, argumenta ista, quibus opinionem suam adstruere conatus est, non ex illis desumpta esse carminibus, quæ Patres sub Sibyllarum nomine citarunt, sed ex aliis quibusdam, quæ nec ipse nec alius quisvis in veteri istorum Codice lecta fuisse novit, quæque longo post tempore inserta fuisse plusquam verisimile est.

V. Cum Observator igitur contendit, argumentum nostrum pro Canonibus Apostolicis e Justiniani testimonio petatum ex eo invalidum esse, quod eadem ratione carminum Sibyllinorum causam tueatur, si isthæc, ut par est, carmina intelligat, quæ a primitivæ Ecclesiae Patribus Sibyllæ adscripta sunt, hæc exceptio nihil valebit. Neque enim opus est, ut Canonum Apostolicorum antiquitas firmior e Justiniani testimonio adstruatur, quam carmina ista Sibyllina ante annum Dom. CXXXVIII. (post quem Blondellus¹ ea ficta fuisse arbitratur) divulgata fuisse ex eo constat, quod Justinus M., aliique ejusdem seculi scriptores statim post dictum annum ea citaverint. Primo enim, ipse Blondellus fatetur

De Sibyllis,
lib. II. cap.
6, [pp. 160,
161.]

¹ [" Il faut donc de nécessité que le fourbe, qui pour dresser ces Catalogues

d'Empereurs, avoit emprunté le nom de la Sibylle, ait commis son impos-

istam Justinii Apologiam anno CXLI. sive CXLII. scriptam fuisse,² in qua de Sibyllarum oraculis hæc habet, Κατ' [Apol. I. cap. xliiv. p. 70, B, C.] ἐνέργειαν δὲ τῶν φαύλων δαιμόνων, θάνατος ὠρίσθη κατὰ τῶν τὰς Ἰστασπίου καὶ Σιβύλλης καὶ τῶν προφητῶν βιβλίου ἀναγιγνωσκόντων, ὅπως διὰ τοῦ φόβου ἀποστρέψωσιν ἐντυγχάνοντας τοὺς ἀνθρώπους τῶν καλῶν γυνῶσιν λαβεῖν, αὐτοῖς δὲ δουλεύοντας κατέχωσιν· ὅπερ εἰς τέλος οὐκ ἴσχυσαν πράξαι· ἀφόβως μὲν γὰρ οὐ μόνον ἐντυγχάνομεν αὐταῖς, ἀλλὰ καὶ ὑμῖν, ὡς ὁρᾶτε, εἰς ἐπίσκεψιν φέρομεν, ἐπιστάμενοι πᾶσιν εὐάρεστα φανήσεσθαι. *Opera autem, sive instinctu malorum dæmonum, mortis supplicium adversus eos, qui Hystaspis, aut Sibyllæ, aut Prophetarum libros legunt, constitutum est. Ut per timorem homines ab illis absterreant, quo minus scripta ea legentes rerum bonarum notitiam percipiant, sed in ipsorum servitute retineantur. Quod certe quidem perficere, et ad finem perducere nequiverunt. Non enim absque timore tantum hæc scripta legimus, verum etiam vobis ad inspiciendum quæ in iis traduntur, ut videtis, offerimus, grata et accepta ea omnibus fore scientes.* Profecto qui hæc Justinii verba anno Domini CXLI.³ scripta attente legit, haud dubitare potest, quin Sibyllæ libri hic memorati ante annum CXXXVIII. extitissent. Ex his enim S. Patris verbis constat istos libros passim vulgoque tunc dierum cognitos lectosque fuisse, non minus quam ipsos prophetarum libros, usque adeo ut mortis supplicium a senatu Romano, contra eorum æque ac horum lectores constitutum esset. Constat etiam non modo S. Justinum, sed et alios Christianæ religionis cultores horum librorum lectionem vitæ suæ præposuisse. Quamvis enim sub mortis pœna hoc iis interdictum fuisset, illi nihilo minus non tantum libros hosce legebant, sed et senatui populoque Romano eosdem inspiciendos audacter offerebant. Quantacunque autem credulitate purioris illius ævi Christianos laborasse censeamus, omnem excedit fidem, ut cum tanto salutis vitæque discrimine hos Sibyllæ libros legerent

ture depuis l'an 138."—Blondel, des Sibylles, liv. ii. ch. 5, p. 155. Charonton, 1649.]

² ["S. Justin en sa première Apologie présentée à l'Empereur Antonin, à ses fils adoptifs, et au peuple, devant que Marc-Aurèle, qui n'est (par le titre) qualifié que *verissi-*

mus, eût été associé à l'empire, par conséquent environ l'an 141, ou 42"]—Blondel, des Sibylles, liv. ii. ch. 6, pp. 160, 161.]

³ [Circa annum Dom. CL. Vide Præf. Editoris Bened. ad Op. Justinii, Par. iii. cap. 5, sect. 4, p. lxxxi.]

ipsi, aliisque legendos offerrent, nisi eos plusquam tres quatuorve saltem annos in lucem emissos fuisse pro certissimo habuissent. Quo etiam ore, qua fronte ad hosce libros coram ipsis Romanis appellare potuerunt, nisi inter ipsos etiam Romanos convenisse hos libros, si non ipsa Sibyllæ folia, antiquos saltem, vel quatuor minimum annis antiquiores esse, iis abunde constitisset? Quam facile enim Romani ignorantiae et temeritatis eos arguere potuerunt? Et jure quidem. Justinus enim, aliique illi, quos ipse secum hos libros Romanis obtulisse affirmat, non philosophi, non prudentes homines, et vix homines quidem erant, sed nescio quæ monstra inscitiae, credulitatis, ac impudentiae, si libros vix quatuor adhuc annos juxta Blondelli censuram factos, imo a se confictos, antiqua Sibyllæ Oracula fuisse crederent, et potentissimis suis adversariis, qui se vera Sibyllæ carmina secum habere venditabant, sub eo nomine tanta confidentia obtrudere ausi essent. Cum vero tam portentosa in primitivos Christianos, eorumque doctissimos, quos inter Justinus M. merito recenseatur, vitia conjicere nefas sit, istos Sibyllæ libros a S. Justino laudatos multo antiquiores, quam opinatus est Blondellus, statuamus necesse est. Præsertim cum idem Justinus hos libros a se memoratos non sibi soli et Christianis, sed toti terrarum orbi cognitos esse et ubique exstare, diserte asseruerit. Quod ne simulate a me dictum videatur, Ecce ipsa doctissimi Patris verba, quæ ad calcem cohortatoriæ ejus ad Græcos orationis habentur. *Εἰ τοίνυν, inquit, ὦ ἄνδρες Ἕλληνες, μὴ προτιμότεραν ἡγεῖσθε τῆς ὑμῶν αὐτῶν σωτηρίας τὴν περὶ τῶν μὴ ὄντων θεῶν ψευδῆ φαντασίαν, πείσθητε, ὥσπερ ἔφην, τῆ ἀρχαιοτάτῃ καὶ σφόδρα παλαιᾷ Σιβύλλῃ, ἧς τὰς βίβλους ἐν πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ σὺλζεσθαι συμβαίνει, περὶ μὲν τῶν λεγομένων θεῶν, ὡς μὴ ὄντων, ἀπὸ τίνος δυνατῆς ἐπιτηνοίας διὰ χρησμῶν ὑμᾶς διδασκούσῃ· περὶ δὲ τῆς τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μελλούσης ἔσεσθαι παρουσίας, καὶ περὶ πάντων τῶν ὑπ' αὐτοῦ γίνεσθαι μελλόντων σαφῶς καὶ φανερῶς προαναφωνοῦσῃ.* *Itaque viri Græci, si falsam de iis, qui non sunt, diis imaginationem salute vestra antiquiorem non habetis, Credite, sicut dixi, antiquissimæ et priscae admodum Sibyllæ, cujus libri in universo exstant orbe, de iis, qui dicuntur, sed non sunt, diis mirifico quodam præpotentis numinis afflatu per oracula vos docenti; de futuro autem Servatoris nostri Jesu Christi adventu, ac de rebus ab*

[Cap. xxxviii.
p. 35, B.]

eo gerendis liquido ac aperte vaticinanti. Cuiam, obsecro, hæc Justinus M. verba legenti persuadebit unquam Blondellus, Sibyllæ libros iisdem diebus effictos fuisse, quibus hæc scripta sunt? Adeone delirus et vesanus erat sanctissimus Martyr, ut eos libros antiquissimæ et priscae admodum Sibyllæ nuncuparet, de quibus ipsi non satis constabat, annon paucos ante annos a sceleratissimo impostore consarcinati fuissent? Quinetiam hosce libros eodem temporis articulo in universo exstare orbe affirmat. Quomodo hoc fieri potuit, si vixdum ex obscuri tenebrionis officina in lucem emissi essent? An verisimile cuiquam videatur, an possibile, ut per totum terrarum orbem volitarent simul ac edebantur? Si hæc cuivis persuadeat Blondellus, tunc demum, sed non antea, eidem persuadebit, libros Sibyllinos a Justino Martyre memoratos post annum Domini CXXXVIII. contextos fuisse, et nobis semper mirari, quod nullus tunc temporis exstaret acutus rerum Observator, qui sancto Patri aurem velleret, eumque de egregio hoc errore, vel de impudentissimis potius mendaciis, certiolem faceret.

VI. Et quidem si sanctus Justinus in hunc errorem lapsus est, non solus in eo fuit. Plures enim e doctissimis ejusdem seculi scriptoribus eadem, qua ille, de carminibus Sibyllinis opinione ducti fuerunt. Ut Theophilus Antiochenus, Athénagoras, Clemens Alexandrinus, et Origenes. Imprimis autem dignissima sunt quæ observentur Origenis de oraculis hisce verba. Enimvero Celsus, qui iisdem circiter diebus, quibus Justinus vixit, Christianis vitio vertit, quod multa, eaque maledica, Sibyllæ Oraculis inseruissent. Cui se interponens objectioni Origenes hæc habet, *Εἴτ', οὐκ οἶδ' ὅπως, ἐβούλετο ἡμᾶς μᾶλλον Σίβυλλαν ἀναγορεύσαι παῖδα Θεοῦ ἢ Ἰησοῦν, ἀποφηνάμενος, ὅτι παρενεγράψαμεν εἰς τὰ ἐκείνης πολλά, καὶ βλάσφημα, καὶ μὴ ἀποδείξας μὴδ' ὅτι παρενεγράψαμεν ἀπέδειξε δ' ἂν εἰ τὰ ἀρχαιότερα καθαρώτερα εἰδείκνυε, καὶ οὐκ ἔχοντα ἅπερ ὄνεται παρεγγεγράφθαι· μὴ ἀποδείξας δὲ μὴδ' ὅτι βλάσφημά ἐστι ταῦτα.* *Deinde nescio quid ei (Celso) venit in mentem, ut censeret Sibyllam a nobis potius quam Jesum appellandam fuisse Dei Filium, asseverans nos multa et maledica ejus versibus inseruisse, non tamen indicans quæ sunt illa, quæ inseruimus:*

Orig. contra
Cels. lib. vii.
[cap. 56, Op.
tom. i. p. 734,
C. D.]

indicasset autem si antiquiora habuisset, quæ incorruptiora essent, exemplaria, in quibus non reperiantur, quæ putat a nobis interpolata. Quin nec indicavit illa maledica esse. Celsus itaque, Justino M. *ὀβριχρονος*, etiamsi infensissimus Christianorum adversarius fuerit, et nihil non dixerit, quod e subtili ipsius et fertili mendaciorum ingenio contra religionem, Ipsumque Christum ab illis cultum, effingere potuit, non tamen negare potuit, libros Sibyllinos, a Christianis in religionis suæ causa laudatos, longe ante suam ætatem extitisse, adeoque longe anteaquam ab iis laudati essent. Neque aliud contra eos hac in re objiciendum invenit, quam eos multa Sibyllæ versibus inseruisse, quæ antiquitus in iisdem non lecta fuerant. Verum et hanc futilem istius objectionem refellit Origenes, hoc scilicet responso, quod Celsus non indicavit, quænam illa essent, quæ a Christianis ita inserta dicit. Indicasset autem, inquit, si antiquiora, quæ incorruptiora essent, exemplaria habuisset, in quibus non reperiantur, quæ Celsus a Christianis interpolata putavit. Ad antiquiora itaque et incorruptiora carminum Sibyllinorum exemplaria hic appellat Origenes, et Celsum ejusque gregales indicare provocat, quid a Christianis de novo iis insertum esset. Quod cum Celsus indicare nequiverit, pro confesso sumit Origenes, ea quæ a Christianis ex istis Sibyllæ versibus citata sunt, in antiquis illis et incorruptis exemplaribus extitisse, nihilque adhuc a Christianis de suo interpolatum esse. Quod si tota illa carminum Sibyllinorum collectio, istis temporibus laudari solita non ante annum Dom. CXXXVIII. consarcinata fuisset, et quidem ab ipsis Christianis, quod vult Blondellus, hoc imprimis haud dubie iis objectasset Celsus. Origenes etiam ad antiquiora eorum exemplaria appellare non potuit, quippe quæ iisdem diebus conficta, adeoque nondum antiqua erant.

[Lib. i. cap.
10; il. cap.
7.]

VII. Adhæc, Clemens Alexandrinus, qui eodem etiam, quo Justinus, seculo claruit, sed paulo junior, non modo carmina Sibyllina multoties ipse laudavit, verumetiam D. Paulum suum iis testimonium perhibuisse tradidit. Quandoquidem vero hoc ab erudito viro Jo. Bapt. Cotelerio in dubium vocatum est, aliusque S. Patris verbis sensus impositus, non abs re erit, si locum transcribamus, pauloque

attentius expendamus. Sic igitur ait Clemens, Ἐπει ὅτι Clem. Alex. Strom. lib. vi. [cap. 5], p. 636. [Paris. pp. 761, 762. Potter.] καθάπερ Ἰουδαίους σώζεσθαι ἐβούλετο ὁ Θεός, τοὺς προφήτας διδοὺς, οὕτως καὶ Ἑλλήνων τοὺς δοκιμωτάτους, οἰκείους αὐτῶν τῇ διαλέκτῳ προφήτας ἀναστήσας, ὡς οἴοιτε ἦσαν δέχεσθαι τὴν παρὰ Θεοῦ εὐεργεσίαν, τῶν χυδαίων ἀνθρώπων διέκρινεν, δηλώσει πρὸς τῷ Πέτρου κηρύγματι, ὁ Ἀπόστολος λέγων Παῦλος, Λάβετε καὶ τὰς Ἑλληνικὰς βίβλους, ἐπίγνωτε Σίβυλλαν, ὡς δηλοῖ ἓνα Θεὸν καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι. *Quod enim quemadmodum Judæos Deus salvos esse voluit, ita etiam Græcorum probatissimos, propriæ suæ linguæ prophetas iis excitans, prout poterant capere Dei beneficentiam, a vulgo secrevit, præter Petri prædicationem declarabit Paulus Apostolus dicens, Libros quoque Græcos sumite, agnoscite Sibyllam, quomodo unum Deum indicet, et ea quæ sunt futura.* Prædictus J. B. Cotelerius, in notis ad secundam Clementis Romani Epistolam, doctos viros hujus loci sensum nondum attigisse opinatus est, ut qui verba ista sic accipiant quasi λάβετε, κ. τ. λ. sit Apostoli exhortatio. Ille autem verba illa, Ὁ Ἀπόστολος λέγων Παῦλος, non referenda putat ad consequentia, Λάβετε καὶ τὰς Ἑλληνικὰς βίβλους, sed ad præcedentia ista, Οἰκείους αὐτῶν τῇ διαλέκτῳ προφήτας, seu ad versiculum 12 primi capituli Epistolæ ad Titum, ubi scilicet Apostolus dicit, Εἰπέ τις ἐξ αὐτῶν, ἴδιος αὐτῶν προφήτης. Hæc autem verba, Λάβετε καὶ τὰς Ἑλληνικὰς βίβλους, et quæ sequuntur, non S. Pauli sed Clementis esse arbitratur vir doctus. Quæ quidem nova horum Clementis verborum expositio mihi etiam primo intuitu summe arrisit. Totum autem contextum postea revolvens statim inveni, quod hæc Clementis Alexandrini verba sensum istum nequaquam admittant. Doctissimus enim pater in hisce libris non oratorem agit, non Epistolam aut exhortationem scribit, ac propterea neminem definite alloquitur. Atque adeo cum scribit, Λάβετε τὰς Ἑλληνικὰς βίβλους, ἐπίγνωτε Σίβυλλαν, hæc non ipsius Clementis, sed Sancti Pauli mox ante memorati verba sint necesse est. Et præterea S. Pauli verba in Epistola ad Titum nulla machina huc trahi possunt. Præterquam enim quod Apostolus ibi de uno solo propheta loquatur, Clemens hic de pluribus; quodque S. Paulus isto loco proprios suæ linguæ Prophetas a Deo Gentilibus, prout percipere poterant Dei beneficentiam, excitatos esse, nullo modo affirmet; præter hæc, inquam, observandum etiam est ista verba ad

[Cotel. Jud. de Post. Epis. S. Clem. Cot. Pat. Ap. tom. 1. p. 182.]

aliam hujus sententiæ partem pertinere. Clemens enim non asserit D. Paulum dixisse Deum suos Græcis prophetas excitasse, sed ipse hoc dicit, probatque tum ex Petri prædicatione, tum ex Paulo, ut ait, dicente, *Λάβετε τὰς Ἑλληνικὰς βιβλους*. Res clarior adhuc elucescet si ea recolamus quæ proxime post verba a nobis citata sequuntur. Refert enim S. Paulum hæc dixisse, *Libros quoque Græcos sumite, Agnoscite Sibyllam, quomodo unum Deum indicet, et ea quæ futura sunt. Sumptum etiam Hystaspem legite, et inveniatis Dei Filium multo clarius apertiusque esse scriptum, utque multi reges adversus Christum aciem instruent, odio habentes tum Illum, tum eos qui nomen Illius gestant, et Ejus fideles, Illiusque tolerantiam atque adventum.*⁴ Cum hæc a D. Paulo prolata tradidisset Clemens, mox addit, *Εἶτα ἐνὶ λόγῳ πυνθάνεται ἡμῶν, "Ολος δὲ κοσμὸς καὶ τὰ ἐν τῷ κοσμῷ τίνος; οὐχὶ τοῦ Θεοῦ; Deinde uno verbo nos interrogat, Totus autem mundus et quæ in mundo, cujus sunt? Nonne Dei? Hæc autem verba de nullo alio nisi de S. Paulo intelligi possunt. Quis enim hoc interrogasse dicatur, nisi is, de quo ante facta fuerat mentio istis verbis, 'Ο Ἀπόστολος λέγων Παῦλος. Quod enim doctissimus vir hæc verba prædicationi Petri tribuenda censet, a ratione prorsus alienum est. Etenim S. Petri sermo ex Apocrypho isto libro a Clemente hic citatus, prius finitus fuit, quam hæc a D. Paulo vel alio quopiam dicta referuntur. Quinetiam post ultima ista a nobis recitata verba, statim hæc subjicit,*

[P. 636, Paris. 762, Potter.]

Διὰ τοῦτό φησιν ὁ Πετρὸς εἰρηκέναι τὸν Κύριον τοῖς Ἀποστόλοις, κ. τ. λ. Quod si in præcedentibus verbis Petrum illud interrogasse voluisset, nomen ejus ibi potius inseruisset. Cum Sanctus autem Paulus istam protulisse interrogationem clarissime hic perhibeatur, nihil dubii esse potest, quin is etiam ea, quæ præcedunt, si Clementi fidem habeamus, dixerit. Clemens autem hæc vel ex traditione, vel saltem ex Apocrypho aliquo libro D. Pauli nomen præ se ferente, hausisse videtur. Qualis etiam D. Petri nomen sibi inscriptum habens, et 'Petri Prædicatio' dictus, hoc ipso in loco a Clemente lau-

⁴ [Καὶ τὸν Ἰσθάσπην λαβόντες, ἀνάγνωσι, καὶ ἰσῆσιντι πολλῶν τηλαυγίστηρον καὶ σαφίστηρον γιγχαμμένον τὸν Τίον τοῦ Θεοῦ, καὶ καθὼς παράταξιν ποιήσουσι τῷ Χριστῷ πολλοὶ βασιλεῖς, μισούντες αὐτὸν,

καὶ τοὺς φοροῦντας τὸ ὄνομα αὐτοῦ, καὶ τοὺς πιστοὺς αὐτοῦ, καὶ τὴν ὑπομονὴν, καὶ τὴν παρουσίαν αὐτοῦ. εἶτα ἐνὶ λόγῳ, κ. τ. λ.—Clem. Alex. Str. lib. vi. cap. 5, p. 636, Paris. 762, Potter.]

datur, multaque tanquam a Petro dicta ex eodem recitantur.⁵ E quibus etiam si non constet D. Paulum Sibyllinos vidisse libros, eorumque lectionem aliis commendasse, constat tamen Clementem Alexandrinum in ea fuisse opinione, quod isti libri adeo antiqui erant, ut in D. Pauli notitiam venire potuissent. Saltem quod longe antiquiores essent, quam David Blondellus eos existimavit.

VIII. Alios ejusdem seculo scriptores, qui in religione Christiana Græcis adstruenda ad Sibyllina ista provocarunt oracula, in præsentem missos facimus. Nemo enim dubitabit quin Origeni, Clementi Alexandrino, et Justino Martyri, (qui ante annum Domini CXXXVIII. in doctrina Christiana non minus quam in philosophia claruit,) major hac in re debeatur fides, quam Blondello, qui post mille et quadringentos annos sibi persuasum habuit, aliisque persuadere conatus est, dicta carmina vix citius conficta esse, quam a doctissimis illis Patribus laudata sunt. Tota autem clarissimi viri opinio eo nititur, quod S. Justinus hosce libros primus citavit. Quod quidem non incertum modo sed et falsum nobis videtur. Enimvero ex Quæstionibus ad Orthodoxos Justino Martyri adscriptis colligere est Clementem etiam Romanum Sibyllæ libros citasse, nam in responsione ad quæst. LXXIV. hæc habemus, *Ei τῆς παρουσίας καταστάσεως τὸ τέλος ἐστίν, ἢ διὰ τοῦ πρὸς κρίσις τῶν ἀσεβῶν, καθὰ φασιν αἱ γραφαὶ προφητῶν τε καὶ Ἀποστόλων, ἔτι δὲ καὶ τῆς Σιβύλλης· καθὼς φησιν ὁ Μακάριος Κλήμης ἐν τῇ πρὸς Κορινθίους ἐπιστολῇ.* Si præsentis rerum status finis est impiorum per ignem judicium, prout testantur Scripturæ prophetarum et Apostolorum, atque ipsius insuper Sibyllæ, quemadmodum ait beatus Clemens in Epistola ad Corinthios. Sed in illa, inquires, parte quæ exstat primæ Clementis Epistolæ ad Corinthios, nulla inducitur Sibyllæ mentio. Fateor equidem. Verum Irenæus dicit Clementem in ista Epistola inter alia, quæ omnia hodie habentur, tradidisse Deum ignem præparasse diabolo et angelis ejus,⁶ quod cum in illa quæ

[In parte prima Appendixis, p. 469, B.]

[Con. Hæc.] lib. iii. cap. 3, [Op. p. 176.]

⁵ [De hoc libro consule Grabii Spicil. vol. i. pp. 55-71.]

⁶ ["Sub hoc igitur Clemente, disensione non modica inter eos, qui Corinthi essent, fratres facta, scripsit

quæ est Romanæ Ecclesia potentissimas literas Corinthiis, ad pacem eos congregans, et reparans fidem eorum, et annuntians quam in recenti ab Apostolis acceperat traditionem,

exstat Epistolæ illius parte non legatur, in altera, quæ desideratur, parte traditum fuisse extra dubium est. Ubi autem de igne diabolo et angelis ejus præparato disseruit Clemens, ibidem etiam ea, quæ Pseudo-Justinus memorat, existisse plusquam verisimile est. Quod etiam ab erudito Cotelerio observatum est, ut Clementis autem Epistola pro Constitutionibus mendose citaretur, nemo unquam Blondello concedet.

[Cotel. Jud. de Post. Ep. S. Clem. Cot. Pat. Ap. tom. i. p. 181.]

IX. Quin iisdem etiam diebus, quibus nonnulli Apostolorum adhuc superstites erant, Josephus suum Sibyllinis oraculis testimonium tribuit. Hæc enim dicit, Περὶ δὲ τοῦ πύργου τούτου, καὶ τῆς ἀλλοφρονίας τῶν ἀνθρώπων, μέμνηται καὶ Σίβυλλα, λέγουσα οὕτως, Πάντων ὁμοφῶνων ὄντων τῶν ἀνθρώπων, πύργον ἠκοδόμησάν τινες ὑψηλότερον, ὡς ἐπὶ τὸν οὐρανὸν ἀναβησόμενοι δι' αὐτοῦ· οἱ δὲ θεοὶ, ἀνέμους ἐπιπέμφαντες, ἀνέτρεψαν τὸν πύργον, καὶ ἰδίαν ἐκάστη φωνὴν ἔδωκαν, καὶ διὰ τοῦτο Βαβυλῶνα συνέβη κληθῆναι τῆν πόλιν. *De turri autem hac, deque linguis hominum mutatis, meminit etiam Sibylla, ad hunc modum dicens, Cum universi homines uno eloquio uterentur, turrim ædificarunt quidam excelsissimam, quasi ad cælum per eam ascensuri. Diï vero, procellis emissis, turrim everterunt, et suam cuique linguam dederunt. Quæ causa fuit, ut urbs ea Babylonis nomen acciperet.* Quæ vero Josephus hoc in loco Sibyllam cecinisse tradit, ea in istis etiam Sibyllinis, quæ supersunt, Oraculis leguntur hunc in modum :—

[Joseph. Antiq. Jud. lib. i. cap. 4. [Op. tom. i. p. 19.]

[Orac. Sib. lib. iii. vv. 35-42. Gall. B. P. tom. i. p. 356.]

Ἄλλ' ὅπῳταν μεγάλοιο Θεοῦ τελέωνται Ἀπειλαί,

Ἄς ποτ' ἐπηπέιλησε βροτοῖς οἱ πύργον ἔτευξαν

Χώρῃ ἐν Ἀσσυρίῃ, ὁμόφῳνοι δ' ἦσαν ἅπαντες,

Καὶ βούλοντ' ἀναβῆν' εἰς οὐρανὸν ἀστερόεντα.

Ἀὔτικα Ἀθάνατος

Πνεύμασιν αὐτὰρ ἔπειτ' ἀνεμοὶ μέγαν ὑψόθι πύργον

Ἔριψαν, καὶ θνητοῖσιν ἐπ' ἀλλήλοις ἔριν ᾤσαν,

Τοῦνεκά τοι Βαβυλῶνα βροτοὶ πόλει εὐνομ' ἔθεντο.

Sed cum dicta ad rem fuerint collata, minatus

Quæ magnus Deus olim mortalibus illis,

annuntiantem unum Deum omnipotentem, factorem cæli et terræ, plasmatorem hominis, qui induxerit cataclysmum, et advocaverit Abraham, qui eduxerit populum de terra Ægypti, qui

colloquutus sit Moysi, qui legem disposuerit, et prophetas miserit, qui ignem præparaverit diabolo et angelis ejus."—Iren. cont. Hær. lib. iii. cap. 3, sect. 3, p. 176, col. 1.]

*Qui turrim Assyrii in finibus ædificarunt,
Cum cunctis eadem vox esset, stelliferumque
In cælum vellent ascendere, continuoque
Immortalis
Flatibus. At venti magnam sublime ferentes
Turrim jecerunt, et litem conciliarunt
Inter eos, urbemque ideo Babylona vocarunt.*

Hæc exstant initio fere libri tertii Sibyllinorum, quæ hodie circumferuntur, Oraculorum. Verba autem Josephi, quæ sensum horum carminum exprimunt, recitantur etiam ab Eusebio. Et quod imprimis observandum erat, ipsa hæc carmina Sibyllina laudantur a Theophilo Antiocheno in secundo ad Autolyceum libro, ubi et lacuna ista in versu quinto suppletur hoc modo:—

De Præpar.
Evangel. lib.
ix. cap. 15,
[p. 416, D.]
[Sect. 31, p.
371, C.]

Αὐτίκα δ' Ἀθάνατος μεγάλην ἐπέθηκεν ἀνάγκην
Πνεύμασιν.

*Vim magnam injecit Deus immortalis in illam
Flatibus.*

Et ne quis dubitet an Theophilus hæc carmina ex Sibyllæ, qui tunc exstabant, libris habuerit, ipse id diserte affirmavit, hæc iis præfatus, *Σίβυλλα μὲν οὕτω σεσήμαγκε, καταγγέλλουσα ὀργὴν τῷ κόσμῳ μέλλειν ἐρχεσθαι* ἔφη δὲ οὕτως, *Sic quidem Sibylla significavit, mundo iram futuram annuncians. Sic enim ait.* Et tunc protinus carmina ista recitat. Cum Theophilus itaque, qui una cum Justino M. proximo post Josephum seculo vixit, Sibyllina laudaret carmina, quæ idem prorsus continent, quod Josephus Sibyllam dixisse scribit, nihil dubii esse potest, quin Josephus eosdem vidisset Sibyllinos libros, quos S. Justinus, Theophilus, aliique Ecclesiæ recens natæ Patres haud multis post illius obitum annis citarunt. Quin et ante Josephum Strabo Geographiæ suæ, lib. i. [p. 77,] et xii. [p. 778,] antiqui vulgoque noti Oraculi meminit, his verbis concepti,

[Sect. 31, p.
371, B.]

* Ἔσσεται ἔσομένοις, ὅτι Πύραμος εὐρυοδίνης
Ἡϊόνα προχέων ἱερὴν ἐς Κύπρον ἵκηται.

[Orac. Sibyl.]
lib. iv. [vv.
97, 98. Gall.
B.P. tom. i.
p. 373.]

*Isthæc evenient, vastis quo Pyramus undis
Tempore profuso continget littore Cyprum.*

Hoc autem Oraculum inter Sibyllina totidem fere verbis etiamnum exstat, nisi quod pro Κόπρον illic legatur νῆσον. Unde liquet hoc Sibyllinum Oraculum Strabonis diebus vulgo cognitum fuisse, ac proinde longe antequam alia ejusmodi carmina tanquam a Sibyllis prolata ab antiquis patribus laudata sunt. Adhæc, neminem latet antiquissimos, qui exstant, Græcos pariter atque Latinos scriptores frequentem de Sibyllis eorumque Oraculis carminibusque mentionem fecisse, Platonem dico,⁷ Aristotelem,⁸ Diodorum Siculum,⁹ Plutarchum,¹ Pausaniam,² Dionysium Halicarnassæum,³ Dionem Cassium,⁴ Ciceronem,⁵ Livium,⁶ Cornelium Tacitum,⁷ Ovidium,⁸ et, ut alios mittam, Virgilium, cujus Ecloga quarta Christo, ut a Sibyllis descripto, multo melius clariusque convenit, quam nescio cui Salonino Pollionis filio, cui nullo modo accommodari potest. Nihil autem certius esse potest, quam poetam in ista Ecloga ad Sibyllæ carmina respectum habuisse, non modo quod majora hic quam alibi se prolaturum pollicetur, verumetiam quod de ultimo a Sibylla Cumæa prædicto seculo diserte agit, dicens,

Ultima Cumæi venit jam temporis ætas.

Qui porro ea, quæ Virgilius in ista Ecloga de aureo illo seculo, quod futurum ait, postquam nova progenies cœlo dimissa est, cum iis comparaverit, quæ de ultimo seculo in Sibyllinis carminibus dicuntur, vix dubitabit, quin carmina vel Virgiliana ex Sibyllinis, vel Sibyllina ex Virgilianis sumpta fuerint. Eadem enim utrobique celebrantur. Cum autem Virgilius Sibyllæ, ejusque carminum et hic et alibi sæpe meminerit, æquus lector eum sua ex iis, potius quam e contra, hausisse judicabit. Præsertim cum alia præsto sint argumenta, quæ carmina Sibyllina istis diebus exstitisse fidem faciunt.

⁷ [In Phædro. Op. tom. i. p. 64, Bekker. Lond. 1826.]

⁸ [Περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων.—Sect. 95, p. 838. Op. Bekker, Berol. 1831.]

⁹ [Excerpt. e lib. xxxiv. Op. tom. ii. p. 602. Wesselingii, Amst. 1746.]

¹ [In vitis Thesei, (p. 11, c,) P. Val. Publicolæ, (p. 108, a,) Fabii Maximi, (p. 176, b,) C. Marii, (p. 430, c,) C. Cæsaris, (p. 736, a.) Op. Lut. Par. 1624.]

² [Lib. x. cap. 12. Op. vol. iv. pp. 214–219. Siebelis, Lips. 1827.]

³ [Lib. iv. cap. 62. Op. vol. ii. pp. 792, 793. Reiskii, Lips. 1774.]

⁴ [Lib. lvii. cap. 18. Op. vol. iii. p. 554. Sturzii, Lips. 1824.]

⁵ [De Div. i. 18; ii. 54. In Verr. Act. ii. lib. iv. cap. 49.]

⁶ [Libb. iii. 10; v. 13; xxii. 9; xxxviii. 45.]

⁷ [Ann. i. 76; vi. 12; xv. 44.]

⁸ [Metam. lib. xiv. v. 104, et seqq.]

X. Verum ne longe nimis a proposito evagari videamur, missis aliis, quæ de carminum Sibyllinorum antiquitate, in eorum Patrum, qui ea citarunt, gratiam, proferri possunt, testimoniis: quid nos de iis sentiamus, paucis expedietur. Enimvero antiqui historici uno consentiunt ore, libros quosdam sub Sibyllæ nomine religiose olim Romæ custoditos fuisse, et senatum populumque eos consulere solitos esse, quotiescunque necessitas reipublicæ id postulare videretur. Constat etiam hosce libros in Templi Capitolini cella subterranea, arcæ lapideæ inclusos, a decemviris asservatos fuisse incolumes usque ad bellum Marsicum. Hoc enim Dionysius Halicarnassæus memoriæ tradidit. Aliis compluribus ei suffragantibus. Sed octoginta plus minus annis ante Christi nativitatem exusto Capitolio, hi libri una absumpti sunt. Restituto autem postea Capitolio, senatus tantam jacturam ægre ferens, legatos quosdam misit, qui carmina Sibyllina, ubicunque ea investigare poterant, conquisita Romam apportarent. Sic enim Corn. Tacitus, *Quod a majoribus quoque decretum erat, inquit, post exustum sociali bello Capitolium, quæsitis Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam, ac Siciliam, et Italicas colonias, carminibus Sibyllæ, una seu plures fuere, datoque sacerdotibus negotio, quantum humana ope potuissent, vera discernere. Igitur tunc quoque notioni quindecimvirum is liber subijcitur.* Sed et ante eum, necnon ante ipsam Servatoris nostri nativitatem Dionysius Halicarnassæus libro superius laudato eadem tradit, dicitque se e Terentio Varrone ea hausisse. λέγω δὲ, inquit, ἃ Τερέντιος Οὐάρρων ἰστέρηκεν ἐν τῇ θεολογικῇ πραγματείᾳ, *Dico autem ea, quæ Terentius Varro in opere Theologico, sive de rebus divinis, memoriæ tradidit.* De veritate igitur hujus historiæ nihil est quod dubitemus; quandoquidem Terentius ille Varro, cujus libros rerum divinarum, non tantum Dionysius, sed et Lactantius⁹ aliique memorarunt, illis ipsis claruit diebus, quibus hæc gesta sunt. Fenestella vero, qui Tiberio imperante scripsit, ipsos nominat legatos, qui hos libros tunc temporis conquisitum a senatu missi sunt, videlicet P.

Antiq. Rom.
lib. iv. [cap.
62. Op. tom.
ii. pp. 792,
793.]

Tacit. Annal.
lib. vi. [c. p.
12.]

[Dion. Hal.
lib. iv. cap.
62. Op. tom.
ii. p. 793.]

⁹ ["M. Varro . . . in libris rerum divinarum quos ad C. Cæsarem pontificem maximum scripsit, cum de quindecim viris loqueretur, Sibyllinos li-

bros ait non fuisse unius Sibyllæ," etc. —Lact. Instit. lib. i. de Falsa Relig. cap. 6, p. 23.]

Apud. Lact.
[Instit.] lib.
i. de Falsa
Relig. cap. 6,
[p. 27.]

Fenest. apud
Lact. de ira
Dei, cap. xxii.
[Op. tom. ii.
pp. 174, 175.]

Gabinium, M. Octacilium, et L. Valerium, *qui descriptos, ut ait, a privatis versus circa mille Romam deportarunt.*¹ Quin idem etiam gravissimus auctor ipsum notavit annum, quo hæc contigerunt. Dicit enim legatos Erythras a senatu esse missos, ut Sibyllæ Erythræ carmina Romam deportarentur, et ea Coss. Curio et Octavius in Capitolio, quod tunc erat curante Q. Catullo restitutum, ponenda curarent. Verumenimvero Cn. Octavius et C. Scribonius Curio consulatum agebant, A.U.C. DCLXXVIII., primo Olympiadis CLXXVI., ante æram Christi vulgarem LXXVI. Isto itaque anno carmina quædam sub Sibyllarum nomine conquisita sunt, et in Capitolio reposita. Nonnulla autem eorum ipsi etiam Romani suspecta habuerunt, ac propterea sacerdotibus, qui priora fortasse viderant, vera ac falsa discernere imperarunt. Cum hi vero libri variis e locis Romam deportati sint, fieri non potuit, quin ad aliorum, æque ac pontificum et sacerdotum Romanorum, manus pervenirent, adeo ut vulgo protinus noti essent. Quod ex eo etiam manifestum evincitur, quod istorum temporum scriptores nonnulla e Sibyllinis istis carminibus citarunt, ut Plutarchus, Pausanias, aliique, quos inter ipse etiam Josephus, Antiquitatum Judaicarum scriptor, cujus verba supra retulimus. Quapropter mirum nemini videatur, quod Christiani postea in hos libros incidentes, unumque in iis Deum prædicatum, et nonnulla de magno illo Rege, Christo scilicet, in mundum venturo dicta invenientes, in suis contra Gentiles disputationibus, ad istos sæpe appellarint, quippe quos ipsi Romani pro Sibyllinis jactabant. Neque enim a nemet ullis impetrare possum argumentis, nedum iis quæ Blondellus protulit, ut credam primos post Apostolos fidei Christianæ propugnatores causæ suæ, vel Christi potius, tam male consulere voluisse, ut libros quoslibet a se confictos, et a Romanis nondum agnitos, ad eam illis adstruendam laudarent. Non enim poterant non prævidere se fraudis ac vanitatis facillime convinci posse, si

¹ [“ Siquidem Fenestella, diligentissimus scriptor de xv. viris dicens, ait, restituito Capitolio, retulisse ad senatum C. Curionem Cos. ut legati Erythras mitterentur, qui carmina Sibyllæ

conquisita Romam deportarent; itaque missos esse P. Gabinium, M. Octacilium, L. Valerium, qui,” etc.—Lact. Inst. lib. i. de Falsa Relig. cap. 6, pp. 27, 28.]

tale facinus perpetrare ausi essent. Inter omnes autem constat hos libros non modo passim ab iis, idque coram ipsis Romanis, laudatos fuisse, verumetiam hoc iis nunquam vitio versum esse, præterquam a Celso, qui tamen et ipse talia exstare carmina negare non potuit, nec aliud iis objicere, quam nonnulla illis a Christianis inserta esse: cui etiam objectioni Origenes respondit, ad antiquiora appellans exemplaria. Quæ quidem responsio tanto viro nunquam excidisset, nisi et ipse ea, quæ a Christianis tanquam e libris Sibyllinis citata fuerant, in antiquioribus eorum exemplaribus inventa fuisse pro certo habuisset.

XI. His itaque præmissis ac perpensis, nullus dubito, quin carmina Sibyllina a Justino Martyre, Athenagora, Theophilo Antiocheno, Clemente Alexandrino, aliisque primis fidei nostræ assertoribus laudata, multis ante annis edita, passimque cognita fuissent, quam ab illis laudata sunt. Quisnam autem auctor eorum fuerit, an a vatibus divinitus inspiratis (quales inter Gentiles fuerunt Job et Balaam) edita, an e prophetis Judaicis surrepta, an alio quovis modo literis mandata sint, hæc, ut non hujus loci, ab aliis determinanda relinquo, ut et quanta eorum pars, quæ hodie sub Oraculorum Sibyllinorum nomine circumferuntur, cum antiqvis illis convenient libris, qui duobus prioribus Ecclesiæ Christianæ seculis exstiterunt, et ab eorundem Patribus laudati inveniuntur. Nos sane hodiernæ Sibyllinorum, ut vocantur, Oraculorum rhapsodiæ causam non defendimus, sed istorum tantum carminum, quibus antiquissimi religionis nostræ assertores testimonium suum reddiderunt, de quibus æquum ex iis, quæ nunc exstant, iudicium ferri non potest. Quamplurima enim antiquitus laudata, ut omnibus notum est, in hodierna collectione desiderantur. Alia quamplurima quindecim seculorum spatio de novo haud dubie addita, et interpolata sunt. Ad quam quidem classem ea omnia referenda sunt, quæ se scripta fuisse produnt, posteaquam alia a Patribus laudati sunt. Cujusmodi sane haud pauca occurrunt. Ex iis autem contra alia ante citata disputare, nihil aliud est, quam susque deque habere quo cum primis Ecclesiæ nascentis Patribus modo agamus, imo quidem eos, propter quorum doctrinam, pietatem, et sanguinem fidei nostræ confirmandæ causa effusum perpetuas Deo gratias

debemus, incautos, stolidos, impudicos, et nulla prorsus fide dignos, sine omni rationis specie pronunciare, ut ingenii nostri in iis mordendis et sugillandis acumen ostendamus. At nobis non licet esse tam iniquis in doctos adeo piosque viros: præsertim cum nonnulli etiam e Judæis ethnicisque ut ostendimus, scriptoribus, multis ante Patres Christianos annis, carmina Sibyllina memorarint, ac laudarint. Quamobrem, licet antiqua hæc carmina non tanti sint, ut quivis fidei articulus iis fundetur, licet nobis, qui propheticis Apostolicisque scripturis divinitus inspiratis gaudemus, nulli prorsus hodie usui esse videantur, licetque multa in iis, quæ supersunt, spuria, supposititia, et longo post tempore conficta ac interserta deprehendantur, persuasum tamen habemus, ea, quæ a S. Justino, aliisque ejusdem seculi scriptoribus, citata sunt, multis ante annis sub Sibyllæ nomine Romanis cognita fuisse, iisque pro genuinis ejusdem oraculis vulgo habita.

XII. Si Observatori itaque librorum Sibyllinorum causam hac ratione tueri placuerit, quod S. Justinus, Theophilus Antiochenus, Athenagoras, et Clemens Alexandrinus alique eos laudaverint, nemoque illos certiores fecerit, libros istos ab ipsis Christianis post annum Dom. CXXXVIII. confictos, ac Romanis propterea nondum agnitos fuisse, nobis quidem legitime ratiocinari videbitur. Ac proinde desinat in posterum mirari, quid ad hanc, si ita dicatur, exceptionem, responsurus sim: quam ille quidem eo tantum nomine protulisse videtur, quod ea, quæ Blondellus contra Sibyllina carmina congressit ediditque, ex tripode dicta esse atque aliis æque ac sibi persuasisse præsumpserit, illa non tantum non Sibyllæ folia, sed et impudentissima Christianorum figmenta esse, quæ vix citius ab impostore consarcinata, quam a Patribus laudata sunt. Sed longe fallitur opinione vir doctus, si grande istud, quod de Sibyllis volumen contexuit Blondellus, tanti apud omnes esse opinetur, quanti apud se sit. Ut alios enim taceam, ipse nihil in eo invenire possum, quod quempiam, nulla præjudicata opinione corruptum, in suam de carminibus Sibyllinis antiquitus laudatis sententiam inducat. Quod tamen alta adhuc mente repositum habuissem, nec aliis divulgassem, nisi ab Observatore incitatus dicente, me objectionem ejus diluere non

posse, quin meam pariter diluam, neque ei respondere, quin mihimet etiam ipse respondeam. Respondeo enim, ex eo quod hæc carmina ab antiquis istis Patribus laudata sunt, summa ratione concludi, ea inter nuperrime consarcinata impostorum fragmenta non recensenda esse. Hoccine autem est mihimet respondere? aut meam ipsius contra Dallæum objectionem diluere? Sed nihil facilius est quam subodorari ex quo fonte hæc dimanarint. Eruditus scilicet Observator, me omnesque alios in Blondelli de carminibus Sibyllinis sententiam secum ivisse, qua ratione ductus nescio, pro concessio sumit, ideoque nihil dubitavit, quin validissimis, ut ipsi videntur, Blondelli argumentis victus, ei largiturus essem, libros Sibyllinos neque hac, neque ulla alia, ratione defendi posse, etiamsi illi soli intelligantur, qui ab antiquis celebrati sunt. E præmissis autem, ni fallor, constat, me, salva mea contra Dallæum objectione, huic Observatoris exceptioni respondisse. Adeo ut incaute nimis et inconsulte egerit vir doctus, cum me ipsi respondere non posse, quin mihimet respondeam, prius asseruit, quam quid ipse ei responsurus essem, ullo modo vel cognovit, vel cognitum habere potuit.

XIII. Quod postea addit eruditus Observator, se *idem* [Observat. in Annot. Bev. cap. xl. p. 57.] *dicere de Constantino Imperatore, qui de Sibyllinis oraculis magnificentius loquutus est, quam de Canonibus Apostolicis Justinianus*, ejusdem prorsus ac priora farinæ est, ut non opus sit de novo ei respondeatur. Observare tamen liceat, non mirum esse, quod Constantinus tam magnifice de libris Sibyllinis locutus sit, cum eminentissima Ecclesiæ lumina eos toties ante ipsum testimonio suo comprobassent. Prius enim quam ille imperium adeptus est, libri illi per ducentos fere annos ab ecclesiasticis scriptoribus laudati fuerant. Adeo ut, ipso etiam Blondello iudice, carmina Sibyllina multo longiori temporis spatio ante Constantini ætatem cognita fuerint, quam Canones Apostolici, juxta Dallæi opinionem, ante Justiniani testimonium iis tributum. Si libri illi quinquaginta duntaxat annos ab obscuro aliquo impostore consarcinati fuissent, Constantinus haud dubie istos tanto elogio non dignatus esset. Ut autem ex eo, quod ille libros Sibyllinos maximis laudibus celebrarit, legitime inferamus eos haud nudiustertius confictos esse, sed pro

veneranda saltem ipsorum antiquitate aliqualem ab eo laudem meruisse; sic etiam ex eo, quod Justinianus Imperator Canones Apostolicos tam magnifice laudavit, necessario conficitur, et ipsum et totam istius ætatis Ecclesiam in ea fuisse sententia, quod illi Canones non ab hæretico aliquo recentis memoriæ impostore contexti, sed multis ante annis collecti, et ab antiquis Ecclesiæ Patribus sub ipso Apostolorum nomine traditi fuerant. Alioquin sane permirum cuipiam merito videatur, inter omnes istos doctissimos Ecclesiæ Præsules, et jurisconsultos in omni antiquitate versatissimos, ex quorum consilio ille leges suas sanxit, nullum exstitisse Dallæum, nullum Observatorem, qui Imperatori, ut dixi, 'aurem velleret, eumque certiolem faceret, Canones ab ipso laudatos, non inter antiqua, nedum Apostolica, decreta, sed inter nuperrime consarcinata hæreticorum figmenta recensendos esse.' Cum hoc autem nemo Imperatorem tunc temporis admoneret, nec Dallæus, nec Observator prudentem quempiam sui que juris virum eo inducet, ut Canones hosce ante quinquaginta annos non exstitisse credat.

[Præf. ad Annot. in Can. Ap. sect. xxvi. pp. 7, 8.]

XIV. Sed aliud adhuc vir doctus adinvenit, quo se, si fieri potuit, tueatur. Addit enim, *Sed ut ad ipsos Canones propius accedamus, quos ab Apostolis sancitos opinabatur Justinianus, miror nullum tunc temporis exstitisse Beveregium, qui Imperatori aurem velleret, eumque certiolem faceret, ab Apostolis minime conditos esse, sed secundo exeunte, tertiove nondum adulto seculo a primitivis Synodis constitutos, et mox etiam in corpus istud, quod etiamnum habemus, collectos fuisse. Nam hæc est de horum Canonum antiquitate viri docti sententia. Tamen quemadmodum ex eo, quod nullus Beveregius Imperatorem hac de re monuit, non sequitur Canones ab Apostolis [reapse] sancitos esse, sic etiam ex eo, quod nullus tunc temporis Dallæus exstitit, qui Justinianum certiolem redderet istorum Canonum syllogem a recentioribus Impostoribus in eam, quam videmus, formam conflata esse, non sequitur adeo vetustam esse, ut existimat vir doctus. Tota hæc Observatoris disputatio supponit et pro concessio sumit, æque facile fuisse Imperatori dignoscere, utrum hi Canones ad Apostolicam institutionem referendi sint, ac discernere annon patris sui ætate conficti fuissent. Si prius enim*

Observat. [In Annot. Bev. cap. ix.] pp. 57, 58.

difficilius esset intellectu quam posterius, nemo mirari potest, si in illo potius quam in hoc hallucinatus fuerit Imperator. Quod, primo, autem ad posterius spectat, si nuperrime et post recentem hominum tum viventium memoriam hi Canones consarcinati fuissent, hoc Imperatorem latere non potuit, utpote qui multos secum haberet, qui primam eorum editionem sua adhuc memoria retinerent, quique propterea illum facillime monere poterant, hos Canones usque adeo ab Apostolis non sancitos fuisse, ut nec inter antiquas Ecclesiæ sanctiones recenseri mereantur. Verum non adeo facile fuit, ut quispiam Imperatorem tunc temporis certiorem faceret, eos ab ipsis Apostolis non constitutos fuisse, quippe quos a majoribus suis sub Apostolorum nomine sibi traditos acceperant. Hoc enim nomen non istis primo temporibus, sed aliquot retro seculis, hisce Canonibus inscriptum fuerat, idque non admodum immerito: quandoquidem istis sanciti sunt diebus, quibus omnes ecclesiasticæ sanctiones Apostolicis traditionibus fundatæ sunt. Enimvero secundo saltem seculo singulæ provinciæ Apostolorum illorum, quorum ministerio Ecclesia ibi constituta est, quasdam sibi traditiones vindicabant, ex quibus ecclesiasticam suam disciplinam formare consuetæ sunt. Quo factum est, ut leges, sive Canones ecclesiastici tunc temporis sanciti ipsis Domini Apostolis adscripti fuerint. Quapropter non mirum est, si Canones istis diebus divulgati, et ab eo usque tempore S. Apostolorum nomen præ se ferentes, Justiniano Imperante, ipsis Apostolis accepti referrentur. Miror potius, ut Observator hoc argumentum ad suam adstruendam opinionem torquere conetur, quod eam funditus evertit. Cum enim Justinianus hos Canones ab ipsis Apostolis conditos, et Ecclesiæ relictos affirmet, nemoque eum erroris propterea admoneret, hinc constat, doctissimos quosque istius seculi Patres eandem atque nos hodie de his Canonibus sententiam eo tenuisse, quod istos antiquos admodum et Apostolicis temporibus editos arbitrati essent. A Dallæana autem opinione, quæ, ipso fatente Observatore, Canones hosce quinquaginta tantummodo ante Justinianum annis confictos statuit, illi quam longissime abhorruerunt: cum eos non eodem nec præcedente seculo, non ab hæretico, non ab impostore quovis consarcinatos, sed ab ipsis Apostolis tradi-

tos, atque a Patribus majoribusque suis observatos fuisse asseruerint. Nihil enim dubii esse potest, quin Imperator communem Ecclesiæ et doctissimorum istius seculi virorum sententiam nobis transmiserit. Atque ideo licet ex eo, quod Imperator hos Canones Apostolis adscripserit, nemoque de hac re eum admonuerit, non sequatur, ab ipsis eos Apostolis reapse sancitos esse, clarissime tamen exinde sequitur, eos antiquos adeo tunc temporis habitos esse, ut non constaret, annon ab ipsis Apostolorum diebus traditi et in Ecclesia perpetuo observati fuissent. Quod quidem Dallæi ac Observatoris de horum Canonum antiquitate opinionem destruit, nostram autem sententiam egregie confirmat.

CAPUT XV.

Synopsis.

- I. Jo. Antiocheni *testimonium ab Observatoris exceptionibus defenditur. Canones Apost. Nomocanoni ante eum inserti fuerunt.*
- II. *Nomocanon quid proprie vulgoque significet. Jo. Antiochenus Nomocanonem componere non potuit, nec quosvis ei Canones inserere. Neque hoc in se suscepit.*
- III. *Etsi Justinianus et Jo. Antiochenus hos Canones ipsis Apostolis adscripserint, nostra tamen ex eorum testimonio sententia clare satis evincitur, Dallæana autem penitus evertitur.*
- IV. *Inter Gelasii P.R. nostramque de Canonibus Apost. sententiam nulla est ἀσυναρτία.*

I. Isthis eversis exceptionibus, quas contra Justiniani Imp. pro Canonum Apostolicorum antiquitate testimonium machinatus est Observator, reliquum est, ut eas etiam expendamus, quibus clarissimi ejusdem ætatis scriptoris, Jo. Scholastici sive Antiocheni, ea de re testimonium elevare molitus est. Nimirum Jo. Scholasticus, qui a Justiniano ad thronum C.P. promotus est, omnes, qui tunc temporis in Ecclesia Orientali obtinebant, Canones in quinquaginta titulos sive rerum capita distribuit, atque inter alios Synodorum Canones etiam Apostolicos recensuit, aliisque ita interseruit, ut nihil dubii esse possit, quin illi in Nomocanonem, sive in Codicem Canonum Ecclesiæ Orientalis, antea collecti fuissent. His autem se opponit Observator, dicitque, *Si ostenderet vir doctus existitisse ante Joannem Antiochenum Nomocanonem, cui inserti erant Apostolici Canones, concederemus [eos] a Johanne Antiocheno, aliorum exemplo, suo insertos esse. At, quia nihil ejusmodi demonstrare potest, perperam asserit Joannem Antiochenum Apostolorum Canones suo No-*

Observat. [in Annot. Bev. cap. xi.] pp. 58, 59.

mocanoni inseruisse, eo nomine quod pars Nomocanonis prius constituti essent. Certe satius erit dicere, Joannem Antiochenum sua sponte, nulloque provocatum exemplo, hoc fecisse, post suam Canonum collectionem ante Nomocanonem elaboratam, et in qua primi occurrunt Apostolici, saltem dum exhibetur Canonum ordo seu dispositio, necnon in totius operis præfatione. Hactenus Observator, cujus confidentiam satis mirari nequeo, diserte affirmantis, me non posse demonstrare ullum exstitisse Nomocanonem seu Canonum collectionem ante Jo. Antiochenum, cui Apostolici inserti erant. Qui enim, quæso, ille prævidere potuit quid ipse demonstrare possim? Sane quantacunque vel observandi vel prævidendi peritia imbutus sit, hic se in gravissimum errorem, præsumptæ suæ opinionis causa, præcipitem dedit. Quod iste enim asseveravit me non posse demonstrare, id ipsum antea clarissime demonstravi: ubi scilicet insigne hoc Joannis Antiocheni testimonium in medium protuli, et explicavi. Ibi enim demonstratum dedi Canones Apostolicos ante Jo. Antiochenum Nomocanoni insertos et inter alios Synodorum Canones collectos fuisse, non tantum ex eo, quod absurdum fuisset istos inter alios Ecclesiæ Canones in L. titulos distribuere, si nondum in Nomocanonem inserti fuissent, verum ex eo præsertim, quod ipse Jo. Antiochenus in sua ad Canonum collectionem præfatione, conceptis verbis asseruerit, aliam sua antiquiorem fuisse collectionem Canonum, in qua omnes a se recensiti Canones in LX. titulos distributi fuerant, præter eos quos S. Basilius edidit, ut quos solos ille in antiquiori illa collectione prætermisissos observat. Unde Apostolicos Canones ante Jo. Antiochenum partem Nomocanonis constituisse, certissimum conficitur.

[Vide supr. cap. viii. sect. 3, 4, pp. 85-89.]

[Observat. in Annot. Bev. cap. xi. p. 89.]

II. Sed certe, inquit vir doctus, *satius erit dicere Joannem Antiochenum, sua sponte, nulloque provocatum exemplo hoc fecisse, post suam Canonum collectionem ante Nomocanonem elaboratam, et in qua primi occurrunt Apostolici.* Hic autem in verbo ‘Nomocanonis’ ludere videtur Observator, eo perinde utens, ac si talem perpetuo designaret Nomocanonem, qualem Jo. Antiochenus post suam Canonum collectionem elaboravit; quo scilicet leges civiles ecclesiasticis Canonibus respondententes una cum iis exhibentur. Atqui doctissimum virum fugere non potuit, verbum ‘No-

mocanonis' communi isto ac vulgari sensu hic accipiendum esse, quo olim, æque ac hodie, passim usitatum est, pro corpore sive Codice Canonum in Ecclesia obtinentium. Cum itaque dicimus, Canones Apostolicos ante Jo. Antiochenum Nomocanoni insertos fuisse, nihil aliud volumus, nisi istos Canones in corpus Canonum Ecclesiæ Orientalis receptos fuisse, priusquam Jo. Antiochenus eos una cum aliis in L. titulos distribuit. Atque idcirco non quæritur, utrum Jo. Antiochenus hos Canones sponte sua, an aliorum provocatus exemplo, in suum Nomocanonem inseruit, sed an partem Codicis Canonum constituerint, antequam a Jo. Antiocheno inter alios collecti sunt. Ipse autem Observator hic fatetur, quod certissimum est, in Jo. Antiocheni collectione Canones primos occurrere Apostolicos; saltem dum Canonum ordo seu dispositio exhibetur. Quæstio igitur, si cuius quæstio videatur, huc redit; an Jo. Antiochenus, ubi numerum ordinemque Canonum tunc temporis obtinentium recenset, ipse primus sua sponte, nulloque aliorum provocatus exemplo, Apostolicos aliis Synodorum Canonibus non modo interseruit, sed et omnibus anteposuit? sive quod idem est, utrum Joannes Antiochenus Codicem Canonum Ecclesiæ Orientalis ut a se descriptum primus composuit? Jure autem dubitavi, an hæc quæstio cuiquam videatur, cum extra omnem sit controversiam, Joannem Antiochenum, Scholasticum adhuc sive in foro ecclesiastico advocatum, Codicem Canonum, ex quo causas ageret, componere nec voluisse, si potuit, nec potuisse, si voluit. Hoc enim non in iudicis, nedum in advocati, sed in Synodi solius potestate situm erat. Quocirca Jo. Antiochenus hoc neutiquam sibi arrogavit, sed in se tantum suscepit, Codicem Canonum ante compositum, et vulgo jam receptum, in certos quosdam titulos ita distribuere, ut Canones de eadem, vel simili, re editi sub eodem una titulo invenirentur. Quin nec hoc etiam ille primus suscepit, sed aliorum exemplo provocatus, ut ex ejus præfatione ante observatum est. Unde liquet eundem Codicem Canonibus Apostolicis præmunitum ante Jo. Antiochenum in Ecclesia Orientali obtinuisse, ac proinde Canones Apostolicos longe prius receptos fuisse, quam ille iis inter alios distribuendis operam dedit.

III. Posthæc doctissimus Observator a Joanne Antio-

Observat. [in
Annot. Bev.
cap. xi.] pp.
59, 60.

cheno, cujus testimonium nullo unquam modo vel evitari potest, vel elevari, ad Justinianum Imp. se iterum convertit, dicitque nihil causæ esse *cur Justiniani Imperatoris dignitatem atque doctissimorum virorum, quos ille ad ecclesiasticas pariter atque civiles colligendas leges undique convocaverat, urgeamus [urgeat] eruditionem, perinde ac Joannis Constantinopolitani Episcopi, reliquorumque Græcarum Ecclesiarum Antistitum, ut inde concludamus [concludat] Canones Apostolicos, quos ab omnibus observari præcipiunt, adeo vetustos esse, ut, si non ab ipsis Apostolis, a viris saltem Apostolicis secundo tertiove post Christum incarnatum seculo constituti sint. Plus enim, inquit, ei largimur, quam postulat. Fatemur siquidem Justinianum et viros illos doctissimos, quorum meminit, existimasse Canones, de quibus lis est, ab ipsis Apostolis vere conditos esse, ac proinde antiquissimos, utpote primis Christianismi seculis constitutos, et nisi hoc iis persuasum fuisset, eos dubio procul tanquam fictos et spurios rejecissent. Beveregius autem diserte negat ab Apostolis fuisse sancitos. Nihil ergo in gratiam hypothesis suæ exsculpere potest, vel a Justiniano, vel a Joanne Antiocheno, vel a cæteris, quos designat, viris doctissimis. Antiquitas enim, quam Canonibus adscribunt Apostolicis, ab ea plane diversa est, quam illis tribuit vir doctus. Primo autem, ubi dicit se plus nobis largiri quam postulamus, dicere, ni fallor, voluit, quam postulare opus habemus. Neque enim opus est id postulemus, quod omnibus notum est, ipseque Observator diffiteri nequit, Justinianum scilicet et doctissimos istius ætatis viros hos Canones antiquissimos existimasse, ut ab ipsis Apostolis traditos. Sed hæc, inquit, sententia a nostra discrepat, qui Canones hosce non ab ipsis Apostolis, non primo Christianismi seculo, sed a viris Apostolicis secundo tertiove post Christum incarnatum seculo sancitos arbitramur. Esto. Quid ergo? Ergo, inquit, nihil hinc in nostræ hypothesis gratiam exsculpere possumus. Itane vero? Annon clarissime hinc conficitur Canones Apostolicos longe antiquiores esse, quam Dallæus voluit, et post eum Observator? Et hocine nihil ad nostram hypothesisin confert? Quænam, obsecro, quæstio a nobis agitur? Nonne de antiquitate Canonum Apostolicorum instituitur? Quid itaque, si illis aliter atque nobis visum est de Canonum horum institutione? Hoc non est quod quærimus. Atque*

ideo nihil refert, utrum illi ab ipsis Apostolis, an nobiscum a viris Apostolicis conditos fuisse hosce Canones existimarunt. Nobis causæque nostræ sufficit, quod, sexto ineunte seculo, Antistites et doctissimi quique viri eos, fatente ipso Observatore, antiquissimos habuerant, et longe ante tempus a Dallæo denotatum constitutos. Quod autem illis antiquiores visi sunt quam nobis, hoc nostram de eorum antiquitate opinionem usque adeo non destruit, ut multo magis confirmet. Si tantorum enim virorum auctoritate victus Observator, hos Canones adeo antiquos esse concedat, ut illi autumarunt, Dallæi de iis sententiæ valedicat, nostramque veritati longe propiorem esse fateatur necesse est. Et præterea, si adeo antiqui fuerint, ut illis persuasum est, haud minoris sane antiquitatis esse possunt, quam nos statuimus. Sed instat vir doctus, dicitque, *Hæ duæ opiniones, ut quivis videt, sibi invicem adversantur, nec amice conciliari queunt. Nam si obtinet Justiniani de Canonum antiquitate sententia, ruit Beveregiana. At si stat Beveregiana, pessum ibit Justiniana. Quomodo, quæso, una consistere possunt duæ opiniones, quarum altera Canones ab ipsis Apostolis sancitos affirmat, altera vero tertio ineunte seculo longe post mortem Apostolorum constitutos esse contendit?* Verum et hic in aliam omnino controversiam incautus transilit Observator. Nos enim contra Dallæum contendimus Canones Apostolicos ante quintum adultum seculum divulgatos fuisse: idque ex eo probamus, quod, sexto ineunte seculo, Justinianus eos adeo antiquos esse crediderit, ut ipsis Apostolis attribuendos esse censeret. Respondet Observator hanc Justiniani opinionem nostræ adeo adversari, ut una consistere non possint. Quoniam scilicet ille eos ab ipsis Apostolis, nos autem post illorum mortem constitutos esse asserimus. Quid hoc autem ad præsentem quæstionem? Nos Justiniani sententiam non defendimus, sed ex ea Dallæanam tantummodo oppugnamus: ac proinde, verane illa sit, an falsa, nos nihil hic laboramus, cum, utcunque se habeat, Dallæi de his Canonibus opinionem funditus evertat. Etiam si enim erraverit fortasse Imperator, in Canonibus hisce Apostolicæ institutioni assignandis, ex eo tamen clare satis evincitur, eos multis ante ejus ætatem annis conditos fuisse, usque adeo ut istis etiam diebus incertum esset, annon ipsi eos Apostoli

[Observat. in
Annot. Bev.
cap. xi.] pp.
60, 61.

condidissent. Quod si vera sit Justiniani opinio, Dallæana falsissima sit necesse est. Nec refert omnino, utrum sententia Justinianeâ nostræ ad amussim quadret, an aliquantulum ab ea discrepet, cum utraque ad Dallæanam evendendam amice conspirant, a qua etiam Imperatoria illa longius quam nostra recedit.

IV. Verumenimvero, ut ut futilis ac impertinens sit hujusmodi ratiocinandi, vel excipiendi, ratio, erudito Observatori quam plurimum arrisisse videtur: utpote qui paulo etiam ante simili usus est. Nimirum supposito, quod Dallæus postulavit, Gelasium Episcopum Romanum Canones Apostolorum inter Apocrypha deputasse, ex eo nos constare diximus, Canones istos Gelasii ætate, hoc est, quinto labente seculo, antiquos admodum existimatos esse, et longe antea conditos, quandoquidem incredibile est, ut post quadringentos et amplius ab Apostolis annos, ipsum eorum nomen libro alicui inscriberetur, qui non multis saltem ante illud tempus annis conscriptus fuerat. Paulo autem ante, in Annotationibus, dixi quoque nemini dubium esse posse, 'quin, si Apostolorum nomen hisce Canonibus nunquam inscriptum fuisset, sed ecclesiastici ubique Canones appellati essent, nec Gelasius eos inter libros Apocryphos recensuisset, nec Dallæus eorum antiquitatem tot unquam verbis oppugnasset.' Quid ad hæc Observator? *Hæc, inquit, adeo ἀσβραρα videntur, ut difficile conciliari queant. Vix enim concipi potest, unum eundemque libri cujusdam titulum ad illius honorem simul et ignominiam præfixum fuisse. Tamen dum ex Apostolorum nomine Canonibus inscripto eorum infers antiquitatem, ad honorem inscriptum profiteris. At dum in eodem, quo prænotati sunt, nomine damnationis eorum materiam quaeris et argumentum, ad ignominiam impositum non diffiteris. Quæ duo meo quidem iudicio una consistere non possunt. Recte dixit, suo quidem iudicio hæc ἀσβραρα videri et conciliatu difficilia. Alium enim ita iudicantem vix inveniet. Quid enim obstat, quo minus unus idemque hujus, vel alius cujuspiam, libri titulus materiam præbeat, ex qua, pro varia hominum indole ac ingenio, antiquitas ejusdem ab aliis eliciatur, ab aliis autem totus propterea liber oppugnetur, licet illud in honorem sit, et hoc in ignominiam. Quænam, quaeso, hic est ἀσβραρα. Ex eo, quod quinto*

[Præf. ad Annot. in Can. Ap. sect. xxii. p. 7. Fan. Can. tom. ii. ad fin.]

Observat. [In Annot. Bev. cap. x.] pp. 54, 55.

labente seculo, hi Canones Apostolorum a Gelasio dicti fuerunt, nos illos antiquos admodum fuisse conclusimus, siquidem nihil a ratione magis abhorrere videtur, quam quod S. Apostolorum nomen istis demum diebus libro cuilibet inscriberetur, qui non multis retto annis conscriptus cognitusque fuerat. Neque ullum in tota illius seculi historia exstat ullius libri exemplum, qui tunc demum primo confictus sub ementito sanctorum Apostolorum nomine publicatus est. Hoc secundo, fateor, sæpe, nonnunquam et tertio fiebat seculo, ut et quinto autem, eoque labente, fieret, nec rationem habet nec exemplum. E contra autem Gelasius, Synodusque Romana sub eo habita, canonicos ac apocryphos, veros ac falsos S. Apostolorum aliorumque scriptorum ecclesiasticorum libros secernere omni ope atque opere enitens, et S. Apostolorum nomen huic inscriptum libro inveniens, eum propterea inter apocryphos rejecit, ut magnum illud nomen falso præ se ferentem, quod Ecclesia universa nulli unquam libro imposuit, præterquam iis quos in SS. Scripturæ Canonem recepit. Et post mille, et quod superest, a Gelasio annos, clarissimus vir, Joannes Dallæus in pseudepigrapha Apostolica stylum exercens, hos etiam Canones eo nomine confodit, quod S. Apostolorum diceantur. Alioquin enim inter pseudepigrapha Apostolica recenseri non potuerunt. Adeo ut cuivis pateat, tam Dallæum quam Gelasium ex hoc solo eorum titulo Canones hosce configendi occasionem arripuisse, ex quo nos eorundem antiquitatem constare asserimus. Quid autem in hisce est inconsistentiæ? Quid vetat, quin alii diverso respectu ignominiam in hos Canones conjiciendi materiam ex eodem nomine acciperent, ex quo nos honorem propter antiquitatem iis debitum esse contendimus? Sed nihil est, quod his diutius immoremur. Cum ipse Observator hæc plane *ἀσέβητα* esse non dixerit, sed tantum *ἀεὶ ἀσέβητα videri, ut difficile conciliari queant*. Quod si ullo modo conciliari queant, etiamsi difficillime, possibile sane est, ut una consistent. Quod tamen suo quidem iudicio fieri non posse, diserte postea affirmat sui oblitus Observator. Verum si hanc causam non suo, ut præconcepta opinione corrupto, sed aliorum iudicio commiserit, cito definitur, hæc adeo non esse *ἀσέβητα*, ut nulla prorsus conciliatione indigeant,

ipsumque Observatorem inconsiderate nimis hæc protulisse, quæ nihil plane ad præsentem quæstionem faciunt. Si alii enim titulum, quem nonnunquam præferunt, ut probrum hisce Canonibus objiciant, hoc ad nos nequicquam spectat: ipsi viderint. Nobis abunde sat est, quod, quinto labente seculo, hi Canones Apostolorum dici non poterant, nisi multis ante annis constituti fuissent.

CAPUT XVI.

Synopsis.

- I. *Quare Canones Apost. Codici Canonum Ecclesiae universae non sunt inserti.*
- II. *Eum, qui Codicem istum composuit, eos tantum Canones, quos Synodus Nicæna edidit vel recepit, quique postea sanciti sunt, colligere in animo habuisse probatur.*
- III. *Canones Ancyrani et Neocæsarienses Codici propterea inserti sunt, quod a Synodo Nicæna recepti. Idem dici nequit de Sardicensibus a secunda Synodo, ut Patribus Florentinis visum est, receptis. Ipsi secundæ generalis Synodi Canones Codici non sunt inserti ante quartam Chalcedone habitam. Synodi Florentinæ testimonium in hac causa vindicatur.*
- IV. *Etsi Canones Ancyrani et Neocæsarienses non fuissent a Synodo Nicæna confirmati, Codici tamen inserendi erant, ut iisdem diebus editi.*
- V. *Canones Apost. primitivæ ante Synodum Nicænam Ecclesiae disciplinam exhibere asseritur. Collectores Canonum Ecclesiae universae nullam Apostolicos memorandi occasionem habuerant.*
- VI. *Nullum ex antiquis istius Ecclesiae decretis Codici Ecclesiae Africanæ insertum est. D. Cyprianus nihil de transmarinis appellationibus statuit. Non opus erat, ut antiquior istius Ecclesiae Codex novo conjungeretur, vel in eo commemoraretur.*
- VII. *Ex eo, quod Synodi antiquæ Canones Apost. non nominatim memorarunt, non sequitur eos tunc non exstitisse.*
- VIII. *Canones Apost. Patribus Nicænis, Antiochenis, etc. incognitos fuisse, neutiquam ex eo sequitur, quod ab istis indicato Canonum numero non laudentur. Omnia antiquiorum Conciliorum Acta interciderunt.*

I. VIDIMUS quantis quamque perspicuis veterum testimoniis nostra de Canonum Apostolicorum antiquitate opinio

nititur, eademque omni exceptione majora esse ostendimus. Restat modo, ut ea expendamus, quæ Dallæus suæ adstruendæ opinioni ex forma eorum (de materia enim proximo libro fusius, Deo volente, acturi sumus) protulit, quæque eruditus Observator contra responsiones nostras in Annotationibus allatas vindicare conatus est. Primo itaque Dallæus hanc Canonum collectionem non Breviarum esse ac Epitomen Ecclesiasticorum ante Synodum Nicænam decretorum, nec ante istam Synodum constitutos esse contendit, hac ratione, *Si [enim] res, inquit, ita se haberet, omnino hanc Syllogen Codici Canonum Ecclesiæ universalis ejus auctores inseruissent, imo primo Codicis loco posuissent, velut a viris Apostolicis exortum, et ipsa antiquissimi temporis vetustate venerabile monumentum.* Ad hæc in Annotationibus reposui, Auctori Codicis Canonum Ecclesiæ universalis propositum esse a Canonibus Nicænis exordium ducere, eosque solos colligere, qui ab ista Synodo sanciti sunt vel confirmati, aut ab aliis post eam constituti. Quo factum est, ut nulli antiquiores Synodo Nicæna Canones ab eo colligantur ‘ præter Ancyranos et Neocæsarienses, quos etiam ab ista Synodo confirmatos esse Acta Concilii Florentini testantur. Et præterea, hic Codex Canonum Ecclesiæ primitivæ longe antea collectus fuerat, et seorsim in Ecclesia diu obtinuerat, ac proinde non opus erat, ut Canones in eo comprehensi de novo colligerentur, nedum ut antiquus iste Codex novo jungeretur, qui non eo nomine compositus fuit, ut antiquam, sed ut præsentem, Ecclesiæ disciplinam exhiberet, eam nimirum, quæ a Conciliis nuper celebratis constituta est. Quod etiam in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ observare licet, quo scilicet nec unum e decretis, quæ sub D. Cypriano aliisque vetustioribus Africæ Conciliis divulgata fuerant, continetur (etiamsi juxta Dallæi argumentum ea omnia primo in loco propter venerabilem antiquitatem poni debuissent) sed ea tantum, quibus ecclesiastica disciplina iis, quibus collectus est iste Codex, diebus administrabatur.’ ‘E quibus,’ ut dixi, ‘patet, quam frustra interroget Dallæus, quare Apostolici, æque ac Antiocheni, Canones Codici Canonum Ecclesiæ universæ non inserti sunt? Antiocheni enim ad præsentem Ecclesiæ statum pertinebant, non item Apostolici, qui Ecclesiæ continuis fere persecutionum procellis jactatæ,

De Pseud.
Apostol. lib.
iii. cap. 21,
p. 672.

[Præf. ad
Annot. in
Cann. Ap.
sect. xix. p.
6.]

et ecclesiasticis, quæ iis temporibus emergebant, negotiis accommodati sunt.'

II. Contra hæc Observator plurima conguessit. Primo, inquit, *Unde, quæso, habet Beveregius auctori Codicis propositum fuisse, eos solos Canones colligere, qui vel a Nicæna Synodo confirmati sunt, vel post eam constituti? Edat vel unum vetustum scriptorem, qui hoc testetur, et cujus testimonium omni sit exceptione majus. Cum autem nullum plane proferat, et de suo tantum hoc affirmet, non ægre laturum illum puto, si a nobis eadem, qua profertur, facilitate contemnatur.* Ad hanc exceptionem eodem, quo concipitur, modo respondeo, interrogando, Quid opus est testibus, ubi res ipsa loquitur? Annon ipsa compositio Codicis Canonum Ecclesiæ universæ clare satis indicat, clamatque suum auctorem nihil aliud in ipso elaborando sibi proposuisse, quam istos solos Canones colligere, qui a Synodo Nicæna confirmati vel post eam constituti sunt? Revolve, quæso, istum Codicem, et dic tandem nobis unde incipit? Annon a Canonibus Nicænis? Quid ita, si auctor antiquiores ista Synodo, et ab ea non confirmatos, Canones colligere in animo habuisset? Nescisne quamplurimos ante istud Concilium editos fuisse Canones, qui dicto Codici non inseruntur? Quamobrem autem isti etiam inter alios hic non sunt collecti, si auctori antiquiores etiam Canones colligere propositum fuisset? Neminem sane fugit plurimas ante Nicænam habitas fuisse Synodos, plurimosque ab iis constitutos Canones, qui tamen omnes, præter Ancyranos et Neocæsarienses paulo ante sancitos, in hoc Codice omittuntur. Quod quidem fieri nec debuit, nec potuit, si auctor sibi constituisset, omnes in unum corpus colligere Canones, qui ante Concilium Nicænum editi et recepti fuerunt.

III. Quod autem diximus Canones Ancyranos et Neocæsarienses a Synodo Nicæna confirmatos esse, idque ex Actis Concilii Florentini constare, negat Observator ullam hujusce confirmationis exstare mentionem in Synodi Florentinæ sessione septima, quam citavimus. *En, inquit, Synodi verba,*

Observat. [in Annot. Bev. cap. vii.] p. 37.

[Obs. in Annot. Bev. cap. vii.] p. 37.
[Conc. tom. xiii. col. 122, A.]

'Ante primam Synodum multæ aliæ celebratæ sunt, Antiochiæ adversus Paulum Samosatenum, Ancyræ contra eos qui non suscipiebant accedentes ad fidem, quod prius Christum abnegassent propter tormenta, et Neocæsareæ tertia. Quas omnes

Synodus recepit Synodus Nicæna. Ex his verbis sic disputat Observator, *Synodus illas admisit Concilium Nicænum, ab eo confirmatas esse non dicitur.* Egregia quidem observatio! Nimirum ac si, quas Synodus Nicæna recepit, easdem non confirmavit. Annon autem receptio a tanta Synodo ampla satis est earum confirmatio? Quo demum pacto prima universalis Synodus alias confirmare poterat, nisi eas ut Catholicas sive Orthodoxas recipiendo? Sed addit vir doctus, *Et si ob id tantum Codici Canonum Ecclesiæ universæ inserti sunt Canones Ancyrani et Neocæsarienses, quia a Synodo Nicæna recepti sunt, eadem plane ratione inserendi erant Sardicensis a secunda Synodo Œcumenica, si iisdem Florentinis Patribus credimus, suscepti.*¹ *Quamvis hallucinatos esse Florentinos Patres non dubitem. Non enim de Sardicensi Synodo loquuntur Constantinopolitani Patres Can. V., ut opinabantur Florentini, sed de Antiochena anno Domini CCCLXXVIII. habita, in qua lectus est Tomus Occidentalium, Epistola scilicet Synodica Damasi Papæ ante paucos annos scripta, cui subscripserunt Episcopi Orientales numero CXLVI.* Respondeo primo, de errore Patrum Florentinorum, in quinto secundæ generalis Synodi interpretando Canone, non est quod hic laboremus, cum de ista re in Annotationibus ad istum² Canonem fuse commentati

Observat. [in Annot. Bev. cap. vii.] p. 37.

Ibid. pp. 37, 38.

[Conc. tom. xiii. col. 122, C.]

¹ [“ Propterea convocata est Synodus Sardicensis, quæ, tertio Canone secundæ Synodi Œcumenicæ C. politanæ, Occidentalis appellatur.” — Archiepiscopus Rhodius in septima sessione Conc. Florent. Conc. tom. xiii. col. 122, C.]

² [“ Quid Patres per Tomum τῶν δυτικῶν velint, inter doctos nondum convenit. Balsamon et Zonaras [Pan. Can. tom. i. p. 92] et Scholiastes Harmenopuli in Epit. Can. sect. i. tit. 8, tomum istum nihil aliud esse consentiant, quam definitionem de Nicæna fide ab Episcopis Occidentalibus in Synodo Sardicensi editam, et ab Antiochenis susceptam. Verum cum Synodus Sardicensis, ut testantur Socrates, [lib. ii. cap. 20, p. 104,] et Sozomenus, [lib. iii. cap. 12, p. 109,] Ruf-

fino et Eusebio Coss., hoc est, anno Christi CCCXLVII. celebrata fuerit, præsentem plusquam triginta annis antecessit, ac proinde Patres præsentem non ad eam, sed ad aliam aliquam, non ita multis ante diebus coactam, retrospexisse videntur. Et præterea, quid Synodus Sardicensis ad Antiochenos? Non enim sola Antiochena, sed plures aliæ Ecclesiæ fidei professionem hic assertam amplexæ sunt. . . . Si . . . nostram de vero hujus Canonis sensu rogamur sententiam, paucis sic expediat. Proxima post præsentem Synodum Constantinopoli celebratam æstate, quamplurimi exiisdem Episcopis ad eandem urbem regressi aliud ibidem Concilium peragebant. . . . Dicti autem Episcopi rursus ibi congregati Epistolam ab Episcopis quibusdam

fuermus. Hic tantum obiter adnotare liceat, Florentinos Patres hoc in loco ex communi Græcorum sensu locutos esse, qui per aliquot retro secula Canonem istum Constantinopolitanum ita interpretati sunt. Sed, quod ad rem nostram spectat, etiamsi Canones Ancyrani et Neocæsarienses Codici Canonum Ecclesiæ universæ propterea tantum inserti sint, quod a Synodo Nicæna recepti fuerunt, non tamen sequitur Sardicenses etiam Canones eidem inserendos esse, eo quod a secunda generali Synodo, si Patribus Florentinis fides habeatur, suscepti sunt. In Codice enim isto, quo Canones Ancyrani et Neocæsarienses primo inter alios collecti sunt, ipsi Canones secundæ generalis Synodi desiderabantur, ut liquet ex Actis Concilii Chalcedonensis, in quibus Codex iste aliquoties relectus est. Enimvero Actione XVI. ejusdem Concilii, Lucentius, Vicarius sedis Apostolicæ, dixit, *Accedit ad cumulum, quod, trecentorum decem et octo constitutionibus postpositis, centum quinquaginta, qui in synodicis Canonibus non habentur, mentionem tantum fecisse noscuntur: quæ dicunt ante octoginta prope annos constituta fuisse.*³ Quod si ipsi Canones Patrum CL., qui secundam generalem Synodum Constantinopoli celebrarunt, inter synodicos Canones, sive in Codicem Canonum Ecclesiæ universæ ante Concilium Chalcedonense non collecti sunt, quo demum pacto Canones Sardicenses, ab iis, ut Patribus Florentinis visum est, suscepti, in istum Codicem multo ante factum referri potuerunt, eo quod a secunda generali Synodo recepti, sive confirmati essent? At longe alia est ratio Canonum Ancyranorum et Neocæsariensium, qui, cum primo Codex Canonum Ecclesiæ universæ conditus erat,

Act. Conc.
(Chalced.
[Conc. tom.
iv. col. 809,
C. D.]

Occidentalibus Romæ sub Damaso in Synodo congregatis acceperunt. . . . Τόμος δυτικῶν hic commemoratus nihil aliud fuit, quam libellus iste, sive Epistola Synodica, quem Occidentales Episcopi Romæ Constantinopolim miserunt."—Bev. Annot. ad Can. C.P. V. Annot. ad Pan. Can. p. 97, tom. ii. ad fin. Hunc ergo Canonem V. primæ Synodo C.P. abjudicat Beveregius, secundæ, sequenti anno celebratæ, adscribit. Quod aliis quoque viris eruditis de hoc et duobus sequentibus Canonibus

statuere placuit.—Vide Annot. in Can. V.–VII. Conc. C.P. apud Routhii Script. Eccl. Opusc. tom. ii. pp. 448–451. Ed. prima, Ox. 1832.]

³ [Græca autem ita se habent; φαίνεται προσωρισθῆσαι τοῖς ἄρθοις τῶν τριακοσίων δέκα καὶ ὀκτώ, καὶ τοῖς μετὰ ταῦτα ἰκατὸν πενήκοντα, τὰ ἔνν μνημοσυβήντα, μὴ ἰμφορίζοντα δι' ἐν τοῖς συνδικαῖς κανόσι, ταῦτα φάσκουσιν ἀρξίσθαι.—Con. Chal. Act. xvi. Conc. tom. iv. col. 810, D.]

[Observat. in
Annot. Bev.
cap. vii. p.
38.]

una cum Nicænis in eum colligebantur, propterea quod a Nicæna Synodo recepti fuerant, sive approbati, ut Patres Florentini testati sunt. *Sed donemus, inquit Observator, Beveregio Canones Ancyranos et Neocæsarienses a Synodo Nicæna secundum Florentinos Patres fuisse confirmatos, nihil propterea proficiet. Synodus quippe Florentina nimis recens est, ut de re adeo antiqua sine vetustioris auctoritate testari queat, censit, (centum haud dubie legendum est) et tredecim annos supra mille post consessum Nicænum: præsertim cum nihil ejusmodi occurrat in antiquis Ecclesiæ scriptoribus, nec in ipso Canonum Ecclesiæ universæ Codice.* Hactenus Observator, cui singulares habemus gratias, quod illum nobis donare dignatus est, quod nemini negare potuit. Hoc autem utrinque concesso, nisi se omnibus Florentinis Patribus doctiorem prudentioremque dixerit, Canones Ancyranos et Neocæsarienses a Synodo Nicæna confirmatos esse fateatur necesse habet. Et præterea, si Synodus ista nimis recens sit, ut de re adeo antiqua sine vetustioris auctoritate testari queat, ille quidem ista Synodo multo est recentior, ac proinde multo major Patribus Florentinis, quam anonymo Observatori, habenda est fides, etiamsi pro certo haberemus eos sine vetustioris cujusvis viri Synodive auctoritate hoc testatos fuisse. Neque enim ille unum vetustiore e contrario testem proferre potest. Unde vero ei constat Patres Florentinos sine vetustioris auctoritate hoc affirmasse? Sane, nisi solidissimam assertionis adeo censoriæ rationem reddiderit, fides penes ipsum erit, ab aliis enim nullam habebit. Nobis profecto omnem excedit fidem, ut tot tantique Patres tale quid de suo ingenio excogitarent, vel ut illud assererent, nisi idoneis veterum testimoniis verissimum esse pro certo habuissent. Nec magni refert, quod scriptis non mandarunt, quibus adducti rationibus aut testimoniis id asseverarunt. Istud enim haud necesse erat, cum nemo tunc temporis id negaret. Nullus autem dubito, quin, si Observator aliquis adversus restitisset, illi omnes ejus exceptiones competenti veterum auctoritate evertere potuissent. Interim Patrum saltem Florentinorum habemus testimonium, quod quidem privati ac anonymi Observatoris opinioni non æquivalet modo, sed et longe præponderat: præsertim cum is, licet enixe conatus sit, nullam exsculpere potuit rationem, qua

contrarium evinceret. Ecce enim qualem simulat, *Imo contrarium*, inquit, *ex ipso Codice colligitur: hic enim titulus Ancyranis præfixus est Canonibus, 'Concilii Ancyrani Canones XXV., qui quidem priores sunt Nicænis, sed ideo postpositi sunt, propter auctoritatem Synodi Œcumenicæ.'* Si a Synodo Nicæna confirmati fuissent, lectorem hac de re moniturum esse collectorem par est credere: idem dico de Canonibus Neocæsariensibus, hoc titulo prænotatis, *'Concilii Neocæsariensis Canones XIV., qui quidem sunt Ancyranis posteriores, Nicænis vero antiquiores.'* Mira quidem ratiocinandi subtilitas! Qui Codicem Canonum Ecclesiæ universæ primus condidit, vel, quod verisimilius est, aliquis, qui istum postea transcripsit, dixit Canones Ancyranos et Neocæsarienses Nicænis priores fuisse, sed iis postpositos propter auctoritatem Synodi Œcumenicæ. Ergo si a Nicæna Synodo confirmati essent, lectorem hac de re moniturum esse collectorem par est credere. Quid ita quæso? Annon ipsi tituli clare satis indicant, quare præfixi sunt, nimirum ut lectorem certiozem facerent, quare Canones, ante Nicænos conditi, post eos in Codice collocati sunt; propter summam scilicet Synodi istius Œcumenicæ auctoritatem. Cum hoc itaque solum in titulis istis præfigendis propositum fuisset collectori, non opus erat, ut istos etiam Canones a Synodo Nicæna confirmatos esse indicaret; neque par est credere eum de hac re lectorem in titulis moniturum esse, quandoquidem hoc clare satis in ipsa collectione indicatum putavit; eo scilicet, quod, licet a Canonibus Nicænis inciperet, tamen et hos etiam paulo ante constitutos collegerat, quod nunquam fecisset, nisi eos aliqualem ab ista Synodo auctoritatem accepisse rescisset. Quod quidem nobis ex eo etiam verisimillimum videtur, quod magna pars Patrum, qui Ancyranos et Neocæsarienses Canones condiderant, Synodo Nicæna paucos post annos habitæ interfuerunt, ut e subscriptionum collatione patet. Hos enim, si Observatoris argumentandi modo utamur, par est credere, a Synodo ista impetrasse, ut Canones, quos ipsi in suis provinciis sanxerant, ab Œcumenico isto Concilio approbarentur, quo majorem, in Ecclesiis quique suis, vim atque pondus obtinerent.

IV. Quid autem si demus Observatori, quod tantopere exoptat, Canones nimirum Ancyranos et Neocæsarienses a

Observat. [in Annot. Bev. cap. vii. pp. 38, 39.]

[Conc. Anc. Conc. tom. i. col. 1475, D, E.—Conc. Neocæs. Ibid. col. 1488, C, D.—Conc. Nic. Conc. tom. ii. coll. 50-54.]

Synodo Nicæna non esse confirmatos? Nihil sane exinde conficiet. Concilia enim Ancyranum et Neocæsariense paucis tantum annis ante Nicænum, et sub eodem auspiciatissimo Ecclesiæ Christianæ Imperatore Constantino M., celebrata sunt. Quapropter auctor Codicis, propositum habens Canones isto seculo post pacem Ecclesiæ restitutam editos in unum corpus colligere, etiamsi a prima universali Synodo exordiri apud se statuisset, Ancyranos tamen et Neocæsarienses omittere non potuit, ut iisdem diebus editos. Quod autem ad alios spectat Canones longo ante tempore constitutos, quales Apostolicos esse contendimus, si eos, vel ullos eorum colligere in animo habuisset, nonnullos procul omni dubio collegisset; neque enim omnes prioribus sanciti seculis eum latere poterant. Cum autem ex ipso Codice pateat, nullos Ancyranis antiquiores ab eo collectos fuisse Canones, nihil dubii superesse potest, quin a Canonibus istis diebus constitutis Codicem suum incipere animo proposuisset: ac propterea non mirum est, quod Apostolicos multo ante sancitos reliquis non inseruit. Hoc enim modo constitutos sibi limites transillisset.

[Præf. ad Annot. in Can. Ap. sect. xix. p. 6. Pan. Can. tom. ii. ad fin.]

V. Præterea ad istam Dallæi objectionem respondi Codicem Canonum Apostolicorum diu in Ecclesia seorsim obtinuisse ac propterea non opus esse, 'ut Canones in eo comprehensi de novo colligerentur, multo minus ut antiquus iste Codex novo conjungeretur, qui non eo nomine compositus fuit, ut antiquam, sed tantum ut præsentem, Ecclesiæ disciplinam exhiberet, eam scilicet quæ a Conciliis nuper celebratis constituta est.' Contra hæc autem Observator multa excepit, paucis discutienda. *Primo*, inquit, *pro concesso et pro vero sibi sumit quod nos negamus, nempe antiquissimam esse Canonum Apostolicorum collectionem, quam Codicem Canonum Ecclesiæ primitivæ nuncupare amat, etiamsi tantam illius vetustatem nondum probaverit.* Respondeo primo, me nihil pro concesso aut vero mihi sumptis, nisi quod ibi probatum, et hic ab omnibus Observatoris exceptionibus vindicatum dedimus. Et præterea, hoc in loco non de antiquitate horum Canonum disputamus, sed de ratione, quare Codici Canonum Ecclesiæ universæ non sunt inserti. Quæ cum sit alia plane quæstio, de ea ex supposita eorum antiquitate disputare licet. Dallæus enim hosce

Observat. [in Annot. Bev. cap. vii.] p. 39.

Canones non adeo antiquos esse ex eo probare nititur, quod non sunt Codici Canonum Ecclesiæ universæ inserti. Nosque propterea juxta legitimas disputandi regulas ei reposuimus, non necesse esse, ut isti Codici insererentur, etiamsi adeo antiqui essent, ut nos contendimus. Imo eo quod adeo antiqui essent, novo isti Codici non inserendi erant. *Secundo*, inquit, *æque falsum est, quod innuit, Canones videlicet Apostolicos ad Ecclesiæ disciplinam Synodo Nicæna antiquiorem spectare tantum. Plures tamen ex istis Canonibus ad disciplinam, quæ longe post Concilium Nicænum in Ecclesia obtinebat, pertinere non dubitabit, qui eos accurate legerit.* Sed quare tot usus est verbis, cum uno hæc omnia complecti potuit, dicendo, Mentiris? Si ipse quidem ei ita responderem, ut ille mihi, hoc modo disputarem, *Æque falsum est, quodcunque in secunda hac exceptione affirmat Observator.* Sed vereor, ne si ipse ita disputarem, risum lectori moverem, eidemque ludibrio haberer. Veruntamen ingenue fateor me non videre, quo demum modo huic exceptioni aliter respondeam, quippe qua nihil aliud objicit, quam id de quo quæritur falsum esse. Quod enim postea addit, plures ex illis Canonibus ad disciplinam, quæ longe post Concilium Nicænum obtinebat, pertinere, neminemque de eo dubitare posse, qui eos accurate legerit, ejusdem prorsus farinae est ac prius. Hoc enim affirmat, et affirmanti credendum est. E pluribus enim, quos memorat, nec unum producit Canonem Apostolicum, qui tantum ad Ecclesiæ post Nicænum Concilium disciplinam pertinet. Nosque contrarium proximo libro ostensuri sumus. Hac itaque novi generis exceptione anonymo suo auctori relicta, ad proximam transeamus.

Tertio, inquit, *nulla igitur afferri potest idonea causa, ob quam Codici Canonum Ecclesiæ universæ inserti sunt Canones Ancyrani et Neocæsarienses, Apostolici nequaquam, præter istam, quod scilicet nondum conficti erant Canones Pseudapostolici, et in unum corpus collecti.* Primo intuitu patet, hanc exceptionem nihil esse quam consequentiam sive illationem a præcedente. Ibi scilicet pronunciauerat falsum esse, quod nos asserimus, Canones Apostolicos veteris Ecclesiæ disciplinam exhibere, et ex eo a se pronunciato hic concludit, nullam idoneam afferri posse causam, quare Canones Apostolici Codici Canonum Ecclesiæ universæ non

[Observat. in Annot. Bev. cap. vii.] pp. 39, 40.

[Ibid. p. 40.]

sunt inserti, nisi quod nondum conficti erant. Quænam, amabo, hæc est consequentia? Nos asserimus Canones Apostolicos primitivæ Ecclesiæ disciplinam ante Concilium Nicænum observatam continere, hancque idoneam esse causam, quare novo Codici non sunt inserti. Observator autem illud negat, et ex nuda ipsius negatione infert, non modo hanc non esse, sed et nullam omnino esse, nec adferri posse, idoneam causam, quare hi, æque ac alii Canones, novo Codici non sunt inserti, nisi quod nondum conficti essent. Si hoc sane modo argumentari liceat, nullus erit disputandi finis, neque etiam fructus. Sed videamus, annon primariam exceptionem in ultimum locum reservavit. *Denique*, inquit, *si collectores Canonum Ecclesiæ universæ collectioni suæ inserere noluisse hunc ‘Canonum Ecclesiæ primitivæ Codicem,’ ut illum indigitat Beveregius, vel, ut loquitur Albaspinæus, ‘Hoc breviarium ac epitomen ecclesiasticorum ante Nicænam Synodum apud Græcos decretorum,’⁴ alicubi saltem honorificam illius mentionem erant facturi, ne adeo venerandum antiquitatis ecclesiasticæ monumentum ab illis contemptum videretur. Quod cum nullibi fecerint, certo certius est iis prorsus incognitam fuisse hanc Canonum Apostolicorum syllogen. Quid vero hic audimus? Collectores Canonum Ecclesiæ universæ Apostolicorum etiam mentionem facturos esse, si eos cognitos habuissent? Ubi, quæso, Patris ullius, vel Synodi vel Canonis cujuscunque mentionem faciunt, præterquam eorum, quos ipsi collegerunt? Nemo oculos in Codicem istum conjiciat, quin statim videbit, primos illius collectores nihil sibi constituisse, nisi ut eos solos in unum corpus Canones compingerent, qui quarto currente seculo post discussas persecutionum nebulas ob Orientali Ecclesia constituti sunt. Quo factum est, ut primo quidem soli Canones Nicæni, Ancyrani, Neocæsarienses, Gangreni, Antiocheni, et Laodiceni ab illis collecti sunt: quibus postea Canones Constantinopolitani, a secundo scilicet universali Concilio editi, subjuncti sunt, et deinceps alii ab aliis. Per totam autem collectionem Canones, ordine quisque suo,*

[Observat. in
Annot. Bev.
cap. vii.] p.
48.

⁴ [“ Quod efficit, ut credam id esse verissimum, quod ante dixi, Canones istos nihil esse, quam breviarium et epitomem privatorum Conciliorum, et

rerum ab Episcopis privatis sancitarum, qui Ecclesias Græcas ante Concilium Nicænum administrarunt.”—Albas. Obs. lib. i. cap. 13, pp. 88, 89.]

nude proponuntur, nec ulla prorsus aliorum quorumcunque Canonum facta est mentio, nec fieri potuit sine manifesta ac absurda a proposito digressione. Qua itaque ratione, quo Codicis loco, Apostolicorum mentio induci potuit? Ex eo tamen, quod hoc non factum est, quod sine inepta excursione nequaquam fieri potuit, rotunde pronunciat Observator, certo certius esse primis Codicis collectoribus prorsus incognitam fuisse Canonum Apostolicorum syllogen. Quod si hæc sit certa certior ex istis præmissis consequentia, non opus est in posterum de argumentis laboremus, modo conclusionem, qualiscunque fuerit, confidenter satis inferamus.

VI. Denique hanc nostram Canonum Apostolicorum a Dallæana ista objectione defensionem illustravimus exemplo Codicis Canonum Ecclesiæ Africanæ, utpote cui nullum e decretis, quæ sub Cypriano, et ab antiquioribus Africæ Conciliis edita fuerant, insertum est, sed ea sola, quibus ecclesiastica disciplina eo, quo collectus est iste Codex, tempore, administrabatur; etiamsi, juxta hoc Dallæi argumentum, ea omnia, et quidem primo in loco, ob venerabilem eorum antiquitatem poni debuissent. Ad hæc Observator, *Forte, inquit, imo contrarium plane liquet ex Epistolis Cypriani, in quibus cernere est eadem adversus transmarinas appellationes decreta, quæ in Codice leguntur Africano*. Respondeo primo, nihil prorsus in D. Cypriani Epistolis de transmarinis appellationibus haberi. Dicit tantum in Epistola LV. [Pamel. LIX. Fell.], quæ est ad Cornelium de Fortunato et Felicissimo, *Nam cum statutum sit omnibus nobis et æquum sit pariter ac justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur ubi est crimen admissum, et singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque et gubernet, rationem sui actus Domino redditurus; oportet utique eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem sua subdola et fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam, ubi et accusatores habere et testes sui criminis possint*. Nihil hic, ut videre est, de transmarinis appellationibus, de quibus agitur in Codice Africano Can. XXXI., al. XXVIII., neque omnino de appellationibus loquitur sanctus Pater, quemadmodum et ipse D. Chamierus observat, probatque.⁵ Ubi itaque nihil

[Præf. ad Annot. in Can. Ap. sect. xix. Annot. in Pan. Can. p. 6, tom. II. ad fin.]

Observat. [in Annot. Bev. cap. vii.] p. 40.

[Cypr. Ep. p. 136.]

[Just. Bib. J. C. tom. I. p. 344, et Conc. tom. II. col. 1064, B.] De (Ecum. Pontifice, lib. II. cap. 3, pp. 239, 240.)

⁵ [" Horum (Patrum) primus locus Fell.], ad Cornelium Episcopum Ro- esto, ex Cypriani epistola lv. [lix. manum. . . . Ex quo loco duplex

de appellationibus, nedum de transmarinis, dicitur, quomodo eadem adversus transmarinas appellationes decreta inveniantur, quæ in Codice leguntur Africano? Quinetiam si hoc, quod falsum est, Observatori demus, nihil ex eo proficiet. Etenim si ex eo, quod in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ nonnulla istiusmodi decreta inveniantur, quæ D. Cypriani temporibus statuta fuerant, antiqua ista decreta dicto Codici inserta dicantur; eodem jure nos maximam Canonum Apostolicorum partem Codici Canonum Ecclesiæ universæ insertam fuisse dicamus. Eadem enim, quæ in plerisque Canonibus Apostolorum decernuntur, in istius etiam Codicis Canonibus decreta habemus. Quod si ex hoc non sequatur Canones Apostolicos dicto Codici insertos esse, neque etiam antiqua Ecclesiæ Africanæ decreta Codici Afri-

argumentum ducitur; Primum, Si singulis pastoribus portio gregis est adscripta, ergo nulli totus grex. . . . Alterum, Si singuli pastores sic regunt gregem, ut sui actus rationem Domino sunt reddituri; ergo nullus est, qui ab aliis eam rationem exigendi jus habeat; ac proinde nullus est Œcumenicus Pontifex. . . . Est autem notandus Cypriani scopus in ea epistola, ex historia ejus negotii, quod tractat. Nonnulli schismatici, in Africa condemnati et abstanti, Romam navigaverant ad Cornelium, vel sui purgandi, vel Cypriani accusandi gratia. Hoc factum acriter accusat Cyprianus, cum aliis argumentis, de quibus aliis, tum his duobus, quæ jam attigimus; ut satis diserte innuat non teneri Episcopos Africanos suorum judiciorum rationem reddere Romano Pontifici, ex hoc generali axiomate, '*Quia singulis episcopis portio gregis sit adscripta, quam regat quisque, sui actus rationem Deo redditurus*;' quasi diceret, Romanum Episcopum suam habere ditionem, Africanos item suam; et quemadmodum Africanis non licebat regere transmarinas ecclesias, sic nec Romano Africanas." —Chamier. de Œcum. Pontif. lib. ii. cap. 3, pp. 239, 240.

"Diserte ab antiquis reprobantur appellationes ad Romanum pontificem, quod constat ex gravissimis testimoniis. Primum est Cypriani Epistola Iv. [Iix. Fell.], quæ est ad Cornelium de Fortunato et Felicissimo, qui in Africa condemnati Romam confugerant. . . . Hæc Cyprianus, prorsus reprehendens Fortunatum et Felicissimum, quod post Africanum judicium Romam essent profecti, his pugnans argumentis. Primo, quia uniuscujusque causa illic est audienda, ubi crimen est admissum; unde sequitur non alios Romæ judicandos, quam qui Romæ crimen admisissent; et tam non posse Romæ eos judicari, qui in Africa, quam in Africa, qui Romæ deliquissent. Secundo, quod singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regant actus sui rationem Deo reddituri; ut non magis possit Romanum judicium retractare Episcopi Carthaginensis, quam hic illius; aut non magis liceat Cornelio in eam gregis portionem, quæ esset assignata Cypriano, quam huic in eam, quæ esset adscripta Cornelio," &c.—Chamier. de Œcum. Pont. lib. vi. cap. 1, pp. 812, 813; qui Bellarminum et Pamelium paginis sequentibus fusissime refutat.]

cano inserta esse ex eo sequatur, quod similia ibi decreta exsistent. Sed, *Præterea*, inquit, *verisimile est, plura istiusmodi decreta suo Codici inserturos esse Patres Africanos, si in prædecessorum scriptis frequentiora occurrissent, vel si exstisset in Ecclesiis Africanis Codex alius vetustior, eum commemorare dubio procul illos non piguisset.* Nimirum ac si Patres Africani, qui Codicem Canonum Ecclesiæ suæ condiderunt, nulla habuissent majorum suorum scripta aut commentaria, e quibus veterem Ecclesiæ suæ disciplinam elicere potuerunt. Ipse tamen Observator diffiteri nequit D. Cypriani opera iis cognita fuisse. Ibi autem plura commemorantur Concilia ejus temporibus et ante celebrata, quæ ecclesiastica decreta ediderunt. E quibus tamen omnibus Observator nec unum nominare potuit, quod Codici Africano insertum est. Unde etiam habuit Observator, nullum exstitisse in Ecclesiis Africanis Codicem Canonum illo vetustiore, quem hodie habemus? An verisimile ei visum est, istas Ecclesias quatuor fere seculorum spatio sine Canonibus sive decretis ecclesiasticis administratas fuisse? vel Canones illos in corpus unum sive Codicem nunquam collectos esse? Ita quidem ei visum est, idque hac ratione, quod si talis antiquior exstisset Codex, Patres, qui posteriorem composuerunt Codicem, istum commemorare proculdubio non piguisset. Ut nihil autem fidei magis absonum et incredibile esse potest, quam tantam tamque celebrem Ecclesiam, quanta qualisque fuit Africana, nullam habuisse Canonum collectionem juxta quam administrabatur, ante quintum inceptum seculum, quo Codex vulgaris conditus fuit; ita nulla etiam causa fuit, quare posterioris hujus Codicis conditores prioris istius uspiam mentionem facerent. Utpote quibus istos solos Canones, qui sub Aurelio Carthaginiensi Episcopo sanciti sunt, memorare ac colligere statutum fuit: ut ex ipsa collectione patet, cui nulli prorsus Canones inseruntur præter eos, qui sub isto Episcopo constituti sunt. Quod quidem nostræ de Canonibus Apostolicis sententiæ multum lucis affert, Dallæanam vero contra eam objectionem penitus refellit. Enimvero Codex Canonum Ecclesiæ universæ iisdem fere diebus compositus fuit, ac Codex Canonum Ecclesiæ Africanæ, qui a Concilio Car-

[Observat. in
Annot. Bev.
cap. vii. pp.
40, 41.]

thaginiensi, anno Dom. CCCCXIX. habito, probatus primo et confirmatus fuit. Cum ergo Codici Canonum Ecclesiæ Africanæ antiquiores istius Ecclesiæ Canones, secundo tertioque seculo editi, non inserti sunt; mirum nemini videatur, quod Canones Apostolici a primitivis Synodis sanciti, in Codicem Canonum Ecclesiæ universæ non collecti fuerunt. Eadem enim ratio utrobique valet, nimirum quod primi utriusque Codicis conditores, eos solos, qui paucis ante annis conditi fuerant, Canones colligere apud se constituebant, non item eos, qui primis Christianismi seculis, cum diræ adhuc persecutiones grassabantur, editi fuerunt.

VII. Porro Dallæus Canonum Apostolicorum antiquitatem oppugnans ait, *Tum si quis exstisset hujusmodi Codex, cur nunquam eum diserte ac nominatim memorant Ancyrani, Nicæni, Neocæsarienses, Antiocheni aliique Patres?* Ad hæc in Annotationibus respondi, primo Codicem Canonum Ecclesiæ universæ collectum fuisse ante Concilium Ephesinum, sive tertium Œcumenicum, a quo tamen nusquam memoratur: ut autem dictum Codicem tunc temporis non exstissem ex eo non sequatur, quod ab isto Concilio non laudetur; sic etiam Codicem Canonum Ecclesiæ primitivæ ante Nicænam, Ancyranam, et reliquas istis diebus celebratas Synodos non exstissem, nequaquam ex eo sequitur, quod ab istis nominatim non citetur. Et ipse quidem Observator fatetur, minime exinde sequi Codicem Canonum Ecclesiæ universæ ante Concilium Ephesinum non exstissem, quod ab eo non memoratur, sed *sequetur saltem*, inquit, *vel adhuc incognitum esse, vel nullam illius memorandi se obtulisse occasionem.* Codicem vero istum adhuc incognitum fuisse nequitiam exinde sequitur. Nam multi proculdubio Codices Synodi Ephesinæ tempore cogniti fuerunt, qui nullibi ab eâ memorantur. Restat itaque, ut nulla istius memorandi Codicis occasio se obtulerit. Quod quidem et de Codice Canonum Ecclesiæ primitivæ, aliarum respectu Synodorum, dici potest: quod propterea scilicet diserte ac nominatim ab iis non memoratus fuit, quoniam nulla eum ita memorandi occasio se obtulerit. Nos alia satis multa eodem in loco, contra istam Dallæi objectionem excepimus, quibus cum Observator nullum responsum dederit, nihil est, quod

[Dall. de Pseud. lib. iii. cap. 21. p. 673.]

[Præf. ad Annot. in Cann. Ap. sect. xx. Annot. in Pan. Can. p. 6. tom. II. ad fin.]

[Observat. in Annot. Bev. cap. viii.] p. 41.

[Præf. ad Annot. in Cann. Ap. sect. xx. p. 6.]

nos in iis vindicandis aut confirmandis immoremur. Præsertim cum idem Dallæi, vel ejusmodi saltem, argumentum ante a nobis discussum sit.

VIII. Dallæus autem idem argumentum prosecutus est, interrogando, *Cur non interdum aliquem ex istius Codicis Canonibus indicato ac nominato numero, sub quo in eo positus exstet, citarunt, ac laudarunt? Verbi gratia, hoc modo, Decernit Canon Apostolorum primus, vel tricesimus, vel quinquagesimus, etc. Sicuti a Patribus Chalcedonensibus in Codice Ecclesiæ universalis usurpatum est.* Interrogativo huic argumento nos in Annotationibus id genus responsum dedimus, interrogantes itidem primo: ‘ Si Codex Canonum Ecclesiæ universæ ante Concilium Ephesinum collectus fuit (quod omnes fatentur) cur nec ab isto Concilio, nec ab alio quovis ante Chalcedonense, aliqui ex eo Canones indicato ac nominato numero citantur?’ Huic primo responso Observator nihil reposuit, nisi se diluisse, quæ de Concilio Ephesino diximus. [Dall. de Pseud. lib. III. cap. 21, p. 673.]

Ubi autem ea diluit? ubi scilicet verbis paulo ante citatis dixerat, ex eo, quod Codex Ecclesiæ universæ a Concilio Nicæno non citatur, *Sequi saltem eum adhuc incognitum fuisse, vel nullam illius memorandi occasionem se obtulisse.* Hæccine autem responsio est ad præsentem quæstionem? Nos, Dallæana argumentandi formula utentes, interrogavimus, cur Codex Canonum Ecclesiæ universalis a nullo ante Concilium Chalcedonense sub indicatis Canonum numeris citatus fuit? Huic quæstioni directe respondeat Observator, et Dallæanæ simul respondebit. [Præf. ad Annot. in Cann. Ap. sect. XXI. p. 6.]

Quæcunque enim assignari potest causa, quare nullum, ante Chalcedonense Concilium, Codicem Canonum Ecclesiæ universæ ita citavit, eadem et hic valebit, atque in Dallæum retorqueri poterit, interrogantem cur nullus ex Apostolicis Canonibus ab antiquis Synodis sub indicato ac nominato numero laudatus fuit? Præterea interrogavimus; ‘ Quid si Patres Chalcedonenses dictum Codicem nusquam ita laudassent? Hocce argumento esset, eum tunc temporis non exstitisse? Quid etiam si Acta Concilii Chalcedonensis periissent? Istum quoque Codicem una periisse necesse est? Sane nec Concilium Chalcedonense supradictum Codicem Canonum Ecclesiæ universæ in Canonibus, sed tantum in Actis, ita laudavit. Nihil autem e Conciliis Ancyrano, Neocæsariensi, [Observat. in Annot. Bev. cap. VIII. pp. 42.]

[Ibid. p. 41.]

Quæcunque enim assignari potest causa, quare nullum, ante Chalcedonense Concilium, Codicem Canonum Ecclesiæ universæ ita citavit, eadem et hic valebit, atque in Dallæum retorqueri poterit, interrogantem cur nullus ex Apostolicis Canonibus ab antiquis Synodis sub indicato ac nominato numero laudatus fuit? Præterea interrogavimus; ‘ Quid si Patres Chalcedonenses dictum Codicem nusquam ita laudassent? Hocce argumento esset, eum tunc temporis non exstitisse? Quid etiam si Acta Concilii Chalcedonensis periissent? Istum quoque Codicem una periisse necesse est? Sane nec Concilium Chalcedonense supradictum Codicem Canonum Ecclesiæ universæ in Canonibus, sed tantum in Actis, ita laudavit. Nihil autem e Conciliis Ancyrano, Neocæsariensi, [Præf. ad Annot. ut supra.]

Quæcunque enim assignari potest causa, quare nullum, ante Chalcedonense Concilium, Codicem Canonum Ecclesiæ universæ ita citavit, eadem et hic valebit, atque in Dallæum retorqueri poterit, interrogantem cur nullus ex Apostolicis Canonibus ab antiquis Synodis sub indicato ac nominato numero laudatus fuit? Præterea interrogavimus; ‘ Quid si Patres Chalcedonenses dictum Codicem nusquam ita laudassent? Hocce argumento esset, eum tunc temporis non exstitisse? Quid etiam si Acta Concilii Chalcedonensis periissent? Istum quoque Codicem una periisse necesse est? Sane nec Concilium Chalcedonense supradictum Codicem Canonum Ecclesiæ universæ in Canonibus, sed tantum in Actis, ita laudavit. Nihil autem e Conciliis Ancyrano, Neocæsariensi,

Antiocheno, etc. hodie fere exstat præter Canones, in quibus Canones Ecclesiæ primitivæ sub indicato cujusque numero æque citantur, ac Ecclesiæ universæ in Chalcedonensibus.'

Observat. [in Annot. Bev. cap. viii.] pp. 42, 43.

Ad hæc respondet Observator, dicens, *Hæc ambigue dicuntur, quandoquidem [enim] ex concessione Codex Canonum Ecclesiæ universæ ante Concilium Chalcedonense compositus est, ex Concilii silentio non sequeretur quidem tunc temporis non existisse Codicem illum, at saltem vel Patribus incognitum fuisse, vel nullam illis datam fuisse eum memorandi occasionem. Canonum autem Apostolicorum syllogen quod spectat, a Nicænis, Ancyranis, Neocæsariensibus, Gangrensis, Antiochenis, Laodicensis, Constantinopolitanis, Ephesinis, et Chalcedonensibus nunquam diserte ac nominatim memorantur, etiamsi pluries eam memorandi occurrerit occasio. Unde sequitur necessario, vel non conflata esse, vel saltem in latebris delituisse, adeo ut penitus incognita fuerit.* Hic sibi ipse respondet Observator.

Fatetur enim ex Concilii Chalcedonensis, de Codice Canonum Ecclesiæ universæ, silentio non sequi istum Codicem tunc temporis non existisse. Eadem itaque ratione Codicem Canonum Ecclesiæ primitivæ antea non existisse ex eo nequaquam sequitur, quod in antiquioribus Conciliis altum sit de eo silentium. Quod autem ait, Codicem Ecclesiæ universæ ex concessione ante Concilium Chalcedonense compositum esse, id quidem verum est, et utrinque conceditur. Sed quare utrinque conceditur? Annon ex eo quod Codex iste a dicto Concilio memoratur? Si itaque Concilium Chalcedonense Codicem illum ita nominatim non memorasset, Dallæus idem prorsus argumentum contra istum habuisset, quod nunc contra Canonum Apostolicorum Codicem profert. Eadem enim ratio utrobique valeret. Sed addit Observator, quod ex Concilii Chalcedonensis silentio

[Ibid. p. 43.]

sequeretur saltem istum Codicem Patribus incognitum esse, vel nullam iis datam fuisse eum memorandi occasionem. Prius nequaquam exinde sequitur, plures enim iis cogniti fuerunt libri, qui nusquam a Patribus istis memorantur. Nec posterius. Si omnes enim, quorum memorandi ulla illis data est occasio, ab iis memorati fuissent libri, multo plures haud dubie citassent, quam ab illis citatos fuisse constat. Et præterea, si ex isto Concilii silentio sequeretur nullam Codicem istum memorandi occasionem oblatam esse, idem etiam ex

aliorum Conciliorum de Canonibus Apostolicis silentio sequetur. Adeo ut necessario confiteri debeat, hoc Dallæi argumentum contra Canonum Ecclesiæ universæ æque ac primitivæ Codicem valuisse, si vel Concilium Chalcedonense eum non memorasset, vel Acta, quibus memoratur, periissent. Sed *Canones*, inquit, *Apostolici a Nicænis, Ancyranis, Neocæsariensibus, Gangrensibus, Antiochenis, Laodicensis, Constantinopolitanis, Ephesinis, et Chalcedonensibus nusquam diserte ac nominatim memorantur, etiamsi pluries eos memorandi occurrerit occasio.* Hoc autem affirmanti nulla debetur fides, priusquam ostendit, ubi hisce Conciliis Canones Apostolicos isthoc, quem requirit, Dallæus modo memorandi oblata est occasio; in Actis, an in Canonibus quos ediderunt? Si de Actis loquatur, ubi sunt? Nemo nescit omnium horum Conciliorum, quæ enumerat, usque ad Ephesinum, Acta jamdudum periisse. Et in Actis quidem Concilii Ephesini nulla Canonum Ecclesiæ universæ, nedum primitivæ, isthoc modo memorandi oblata est occasio. In Canonibus autem non insolens modo et insuetum, sed et absurdum et perridiculum esset, si antiquiores Canones sub indicato et nominato, quem in antiquo Codice obtinebant, numero recitarentur. Quod si de nuda eorum citatione intelligi voluit, scrupuloso Dallæi argumento non adhæret, quippe quo exigitur, ut ipse etiam locus, quo Canon quisque citatus ponitur, nominatim indicaretur, hoc est, ut hi Canones, aliter atque omnes omnino alii ante Concilium Chalcedonense, citarentur, ut fusius ante ostendimus. Et præterea, si de nuda loquatur citatione, isthoc modo Codex Canonum Ecclesiæ primitivæ, in Nicænis, Antiochenis aliisque Canonibus æque diserte citatur, atque Ecclesiæ universæ in Chalcedonensibus, ut e testimoniis illis, quæ ante adduximus, et ab Observatoris pariter atque Dallæi objectionibus vindicavimus, omnibus apertum est. Adhæc in Annotationibus diximus, ‘Quod si Acta dictorum Conciliorum non minus quam Chalcedonensis etiamnum exstarent, in iis forsitan antiquissimum hunc Codicem, indicato ac nominato Canonum numero, laudatum inveniremus, non secus ac Canones Ecclesiæ universæ in Actis Chalcedonensibus.’ Contra hæc Observator sic disputat, *Profecto si sic argumentari liceat, nihil certi remanebit in antiquitatis ecclesiasticæ*

[Observat. in Annot. Bev. cap. viii. p. 43.]

[Præf. ad Annot. in Can. Ap. sect. xxi. pp. 6, 7.]

[Observat. in Annot. Bev. cap. viii. p. 44.]

monumentis. *Omnia siquidem voce 'forsitan' incerta reddes, nec ubi consistas habebis. Scilicet disertius se victum fateri non poterat Beveregius, quam ita argumentando.* Nihil fateor certi ex hujusmodi argumento elici potest, cujus etiam fundamentum est incertum, ut quod supponitur tantum, non datur. Neque ipse tanquam argumento usus sum. Dallæi enim objectioni satis superque ante responderam. Hæc autem eo tantum nomine adjei, ut aliis hujusmodi incertis adversariorum exceptionibus occurrerem. Cum nihil enim apertius esse possit, quam Canones Ecclesiæ universæ non in Canonibus sed tantum in Actis Concilii Chalcedonensis eo, quem requirit Dallæus, modo, indicato scilicet ac nominato eorum numero, laudari, nihil valeat Dallæi contra Canones Apostolicos argumentum ex eo petatum, nisi eos nec in superiorum Conciliorum Actis isthoc modo memoratos esse ostendat. Quod si ista, ut dixi, exstarent Acta, incertum est, annon nostræ potius quam ejus opinioni faverent. In iis enim antiquos hosce Canones isthoc etiam modo laudatos, non secus ac Canones Ecclesiæ universæ in Actis Chalcedonensibus, forsitan inveniremus. Et merito quidem dubitandi particulam 'forsitan' hic inseruimus, ut incerti pendentes, utrum hi Canones eo uspiam modo ab antiquis Patribus citati fuerint; quandoquidem nullos omnino Canones ita ab iis citatos ante Concilium Chalcedonense invenimus. Adeo ut iniquissime cum Canonibus Apostolicis agant isti, qui veram iis antiquitatem eo denegant, quod illos nullibi antiquitus, indicato ac nominato eorum numero, adeoque secus atque omnes alios Canones librosque laudatos legimus. Qua autem ratione triumphum hic ageret Observator, meque meo ipsius ore victum affirmaret, non video. Licet enim tota hæc pericope ommissa fuisset, firma nihilominus stabilisque maneret nostra ad Dallæanam objectionem responsio. Et quidem si qui conjecturis et incertis subinde hypothesibus utuntur, victi propterea dicantur, Dallæus et Observator, velint, nolint, se victos fateri necesse habent; quippe quorum omnia hujusmodi sunt argumenta, quæ nihil certi probant, sed innuunt tantummodo rem ita forsitan se habere posse, ut ipsi opinantur. Omnium enim, quibus contra Canonum Apostolicorum antiquitatem pugnant, argumentorum summa huc fere redit, quod hi Canones in nullis,

quæ exstant, veterum monumentis ante quintum adultum seculum eo, quo Canones Ecclesiæ universæ in Actis Concilii Chalcedonensis, modo citantur. Quid autem certi exinde concludi potest? Quid magis quam ergo forsitan nec in iis, quæ interciderunt, ita citati sunt? vel ergo forsitan Patribus incogniti fuerunt, ut qui eos ita forsitan citare voluerant, si eos cognovissent? Adeo ut tota eorum disputatio, negativis solis fundata argumentis, nihil aliud sit, quam incertitudinum quarundam et dubiarum hypothesisum congeries. At nos e contra probavimus nequaquam necessarium esse, ut hi Canones isthoc modo citarentur, eosque longe ante quintum adultum seculum exstitisse, ex affirmativis, quorum unum omnibus negativis præponderat argumentis, certissime, nec semel Observatoris occurrendo exceptionibus, evicimus.

CAPUT XVII.

Synopsis.

- I. *Ex eo quod Eusebius et Hieronymus horum Canonum non meminerunt, nihil contra eorum antiquitatem concludi posse exinde evincitur, quod nec alios antiquos Canones memorarunt.*
- II. *Canones Apostolici post Synodum Nicænam in desuetudinem abire cœperunt, aliis eorum loco substitutis. Ita tamen ut illorum memoria non penitus interciderit.*
- III. *Hi Canones antiquitus Ecclesiastici sæpius vocati sunt.*
- IV. *Primi eorum conditores in animo non habuerunt, ut hi Canones ab ipsis Apostolis sanciti crederentur. Canones XXIX., L., LXXXII., et LXXXV., quibus Apostolorum nomen subindicatur, corruptos ac interpolatos esse ostenditur.*
- V. *Quatuor illegitimis, quas Observator e præmissis suis infert, consequentiis breviter respondetur.*
- VI. *Libri primi epilogus.*

I. ΠΟΤΗÆC Observator nostras contra Gelasii decretum a Dallæo adductum exceptiones a se, adversus doctissimum Pearsonium disputante, eversas esse asseverat. Quæ vero contra eas ibi protulit nos etiam, quantum ad rem nostram spectat, ante excussimus. Quibus propterea hic prætermissis, videamus quibus rationibus Observator Dallæanam contra nostras exceptiones opinionem tuetur. Dallæus nimirum Canonum Apostolicorum collectionem neque ante quintum adultum seculum innotuisse, et quinto exeunte jam existisse, publicarique cœptam esse affirmat. Prius, ut dicit, demonstratur ex universali omnium, qui ante an. Dom. CCCCLI. vixerunt, de ea silentio. *Neque enim credibile est, inquit, nullam ejus mentionem, si existisset, facturos fuisse Eusebium, Hieronymum, et alios illorum temporum eruditissimos scriptores, qui etiam ea, quæ Apocrypha judicabant, præcipue quæ*

[Observat. in Annot. Bev. cap. viii. p. 44.]

[Cap. ix. sect. 6, p. 103-106.]

[De Pseud. lib. iii. cap. 21, p. 686.]

Apostolis afficta erant, diligenter persequi et refellere solent.

Ad hæc respondi primo, falsum esse, quod hic pro concesso sibi assumit Dallæus, omnes nimirum, qui ante an. Dom. CCCCLI. vixerunt, de hac collectione siluisse, multo magis eum hoc abunde demonstrasse, ut ex iis apparet, quæ superius disputavimus. Observator e contra nihil aliud reponit, quam se argumenta nostra excussisse et refellisse. Cum omnes autem ejus excussiones a nobis antea excussæ sint, non opus est hic denuo discutiantur. Nos porro isti nostræ responsioni addidimus, quod ‘ si illud verum esset, minime probaret, nedum demonstraret, hos Canones ante an. Dom. CCCCLI. non exstitisse: neque enim Eusebius, nec Hieronymus, nec alii, quos scimus, ejusdem cum utrovis ætatis scriptores Canones Ancyranos aut Neocæsarienses commemorarunt, quos tamen ante dictum annum constitutos esse ac divulgatos inter omnes convenit.’ Ad hæc Observator, *Si res, inquit, ut par est, perpendisset [eruditus] Beveregius, non ita argumentatus esset. Ingens siquidem est discrimen. Non enim paria sunt, quæ de Canonibus Ancyranis et Neocæsariensibus observat, cum iis, quæ observat Dallæus de Apostolicis. Si Ancyrani et Neocæsarienses Canones, Eusebii, vel Hieronymi, aliorumque illorum temporum scriptorum ætate, publico cuidam Canonum Ecclesiæ Codici inserti fuissent, non dubitandum, quin ab illis essent commemorandi; saltem Codicis, cui inserti sunt, aliquam fecissent mentionem. At nondum in Codicem Canonum Ecclesiæ universæ relati erant. Non mirum igitur, si Canonum istorum, qui in localibus et particularibus Synodis sanciti erant, et qui ad paucorum adhuc notitiam pervenerunt, non meminerunt. Verum alia fuit Canonum Apostolicorum sors atque fortuna. Tota hæc disputatio eo nititur, quod Canones Ancyrani et Neocæsarienses nulli publico Codici inserti fuerunt Eusebii et Hieronymi diebus. Quod quidem de Eusebii ætate conceditur. Incertum autem est, annon Hieronymi, qui non multis ante Concilium Ephesinum annis obiit, diebus Codici Ecclesiæ universæ inserti fuerint. Verum haud multum refert, quo anno in publicum istum Ecclesiæ Codicem collecti sunt; cum eos utriusque, et Eusebii scilicet, et Hieronymi, ætate sancitos fuisse ac divulgatos extra dubium sit, ac propterea causa dici non potest, quare illi, æque ac Apostolici Canones, ab iis non*

[Præf. ad Annot. in Cann. Ap. sect. xxiii. Annot. ad Pan. Can. p. 7.]

[Observat. in Annot. Bev. cap. ix. p. 46.]

[Præf. ad Annot. in Can. Ap. ut supra.]

Observat. [in Annot. Bev. cap. ix.] pp. 46, 47.

laudarentur. Cum autem et illos non memorarint, nullum contra Canones Apostolicos ex eo formari potest argumentum, quod ab iis non memorati fuerunt. Enimvero et illi, et alii, quicumque isto claruerunt seculo, scriptores, Ecclesiasticos quosvis Canones perraro commemorarunt, Codicem Canonum Ecclesiæ universæ nunquam, neque ullos cujusvis Concilii Canones, nisi forsitan Nicænos subinde, ob summam istius Concilii in Ecclesia auctoritatem. Si quos autem ecclesiasticos uspiam Canones citarunt, ad nullum, quem scimus, alium, nisi ad Apostolicum Codicem, referri possunt, ut ante demonstravimus. Quamvis igitur Eusebius, Hieronymus, aliique fortasse nonnulli istorum temporum scriptores nullam Canonum Apostolicorum mentionem fecissent, hoc non magis probat eos tunc temporis non existisse, quam nullos omnino existisse, quos illi non memorarunt. Ex eo autem quod nos asseruimus, Canones Apostolicos ante Synodum Nicænam in unum corpus collectos fuisse, et Codicem Canonum Ecclesiæ primitivæ constituisse, Observator sic infert, *Quomodo ergo fieri potuit, ut Eusebium, Hieronymum, aliosque ejusdem ætatis eruditissimos scriptores latuerit adeo venerandum sua vetustate monumentum. Quomodo? facillime. Quid enim facilius etiam eruditissimis viris quam aliquid ignorare? Quis ante Observatorem unquam asseruit, quis post eum unquam asserturus est, nullum Ecclesiæ primitivæ monumentum Eusebium et Hieronymum latere potuisse? Qua vero ratione probat ille antiquum hunc Canonum Apostolicorum Codicem iis incognitum fuisse? En. Nam, inquit, si cognitus illis fuisset istiusmodi Codex, illos alicubi eum memoraturos esse, est plusquam verisimile. Ex eo autem quod nullibi id præstiterint, legitime colliges nullum tunc dierum existisse talem Codicem. Itane vero? An verisimile, an plusquam verisimile est, eos omnes memorasse vel memoraturos esse libros, Canonesque, quos sibi cognitos habebant? Annon Eusebius Canones a Concilio Nicæno, cui interfuit, sancitos probe novit? Dic autem, sodes, quo loco eos memoravit? Quod si nec ipsos Nicænos, omnium celeberrimos, et sua ipsius ætate conditos memoravit, quare aliorum, obsecro, mentionem faceret? Quin imo Canones Apostolicos Eusebio non incognitos fuisse e Constantini M. literis ad eum missis abunde constat, ubi scilicet unus*

[Observat. in Annot. Bev. cap. ix. p. 47.]

Ibid. pp. 47, 48.

ex iis diserte laudatur, ut in testimoniis ferendis ostensum est.

II. Post verba ante citata, Observator hæc habet, *In desuetudinem abiisse istos Canones et alios eorum loco, generalium Synodorum auctoritate, substitutos hariolatur Beveregius. At unde hæc habet? Edat auctorem a quo accepit, et quando nullum profert, neque proferre potest, adeo temerariæ assertionis idoneum testem, exsufflandæ sunt vanissimæ viri docti conjecturæ, quæ a præconcepta opinione et immoderato causæ studio proficiscuntur.* Nimirum ac si solem meridianum lucere affirmanti fides non habeatur, nisi testes etiam ac auctores adeo temerariæ assertionis producat. Annon omnibus clarissime patet, post primam generalem Synodum Nicææ habitam, primas ei partes e vestigio concessas esse, et sanctiones ab ea editas aliis quibuscunque antepositas? Annon ab eo usque tempore facies Ecclesiæ mutata est, et novi propterea Canones ubique constituti et felicioribus istis temporibus accommodati? Annon etiam sanctiones ecclesiasticæ, æque ac civiles, in desuetudinem sponte abeunt, cum novæ earum loco substituuntur? Quid igitur opus est testibus in re adeo perspicua, ut etiam oculis judicare possimus? Primo enim intuitu ecclesiasticam historiam legenti patet, post Concilium Nicææ habitum, imo quidem post Constantinum M. Imperatorem renunciatum, omnia in externa Ecclesiæ politia protinus mutata esse, Concilia in singulis provinciis libere celebrata, et ecclesiasticos ab iis Canones de novo sancitos, et ubique receptos. Quo factum est, ut veteres Canones antiquati propemodum et obsoleti essent, vel nova saltem forma induti et ita retractati, ut alii quam ante essent. Usque adeo, ut si Apostolicos excipiamus ex plurimis illis, qui tribus primis a Christi nativitate seculis sanciti fuerunt Canones, nullos hodie exstantes habeamus, nullos etiam præter Eliberitanos, qui prius constituti sunt, quam Constantinus M. Imperium adeptus est. Unde clarissime elucescit, antiquos Ecclesiæ Canones in desuetudinem abire cœpisse, simul ac publica Ecclesiæ tranquillitas, summa Dei misericordia, concessa est. Sed, *Siccine, inquit Observator, in desuetudinem abierant hi Canones Eusebii ætate, ut eorum memoria penitus interciderit? Eusebii, inquam, qui Synodo interfuit Nicænæ, cujus tempore obtinebat*

Observat. [in Annot. Bev. cap. ix.] p. 48.

[Ibid.] p. 48.

adhuc juxta Beveregii supputationem Codex iste Canonum Ecclesiae primitivæ? Profecto hæc sunt suavia vigilantium somnia. Quid vero? Nihil in desuetudinem abire potest, quin statim memoria ejus penitus intercidat necesse est? Quis unquam hoc asseruit? Quocum hic pugnat Observator, præterquam suo ipsius figmento? Nos veteres hosce Ecclesiae primitivæ Canones Eusebii ac Hieronymi ætate, hoc est quarto currente seculo, in desuetudinem, multis saltem in locis, abiisse, aliosque eorum loco substitutos fuisse affirmavimus, et adhuc affirmamus: nusquam autem diximus, nec dicere potuimus, eos ita in desuetudinem abiisse, ut etiam memoria eorum penitus interciderit. Ipse enim Eusebius, totaque Nicæna, cui ille interfuit, Synodus antiquos hosce Canones memoria adhuc retinebant, suosque ex iis partim conflabant. Frequentem saltem ad eos respectum habuerunt, ut ante demonstratum est. Quid itaque si Eusebius, Hieronymus, aliique istorum temporum scriptores, antiquos hosce et ad veterem Ecclesiae statum pertinentes diserte non memorarunt Canones? Hincine sequetur, eos tunc temporis non exstitisse? vel Patribus illis penitus incognitos fuisse? Istis, inquam, Patribus qui modo novis in ecclesiastica administratione Canonibus utebantur? Profecto, si dulcissima Observatoris verba in ipsum retorqueamus, hæc sunt suavia vigilantium somnia.

III. Ad hanc Dallæi objectionem respondi ultimo, quod ‘etiamsi Eusebius, Hieronymus, aliique eruditissimi scriptores ea, quæ Apocrypha judicabant, præcipue quæ Apostolis afficta erant, diligenter persequi ac refellere consueti sint, non tamen necesse est, ut horum etiam Canonum mentionem facerent. Nam nullus Turrianus, nullus Bovius¹ adhuc exortus erat, qui eos ipsis Apostolis affingebat. Et quid illis opus erat opinionem oppugnare, quæ nullos adhuc propugnatores habebat? vel probare hos Canones Apostolis falso adscriptos esse, cum nemo illud assereret?’ Ad hæc Observator, *Non possum, inquit, satis mirari hæc tanto viro excidisse. Omnem enim culpam in Turrianum et Bovium rejicit, quasi primi hosce Canones Apostolis affinxissent.* Unde,

[Præf. ad Annot. in Can. Ap. sect. xxiii. Annot. in Pan. Can. p. 7.]

[Observat. in Annot. Bev. cap. ix.] p. 49.

¹ [Carolus Bovius, Episcopus Ostunensis, Constitutiones Apostolorum, e Græco in Latinum sermonem a se

translatas, anno MDLXIII. edidit, easque Apostolis auctoribus vindicavit.]

quæso, me omnem culpam in Turrianum et Bovium rejecisse colligis? Unde illos primos hunc Canonum Ecclesiæ primitivæ Codicem Apostolis affinxisse? Ex eo, quod eorum nomina usurpavi, dixique nullos adhuc tales exortos esse, qui Codicem istum ipsis Apostolis affingebant? Hocce idem ac dicere eos primos hoc fecisse? Vix credo. Licet enim illi, ut opinor, primi tanta argumentorum acie illud evincere conati fuerint, plures tamen ante illos eandem atque illi de hisce Canonibus opinionem tenuerant. Imo quidem per mille retro annos hæc constans fere Græcorum sententia fuit. Eo scilicet fundata, quod hos Canones S. Apostolorum nomen præ se ferentes a majoribus suis accepissent. Antiquitus autem, Eusebii saltem et Hieronymi ætate, longe aliter se res habebat. Etiam si enim nonnunquam S. Apostolorum et Apostolici Canones nuncupati essent, ob venerandam scilicet eorum antiquitatem, quodque a viris Apostolicis editi fuerant, frequentius tamen simpliciter Canones, vel Canones ecclesiastici vocati sunt. Ut non modo ex iis patet testimoniis a nobis ante allatis, ubi antiqui illi et ecclesiastici Canones a vetustis Ecclesiæ Patribus Synodisque laudati inter hos etiamnum inveniuntur, verum ex eo etiam, quod in ipsa Turriana editione,² nulla S. Apostolorum mentione facta, *Κανόνες Ἐκκλησιαστικοί* nominentur.³ Et hæc quidem prima videtur eorum inscriptio. Postea autem S. Apostolorum nomen iis præfixum est, ob rationes ante redditas, et ut major iis auctoritas conciliaretur.

IV. Sed aliter Observatori visum est. Qui fatetur quidem graviter peccasse Bovium et Turrianum, dum Canones istos ab ipsis Apostolis conditos esse acerrime contenderunt; at in eo primos non peccasse, quod eorum nomine prænotatos esse voluerunt, sed ab ipsis Canonum collectoribus id mutuo

² [Constitutiones Sanctorum Apostolorum, doctrina Catholica a Clemente Romano Episcopo et cive scripta libris octo. Francisci Turriani prolegomena, et explanationes apologeticæ in easdem constitutiones: Hæc nunc primum impressa sunt. Cum privilegio Cæs. Majestatis et illustriss. Senatus Veneti.

Venetis, ex officina Iordani Zileti. MDLXIII.]

³ [Errat Beveregius: Quamquam enim in fol. 127 verso *Κανόνες* tantum *ἐκκλησιαστικοί*, ut in indice, breviter nominantur, in fol. tamen 157 verso hunc titulum sibi præfixa habent, *Κανόνες ἐκκλησιαστικοὶ τῶν αὐτῶν ἁγίων Ἀποστόλων.*]

accepisse. *Nam quicumque, inquit, sunt, qui hos Canones collegerunt, eorum certe mens fuit, ut vere ab Apostolis [omnes] conditi atque editi crederentur: et hic, qui eos continet, Codex ab ipsis Apostolis factus, digestus, conscriptusque et promulgatus censeretur.* Et, ne quis hæc ab eo gratis fingi putaret, ex ipsis Canonibus illud probare nititur, nimirum ex Canone XXIX., ubi dicitur, *Si quis Episcopus per pecunias, hanc sit dignitatem assecutus, vel presbyter vel diaconus, deponatur et ipse, et qui eum ordinavit, et a communione etiam omnino excindatur, ὡς Σίμων ὁ Μάγος ὑπ' ἐμοῦ Πέτρον, ut Simon Magus a me Petro.* Item ex Canone L., ubi ex Dionysii Exigui versione dicitur, *Non enim dixit nobis Dominus.* Item ex Canone LXXXII. ubi occurrit, *ὄϊος καὶ ὁ ἡμέτερος Ὀνήσιμος ἐφάνη, Qualis noster quoque Onesimus visus est.* Et de-

[Pan. Can. tom. i. p. 18, D.]

[Vide supr. cap. iii. sect. 2, p. 24.]

[Conc. tom. i. col. 53, A; et Just. Bibl. J. C. tom. i. p. 116.]

[Pan. Can. tom. i. p. 54, A.]
[Ibid. p. 56, B.]

De Pseud. lib. iii. cap. 21, p. 681.

[Conc. tom. i. col. 50, C; et Just. Bibl. J. C. tom. i. p. 114.]

[Pan. Can. tom. ii. p. 185, C.]

[Just. Bibl. J. C. tom. ii. p. 568.]

[Conc. tom. i. col. 52, E; 53, A; et Just. Bibl. J. C. tom. i. p. 116.]

nique ex Canone ultimo, quo legitur, *καὶ αἱ Πράξεις ἡμῶν τῶν Ἀποστόλων, et Actus nostri Apostolorum.* Hæc autem Observator e Dallæo suo accepit, qui eadem observavit. Verumenimvero hæc omnia loca interpolata esse, ex eo satis constat, quod nec unus eorum in omnibus codicibus ita legatur. Quod enim ad primum spectat, pro *ὑπ' ἐμοῦ Πέτρον*, antiquitus lectum fuisse *ὑπὸ τοῦ Πέτρον*, ex Dionysio Exiguo patet vertente, *Sicut Simon Magus a Petro.* Et in Epistola Tarasii Patriarchæ Const. ad Adrianum Papam Romanum missa, ubi hic Canon citatur, hoc in loco nihil aliud legitur, quam *ὡς Σίμων ὁ Μάγος*, Petri scilicet mentione penitus omissa. In Canone quinquagesimo, omnes Græci codices, quos plurimos consuluit J. B. Cotelerius, omnesque Balsamonis et Zonaræ codices, tam MSS., quam impressi, constanter legunt, *οὐ γὰρ εἶπεν ὁ Κύριος.* In Jo. Antiocheni collectione Canonum Tit. XXXVI. ex Justelli editione legitur, *οὐ γὰρ εἶπεν ὁ Κύριος ἡμῶν.* Quod alii, æque ac Apostoli, dicere potuerunt. Sed, nescio quo facto, in MSS. Bodleiano, et Seguierii, pro *ἡμῶν* substituitur *ἡμῖν*, quomodo et Dionysius Exiguus legit, vertens, *Non enim dixit nobis Dominus.* Et ex omnibus, quos scimus, codicibus hi tres soli ita legunt. Reliqui omnes, multo majoris et numeri et auctoritatis, aliter legunt, nempe, vel *οὐ γὰρ εἶπεν ὁ Κύριος*, vel quod tantidem est, *οὐ γὰρ εἶπεν ὁ Κύριος ἡμῶν.* Adeo ut nihil dubii esse possit, quin alterutra harum vera sit ac genuina loci hujusce lectio. Prima autem, qua pronomen

omittitur, nobis verior videtur, ut a longe pluribus codicibus usitata. Cum igitur in hoc et præcedente, sive XXIX. Canone, pronomen aliena a primi collectoris manu insertum fuerit, idem et de duobus reliquis Canonibus, LXXXII. scilicet, et ultimo accidisse, jure merito censeamus. Et quidem in Codice isto, quo Josephus Ægyptius Paraphrastes Arabicus usus est, pro istis verbis in Canone LXXXII. *ὁὸς καὶ ὁ ἡμέτερος Ὀνήσιμος*, nihil aliud scriptum fuit, quam *ὁὸς καὶ Ὀνήσιμος*; vertit enim *مثل اونيسيفورس* sicut *Onesiphorus* pro *اونيسيمس Onesimus*. Qualis, priorum præsertim, nominum corruptio apud Arabes frequens occurrit. Sic etiam in ultimo Canone, pro *αὶ Πράξεις ἡμῶν τῶν Ἀποστόλων*, ille habet, *وايضا قلب السلحين وهو الابركسيس*, atque *Gesta Apostolorum, quæ sunt αὶ Πράξεις*. Legit ergo sine pronomine, *αὶ Πράξεις τῶν Ἀποστόλων*. Et nemo quidem dubitare potest, quin hujusmodi pronomina ab interpolatore aliquo primo inserta fuerint, et librariorum postea incuria in nonnullos codices transcripta. Alioquin enim omnes haud dubie codices, æque ac aliqui, in iisdem lectionibus consentirent. Omnia autem trium priorum æræ Christianæ seculorum monumenta et commentaria nefariis interpolatorum manibus misere subjacuisse, nemo nescit, qui antiquitatem ecclesiasticam vel primis labris delibavit. Ac proinde non mirum est, si huic idem atque aliis istorum seculorum scriptis acciderit. Saltem cum ipsum S. Apostolorum nomen huic Canonum collectioni, ob summam ejusdem antiquitatem, inditum fuisset, nemo mirari potest, quod incauti postea transcriptores et librarii istiusmodi pronomina diversis in locis ei inseruerint, quibus ab ipsis Domini Apostolis condita crederetur.

V. Sed ut ut est, eruditus Observator quatuor ex hac sua ipsius opinione conclusiones infert, quas paucis discutiamus oportet. *Primo*, inquit, *hinc consequitur vanissimam esse Beveregii ad Dallæi argumentum responsonem, quando nunc constat, ipsos Canonum collectores eos Apostolis tribuisse*. Hæc vero consequentia eadem, qua infertur, facilitate repellatur. Nondum enim constat, nec constare unquam faciet Observator, primos horum Canonum collectores, eos ipsis Apostolis tribuisse, nisi demonstraverit, hunc unum Codicem e communi omnium Ecclesiæ primitivæ

[Observat. in
Annot. Bev.
cap. ix.] p.
51.

monumentorum fato ereptum esse : quæ scilicet corrupta, et plurimis in locis interpolata fuisse inter omnes constat. Et præterea, etiamsi demus, primos horum Canonum collectores, pro certo habentes eos multis ante annis a viris Apostolicis sancitos esse, ipsis eos Apostolis tribuisse, ut a quibus traditi viderentur, valebit tamen nostra contra Dallæi argumentum responsio. Minime enim ex eo sequitur quod

[Obs. in Annot. Bev. cap. ix. p.51.] Observator secundo loco ponit, nimirum, *Seculo tertio non exstitisse horum Canonum Codicem, aliter eum commemoraturi erant Eusebius, Hieronymus, aliique ejusdem ætatis [cum utrovis] scriptores, cum illum præsertim sanctis Domini Apostolis affectum viderent.* Etenim Athanasius, Epiphanius, aliique, ejusdem ac Eusebius et Hieronymus ætatis, scriptores plurimos commemorarunt libros sanctis Domini Apostolis affectos, quorum tamen nec Eusebius, nec Hieronymus mentionem fecit. Et nihil quidem absurdus, nihil incredibilius excogitari potest aut efferri, quam Eusebium, et ex eo Hieronymum, omnes omnino libros vidisse, aut sibi cognitos habuisse, qui sanctorum Apostolorum nomen præferebant. Quod tamen haud perinde dicimus, ac si hos Canones Eusebio incognitos fuisse opinemur, utpote cui eos probe innotuisse ante probatum est. Quod si supponamus illos Eusebium latuisse, haudquaquam exinde concludi potest, eos ante non exstitisse, quandoquidem Eusebium omnia, quæ a privatis quibuscunque Christianis vel a provincialibus Episcoporum Synodis scripta fuerant, nec aspectu nec auditu tenuisse, saltem literis non mandasse pro certissimo habeamus. Ejusdem prorsus est vanitatis tertia quoque

[Ibid.] Observatoris illatio, *Non ecclesiasticos scilicet vocatos fuisse olim hos Canones, [ut tradit pluribus in locis vir doctus], sed Apostolicos, nam ab Apostolis conditos esse omnibus persuasum voluerunt eorum primi collectores.* Enimvero si largiamur ei primos horum Canonum collectores et sibi persuasisse, et aliis persuasum voluisse, eos ab Apostolis conditos esse, eos tamen ecclesiasticos nunquam vocatos esse neutiquam exinde sequitur. Quid enim vetat, quo minus Canones, qui ab ipsis Apostolis traditi videntur, ecclesiastici æque ac Apostolici nominentur, cum ecclesiasticam contineant disciplinam, et eo tantum nomine sanciti sint, ut Ecclesia juxta eos rite administretur? Profecto illi ipsi, qui

hos Canones sanctis Apostolis acceptos retulerunt, eos nihilominus ecclesiasticos vocare non dedignati sunt, ut e variis eorundem inscriptionibus videre est, quibus, licet S. Apostolis plerumque tribuantur, ecclesiastici tamen nuncupantur. In Cotelerii enim editione e MSS. codicibus eruta, sic inscribuntur, Κανόνες Ἐκκλησιαστικοὶ τῶν αὐτῶν ἀγίων Ἀποστόλων. Et in ipsa Dionysii Exigui versione, *Ecclesiasticæ regulæ Sanctorum Apostolorum prolatae per Clementem Ecclesiæ Romanæ Pontificem*. Et, ut ante observatum est, in MS., quo usus est Franciscus Turrianus, simpliciter Κανόνες Ἐκκλησιαστικοὶ inscribuntur. Et hæc quidem, ut simplicissima, prima nobis ac genuina videtur inscriptio, cui, ob rationes ante allatas, Apostolorum nomen postea subjunctum est. Hinc saltem antiquos hosce Canones ecclesiasticos olim vocatos esse, usque adeo planum est ac indubitatum, ut satis mirari nequeam, quo demum fato Observatori in mentem venerit contrarium asseverare, contra unanimem omnium fere codicum fidem atque auctoritatem. Denique ex hoc suo ipsius somnio, ex eo scilicet quod primi horum Canonum collectores eos sanctis Apostolis tribuisse ipsi videantur, consequi affirmat Observator, *Eos ab Apostolicis viris in unum corpus minime collectos fuisse. Nam Apostolici*, inquit, *virii Apostolis Canones non erant adscripturi, quos ab illis haudquaquam sancitos probe noverant*. Præterquam autem quod præmissa, e quibus hæc consequentia infertur, falsa sint, et talia propterea, e quibus nihil legitime concludi potest, ipsa quoque consequentia nos minime attingit, qui hos Canones a viris Apostolicis constitutos quidem, non item collectos fuisse asserimus. Hos enim Ecclesiæ primitivæ æque ac universæ Canones multis annis ante sancitos fuisse opinamur, quam in unum corpus compacti sunt. Ac propterea, quodcunque iis nomen a collectoribus postea impositum fuit, eodem ab ipsis etiam conditoribus illos nuncupatos fuisse, nequaquam sequitur. Proinde, licet concedamus primos eorum collectores Apostolicos, et S. Apostolorum eos nominasse, exinde tamen non conficitur, Apostolicos etiam viros, a quibus constituti sunt, ipsis eos Apostolis tribuisse. Quod tamen haud mirum est, si ab illis factum fuisset. Cum viri enim Apostolici nihil in Ecclesia constituerent, nisi quod ab ipsis Apostolis traditum vel aliis

[Pat. Ap.
tom. i. p.
437.]
[Just. Bibl.
J. C. tom. i.
p. 112.]

[Observat. in
Annot. Bev.
cap. ix. p.
51.]

eorum traditionibus consonum esse judicarent, ut ante ostensum est, hos etiam Canones ex istiusmodi traditionibus conditos sub Apostolorum nomine aliis commendare facile potuerunt.

VI. Plura in illegitimas hasce eruditi viri consequentias, necnon in singulas ejus observationes exceptionesque contra testimonia pro Canonum Apostolicorum antiquitate allata, reponi possunt. Cum autem ex iis, quæ hucusque disseruimus, satis abunde constet, hos Canones quarto currente quintoque ineunte seculo a Patribus Synodisque laudatos, ac proinde longe ante tempus a Dallæo eorum editioni præfixum conditos pariter atque divulgatos fuisse, quicquid e contra Dallæus dixerit, vel ipse etiam Observator, nihil est quod plura hic accumulamus. De Gelasii enim decreto, de quo proximo ille agit, nos, quantum ad nostram spectat opinionem, satis jam ante diximus. Nec quicquam postea producit responsione dignum, cui a nobis non clare satis responsum est. Adeo ut iis denuo respondere non possimus, quin actum agamus, eademque ad nauseam usque repetamus necesse sit.

[Cap. lx.
sect. 2-7, pp.
98-107.]

FINIS LIBRI PRIMI.

LONDINI:

TYPIS EXECUDEBAT G. BARCLAY, CASTLE STREET, LEICESTER SQUARE.

ADDITUM.

P. 208, not. ².—*Post verba*, “Scholiastes Harmenopuli in Epit. Can. sect. i. tit. 8,” *adde* [apud Leunclavii Jus Græco-Romanum, tom. i. p. 16.]



HW 3DD2 5



